LIBRARY OF PRINCETON
OCT 8 1919
THEOLOGICAL SEMINARY

BX 1751 .E3 1900
Einig, Peter, 1852-1908.
Institutiones theologiae
dogmaticae

INSTITUTIONES
THEOLOGIAE DOGMATICAE.

TRACTATUS

DE SACRAMENTIS.

PARS I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE, BAPTISMO, CONFIRMATIONE, EUCHARISTIA.

AUCTORE

PETRO EINIG

S. THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE
EIUSDEM S. THEOLOGIAE IN SEMINARIO TREVERENSI PROFESSORE.

TREVERIS
EX OFFICINA AD S. PAULINUM.
1900.

IMPRIMATUR.

Treveris, die 1. augusti 1900.

REUSS
Vicarius Generalis.

INDEX.

CAPUT IV.
DE AUCTORE SACRAMENTORUM.

CAPUT V.
DE MINISTRO SACRAMENTORUM.

CAPUT VI.
DE NUMERO SACRAMENTORUM.

pag.

APPENDIX.
DE SACRAMENTALIBUS.

PARS II.
DE SACRAMENTIS IN SPECIE.
DE BAPTISMO.

CAPUT I.
DE EXISTENTIA BAPTISMI.

CAPUT II.
DE ESSENTIA BAPTISMI.

CAPUT III.
DE BAPTISMI EFFECTIBUS.

CAPUT IV.
DE NECESSITATE BAPTISMI.

CAPUT V.
DE SUBIECTO BAPTISMI.

CAPUT VI.
DE MINISTRO BAPTISMI.

CAPUT VII.
DE CEREMONIIS BAPTISMI.

pag.

DE CONFIRMATIONE.

DE SS. EUCHARISTIA.

pag.

CAPUT I.
DE REALI CHRISTI PRAESENTIA.

ART. I. De ipsa reali praesentia.

ART. II. De modo praesentiae realis.

CAPUT II.

DE EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

CAPUT III.
DE EUCHARISTIAE SACRIFICIO.

DE SACRAMENTIS.

„Ad consummationem salutaris de iustificatione doctrinae consentaneum visum est, de sanctissimis Ecclesiae sacramentis agere, per quae omnis vera iustitia vel incipit vel coepta augetur vel amissa reparatur."

Conc. Trid. Sess. 7 Procem.

AUCTORES CONSULENDI:

Scholastici: Hugo a S. Victore, De sacramentis christianae fidei tr. 4; Magister 4 d. 1 sqq.; Comment.: S. Thomas, S. Bonaventura. — S. Th. 3 q. 60 sqq. et Suppl.; C. gent. 4, 56—78; Caietanus, Franciscus de Victoria, Melchior Canus, Lugo, Suarez; Ioannes Eckius, Bellarminus, Tournely, Iuenin, Drouin.

Recentiores: Franzelin, de Augustinis, Billot, Sasse, Palmieri (de poenit., de matrim.); Oswald, Schanz, Giehr, Probst (Die Sacramente und Sacramentalien in den ersten drei Jahrh.).

De sacramentis tractaturi agemus primo de sacramentis *in genere*, deinde de sacramentis singulis *in specie*.

PARS I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Agendum erit 1. de sacramenti notione, 2. de necessitate, 3. de effectu, 4. de auctore, 5. de ministro, 6. de numero sacramentorum.

Caput I.

De notione sacramenti.

Thesis 1.

Sacramentum a Catechismo Romano recte definitur: „res sensibus subiecta, quae ex Dei institutione sanctitatis et iustitiae tum significandae tum efficiendae vim habet".

Definitio haec ut probetur, necesse non est nisi ut singulae eius partes ex usu loquendi Ecclesiae demonstrentur.

1. Vox *sacramenti* rem *sacram* significat. Vox μυστήριον rem *occultam*. Ex utraque significatione sensus exsurgit, quem sacramenti vox in usu habet loquendi tum profano tum sacro.[1]) Dupliciter autem res aliqua occulta ac sacra esse potest. „Sacramentum potest aliquid dici vel quia *in se* habet aliquam sanctitatem occultam, et secundum hoc sacramentum idem est quod sacrum secretum, vel quia habet aliquem *ordinem* ad hanc sanctitatem vel causae vel signi vel secundum quamcunque aliam habitudinem. Specialiter

[1]) Apud auctores profanos sacramenti nomine intelligebatur pignus a litigantibus in loco sacro depositum et iusiurandum quo milites obstringebantur; in Scriptura et a Patribus sacramentum dicitur decretum redemptionis et universa doctrina christiana (cf. Eph. 1, 9; 3, 3, 9; Col. 1, 27; 1 Tim. 3, 16).

autem nunc loquimur de sacramentis, secundum quod important habitudinem signi, et secundum hoc sacramentum ponitur in genere signi." [1]) *Signum* vero, teste Augustino [2]), illud est, quod praeter speciem, quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire.

Significatio porro haec vocis sacramenti usu loquendi etiam magis contracta est, idque tum quod rem significatam spectat, tum quod modum significandi. *Res significata* restrictioris huius vocis acceptionis illud est, quod *homines sanctificat*. Sanctitas autem hic generatim accipitur pro illa re, qua quis a profanis segregatus Deo applicatur; quae quidem sanctitas diversa est prae diversa lege atque oeconomia, cuius est sacramentum. *Modus significandi* restrictior est, ut sacramentum sit quod non solum sanctificationem significat, verum eam etiam aliqua ratione efficit, seu ut sacramentum sanctificationis signum sit *practicum*. Qui quidem vocis sensus ex pluribus saeculis sic factus est communis, ut sensus proprius dicendus sit.

2. Sacramentum omne, quod hominum sanctificationem significat et efficit, res aliqua *sensibilis* est. „Sapientia divina unicuique rei providet secundum suum modum. Est autem homini connaturale ut per sensibilia perveniat in cognitionem intelligibilium; signum autem est, per quod aliquis devenit in cognitionem alterius. Unde cum res sacrae, quae per sacramenta significantur, sint quaedam spiritualia et intelligibilia bona quibus homo sanctificatur, consequens est, ut per aliquas res sensibiles significatio sacramenti impleatur; sicut etiam per similitudinem sensibilium rerum in divina Scriptura res spirituales nobis describuntur. Et inde est, quod ad sacramenta requiruntur res sensibiles." [3])

Signum sensibile quale sit, ut distinctius dicamus oportet.

Sacramenta imprimis V. T. *solis rebus* constabant. „Alia debent esse sacramenta rei praesentis, et alia rei futurae. Sacramenta autem V. L. praenuntia erant Christi venturi, et ideo non ita expresse significabant Christum, sicut sacramenta N. L. quae ab ipso Christo effluunt et quandam similitudinem ipsius in se habent. Utebantur tamen in V. L. aliquibus verbis in his quae ad cultum Dei pertinent, tam sacerdotes, qui erant sacramentorum illorum ministri, quam etiam illi qui illis sacramentis utebantur." [4])

---

[1]) S. Th. 3 q. 60 a. 1.
[2]) Augustin. De doctr. chr. 1.
[3]) S. Th. l. c. a. 4.
[4]) S. Th. l. c. a. 6 ad 3.

Sacramenta vero N. T. non solum rebus constituuntur sed etiam *verbis*. Quod quidem inductione per omnia sacramenta facta probatur. Congruentiam rei sic explicat S. Thomas: „Sacramenta adhibentur ad hominum sanctificationem sicut quaedam signa. Tripliciter ergo considerari possunt, et quolibet modo congruit eis quod verba rebus sensibilibus adiungantur. Primo enim possunt considerari ex parte *causae sanctificantis*, quae est Verbum incarnatum, cui sacramentum quodammodo conformatur in hoc, quod rei sensibili verbum adhibetur; sicut in mysterio incarnationis carni sensibili est Verbum Dei unitum. Secundo possunt considerari sacramenta ex parte *hominis*, qui sanctificatur, qui componitur ex anima et corpore, cui proportionatur sacramentalis medicina quae per rem visibilem corpus tangit, et per verbum ab anima creditur; unde Augustinus dicit (tract. 80 in Ioan.): «Unde est ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo?» Tertio possunt considerari ex parte ipsius *significationis* sacramentalis. Dicit autem Augustinus (de doctr. christiana), quod «verba inter homines obtinuerunt principatum significandi», quia verba diversimode formari possunt ad significandos diversos conceptus mentis: et propter hoc per verba magis distincte possumus exprimere quod mente concepimus; et ideo ad perfectionem significationis sacramentalis necesse fuit, ut significatio rerum sensibilium per aliqua verba determinaretur; aqua enim significare potest et ablutionem propter suam humiditatem, et refrigerium propter suam frigiditatem: sed cum dicitur: ego te baptizo, manifestatur quod aqua utimur in baptismo ad significandam emundationem spiritualem.“ [1])

Res et verba quibus sacramenta N. T. componuntur *materia* dicuntur et *forma*. Qui loquendi usus inde a saec. 13 apud theologos est communis et ab ipsa Ecclesia consecratus. [2]) Dicit enim Concilium Florentinum (pro Armen.): „Omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum.“

Nomina autem haec materiae et formae a compositionibus physicis translata ad illam sacramentorum compositionem significandam summopere *apta* esse patet. Quemadmodum enim in physcis ex unione materiae et formae aliquod integrum constituitur, et materia ipsa est aliquid indeterminatum atque indifferens, forma vero eam determinans atque proprium compositi esse constituens, ita

---

[1]) S. Th. l. c. a. 6.

[2]) Primus has voces in sensu, quo in sacramentorum doctrina accipiuntur, usurpavisse videtur *Guilelmus Antissiodorensis* (c. 1215).

etiam in sacramentis res et verba, quibus constituuntur, ad invicem se habent. Animadvertendum vero est cum in sacramentis ex rebus et verbis non debeat exsurgere nisi unitas *signi* ad quam sufficit coniunctio moralis, non vero exigatur unitas physica, appellationem huiusmodi ad sacramenta translatam non esse nisi analogicam atque adeo non esse ultra suum scopum urgendam.

3. Signum sensibile ut sacramentum sit, a *Deo determinetur* necesse est. „Quia sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem suo iudicio assumere res quibus sanctificetur; sed hoc debet esse ex divina institutione determinatum: et ideo in sacramentis N. L., quibus homines sanctificantur, oportet uti rebus ex divina institutione determinatis.“ [1])

Materia igitur et forma, cum essentiam constituant signi sensibilis, determinatae sint oportet ab ipso Deo. Iam vero determinatio haec cum per se possit esse facta et strictius et laxius, ita ut intra certos limites latitudo aliqua atque variatio haberi possit: ut quae sit in singulis sacramentis rite intelligatur, ex ipsius institutoris voluntate per divinam revelationem nobis manifestata discere oportebit. Hac autem ratione semper quidem constabit, quid, ut materia et forma sit integra, certo sufficiat, si sc. quae ab Ecclesia praescribantur omnia serventur, non vero semper pari certitudine constabit, quid ad materiae et formae integritatem habendam certo non sufficiat, v. g. utrum certo non sufficiant ad Eucharistiam conficiendam nonnullae granorum species, quae triticum non sint, in sacramento ordinis etiam in Ecclesia Latina sola impositio manuum (si non addatur traditio instrumentorum), in sacramento poenitentiae forma deprecatoria.

Hisce positis iam satis *definitio* intelligitur, qua sacramentum definiri solet. Augustinus sacramentum passim definivit: signum rei sacrae, signum gratiae, invisibilis gratiae visibilis forma. Hugo a S. Victore distinctius: „Sacramentum est visibilis forma invisibilis gratiae in ea collatae, quam sc. confert ipsum Sacramentum.“ [2]) Magister: „Sacramentum proprie dicitur quod ita signum est gratiae Dei et invisibilis gratiae forma, ut ipsius imaginem gerat et causa existat.“ Catechismus Romanus denique accuratissime: „Sacramentum

---

[1]) S. Th. l. c. a. 5.

[2]) Hugo Victor. tr. 4, 1. — Inepte conqueritur Harnack (Dogmengesch. 3, 466): „Dieser «deutsche Mystiker» ist mithin der Erste gewesen, der die verderbliche Definition fixirt hat, welche das Sakrament so traurig veräusserlichte und das verbum elimirte.“ Definitiones nimirum Augustini, Hugonis, Magistri etc. nullo modo sibi opponuntur, sed alia distinctior est et plenior prae alia.

est res sensibus subiecta, quae ex Dei institutione sanctitatis et iustitiae tum significandae tum efficiendae vim habet." — Quae tamen definitio, si sanctitas et iustitia efficienda intelligitur sensu maxime proprio, non convenit nisi Novi Testamenti sacramentis.

SCHOLION. Ex definitione sacramenti declarata intelligitur, quid *intersit* inter *sacramenta* et alia quaedam *affinia.* 1. V. T. *typi* haud pauci, ut manna, serpens aeneus, quamvis sacramentis similes, sacramenta non sunt, quia non sunt instituti ad homines etiam in posterum sanctificandos. 2. N. T. multa sacra, quae *sacramentalia* dicuntur, ut aqua lustralis, professio religiosa, non divinitus sunt instituta nec gratiam producunt. 3. *Sacrificia* non sunt sacramenta, quia primarie non ad homines sanctificandos, sed ad Deum colendum diriguntur. 4. *Martyrium* non est sacramentum, quia non est ritus a Deo institutus ad homines sanctificandos.

Caput II.

De sacramentorum necessitate.

Thesis 2.

Sacramenta esse, in ordine praesenti summe congruum est.

Necessarium dicitur vel simpliciter, sc. id sine quo finis non potest obtineri, vel secundum quid, sc. id per quod magis congrue finis obtinetur. Non quaeritur hic de illa necessitate proprie dicta, quae sit ex Dei voluntate singulorum sacramentum, sed de *congruentia,* quae assignari potest, cur generatim a Deo instituta sint sacramenta. De hac vero congruentia haec sufficiant:

1. Sacramentorum necessitas elucet ex parte *singulorum* hominum. „Sacramenta sunt necessaria ad humanam salutem triplici ratione: Quarum prima sumenda est ex conditione *humanae naturae,* cuius proprium est ut per corporalia et sensibilia in spiritualia et intelligibilia deducatur. Pertinet autem ad divinam providentiam, ut unicuique rei provideat secundum modum suae conditionis; et ideo convenienter divina sapientia homini auxilia salutis confert sub quibusdam corporalibus et sensibilibus signis, quae sacramenta dicuntur. Secunda ratio sumenda est ex statu hominis, qui *peccando* se subdidit per *affectum* corporalibus rebus. Ibi autem debet medicinale remedium homini adhiberi, ubi patitur morbum; et ideo conveniens fuit ut Deus per quaedam corporalia signa homini spiritualem medicinam adhiberet; nam si spiritualia nuda ei proponerentur, eis animus applicari non posset corporalibus deditus. Tertia autem ratio sumenda est ex studio *actionis* humanae, quae praecipue

circa corporalia versatur; ne ergo esset homini durum, si totaliter a corporalibus actibus abstraheretur, proposita sunt ei corporalia exercitia in sacramentis, quibus salubriter exerceatur ad evitanda superstitiosa exercitia, quae consistunt in cultu daemonum, vel qualitercunque noxia, quae consistunt in actibus peccatorum. Sic igitur per sacramentorum institutionem homo convenienter suae naturae eruditur per sensibilia; humiliatur, se corporalibus subiectum cognoscens, dum sibi per corporalia subvenitur; praeservatur etiam a noxiis actionibus per salubria exercitia sacramentorum.“ [1])

2. Eadem necessitas patet, si *societas* humana spectetur. „In nullum nomen religionis seu verum seu falsum coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum seu sacramentorum visibilium consortio colligentur“ [2]); „sed necessarium est ad humanam salutem homines *adunari* in unum verae religionis nomen; ergo sacramenta sunt necessaria ad humanam salutem“ [3]). Praeterea „sacramentis *fidem* nostram in hominum conspectu *profiteri* et notam facere videmur“. Denique „magnam vim habent sacramenta non solum ad *fidem* in animis nostris *excitandam* et *exercendam*, sed etiam ad eam *caritatem inflammandam*, qua amare inter nos debemus, cum arctissimo nos vinculo colligatos et unius corporis membra effectos esse ex sacrorum mysteriorum communione recordamur.“ [4])

SCHOLION. Quaerunt, utrum ante protoparentum peccatum, i. e. in *statu innocentiae*, fuerint sacramenta. In brevi illo tempore de facto nulla fuisse sacramenta, facile omnes concedunt. At cum quaeratur, num sacramenta in illo statu institui fuerit conveniens, si diutius durasset, controvertitur. Negat S. Thomas: „Cuius ratio, ait, accipi potest ex rectitudine status illius, in quo superiora inferioribus dominabantur et nullo modo dependebant ab iis; sicut enim mens suberat Deo, ita menti suberant inferiores animae vires et ipsi animae corpus: contra hunc autem ordinem esset, si anima perficeretur vel quantum ad scientiam vel quantum ad gratiam per aliquod corporale, quod fit in sacramentis.“ [5]) Verum alii cum Suarezio existimant nihil obstare, quominus etiam statui innocentiae sacramenta multipliciter congruere dicantur, quamvis sane non fuerit illa, quae ex peccato ortum habuit, sacramentorum necessitas. [6])

---

[1]) S. Th. 3 q. 61 a. 1.
[2]) Augustin. C. Faust. 19, 11.
[3]) S. Th. l. c.
[4]) Catech. Rom.
[5]) S. Th. l. c. a. 2.
[6]) Cf. Suarez, Disp. 3 sect. 3.

Caput III.

De sacramentorum virtute.

De sacramentorum virtute disserentes oportet ut et de *effectibus* dicamus eorum et de *modo efficiendi.* Duplex vero sacramentorum est effectus: *gratia* et *character;* illa quidem effectus princeps, hic effectus secundarius, tum quia gratia effectus nobilior, tum quia est sacramentorum omnium, tum quia spectato sacramentorum fine universo principaliter a Deo intentus est. Tribus itaque thesibus tractabimus de *gratia* [th. 3, 4, 5], thesi una de *charactere* [th. 6].

Thesis 3.

Sacramenta N. L. causae instrumentales sunt gratiae.

1. *Causa* est *principium* quoddam; principium autem est omne id, a quo aliquid quomodocunque procedit. Nomen vero causae „videtur importare *diversitatem substantiae* et *dependentiam* alicuius ab altero, quam non importat nomen principii“ [1]). Dependentia porro haec talis intelligitur, ut quod causa dicitur, *per se* in aliud *influat.* Hinc causa distinguitur a mera *occasione,* ad cuius praesentiam aliquid fit, et a mera *conditione,* quae, quamvis sit necessaria ut causa in effectum influat, non tamen ipsa influit.

Distinguuntur causae varia genera: efficiens, finalis, formalis, materialis. Causa *efficiens* est agens illud, quod sua operatione est principium rei alicuius; *finalis* est illud, cuius gratia aliquid fit; *materialis,* ad quam etiam reducitur dispositio, est illud, ex quo aliquid fit; *formalis* est illud, quo aliquid est determinatum ad talem specialem rationem essendi. Nobis hic sermo est de causa efficiente.

Causa *efficiens* ex diverso modo efficiendi dividitur in *principalem* et *instrumentalem.* „Duplex est causa agens, principalis et instrumentalis. Principalis quidem operatur per virtutem suae formae, cui assimilatur effectus, sicut ignis suo calore calefacit. . . . Causa vero instrumentalis non agit per virtutem suae formae, sed solum per motum quo movetur a principali agente: unde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agente, sicut lectus non assimilatur securi, sed arti quae est in mente artificis.“ [2]) In qua definitione causae instrumentalis intelligenda est *actio* non quidem, quam habet instrumentum ipsum aliquam sibi propriam, sed qua operatur prout

---

[1]) S. Th. 1 q. 33 a. 1.

[2]) S. Th. 3 q. 62 a. 1.

instrumentum est; *motus* intelligendus est non quidem mere localis, sed qui dicitur virtuosus, quo sc. virtute sua instrumentali movetur ad cooperandum causae principali. Iam vero instrumentales causae gratiae sunt sacramenta.

Posse competere naturae creatae quantum ad opera ipsius Dei causalitatem instrumentalem, et per se est manifestum et ex certa fidei doctrina de actione theandrica naturae humanae Christi et sacramentorum efficacia certo probatur. Quaecunque autem haec sit causalitas, patet Deum creaturis suis instrumentis non uti ex indigentia, sed solum ex congruentia aliqua, nec ipsum a rebus a se assumptis dependere ullo modo, ita ut v. g. astringatur ipsarum virtuti naturali, nec porro opus esse, ut instrumentum ei quod operari velit secundum ordinem loci coniungatur, nec denique certo instrumento ullo esse eius virtutem alligatam.

2. Quae sacramentorum causalitas breviter ita significari solet, ut sacramenta operari dicantur *ex opere operato*, non vero *ex opere operantis*. Terminus ‚ex opere operato‘ inde a saec. 13 in usu est et ipsius Concilii Tridentini auctoritate consecratus. [1])

Cum autem sacramenta dicuntur producere gratiam ex opere operato, sensus est: a. negative, hanc eorum virtutem non esse ex opere operantis i. e. ex actu sive ministrantis sive suscipientis sacramenta prout actus est meritorius; sed b. positive, ipsum opus obiectivum seu signum sensibile rite positum prout a Deo elevatum est, in ratione instrumenti gratiam in anima efficere. [2]) Non igitur excluditur simpliciter, quemadmodum calumniantur Protestantes, omnis actus bonus et multo minus humanus, sed actus huiusmodi excluduntur a ratione causae efficientis, minime vero a ratione dispositionis necessariae, quae ad causam materialem pertinet. Haec vero dispositio eo spectat, ut removeatur obstaculum omne quod sacramentorum efficaciae sit contrarium. [3])

3. Sacramentis igitur conferri gratiam dicimus, non quidem quandocunqe conficiuntur, sed si suscipiantur ab iis, in quibus gra-

---

[1]) Inter primos hac formula usus est *Petrus Pictaviensis* († 1205).

[2]) Terminum ‚ex opere operato‘ nonnulli, ut Moehler, Hilgers, Vosen, minus recte interpretantur ita, ut significet opus a Christo operatum. Quamquam enim sacramenta suam habent virtutem ex opere, quod Christus operatus est: nihilominus hoc, cum sacramentorum non sit proprium, nec propriam eorundem efficaciam satis explicat.

[3]) Absurde igitur Protestantes, uti v. g. Harnack (Dogmengesch. 3, 463 sq.), hanc sacramentorum efficaciam tamquam „magicam“ traducunt. Non est enim magia, ubi Deus ipse rebus quamvis sensibilibus virtutem supernaturalem voluit esse annexam, ita quidem ut Deus in operando effectum supernaturalem semper sit solus causa efficiens princeps, res sensibiles non sint nisi causa instrumentalis.

tiae non est *impedimentum*. Duplex autem distinguitur impedimentum huiusmodi: ineptitudo et obex. *Ineptitudo* omne est illud, quod impedit sacramentum ne sit validum, cuiusmodi est defectus characteris baptismalis quantum ad reliqua sacramenta, femineus sexus quantum ad ordinem, sanitas quantum ad extremam unctionem. *Obex* est animae dispositio vel absolute vel secundum praesentem Dei providentiam infusionem gratiae impediens. Obex dicitur etiam *fictio*, inquantum sc. aliquid ostenditur dicto vel facto, quod rei veritas non habet. Cuiusmodi dispositio in infantibus nulla esse potest; in adultis prae sacramentis mortuorum impoenitentia est de peccato commisso, prae sacramentis vivorum conscientia peccati mortalis nondum remissi.[1]) Removetur obex prae sacramentis mortuorum per hominis actus in quibus dispositio consistit ad sacramentum suscipiendum, prae sacramentis vivorum gratiae infusione; remoto vero obice sacramentum ut ens morale perseverans plenum suum effectum consequitur.

4. Duplex est *error* in re praesenti. Alter aliquorum antiquorum qui docebant, sacramenta gratiae conferendae non esse nisi meram *conditionem*; alter Protestantium statuentium sacramenta nihil conferre ad gratiam nisi excitando vel nutriendo per modum concionis *fidem* iustificantem.[2])

Doctrinam *catholicam* definivit Concilium Tridentinum (Sess. 7) canonibus hisce: „Si quis dixerit, sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse: a. s.“ (can. 5). „Si quis dixerit, sacramenta N. L. non continere gratiam quam significant aut gratiam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae vel iustitiae et notae quaedam christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus: a. s.“ (can. 6). „Si quis dixerit, non dari gratiam per huiusmodi sacramenta semper et omnibus, quantum est ex parte

[1]) Iam *Augustinus* hoc modo loquendi utitur. Comparans scilicet parvulum credere nondum valentem cum adulto baptizando qui fidem non habeat, haec scribit (Epist. 98, 10): „Parvulus, qui etiamsi fidem nondum habeat in cogitatione, non ei tamen obicem contrariae cogitationis opponit; unde sacramentum eius salubriter percipit.“

[2]) *Lutherus* (Sermo de N. T.) docet sacramenta non secus ac verba evangelii esse promissiones Dei, quamvis facilius et efficacius fidem in animis excitantes. *Calvinus* (Inst. 4, 14) praeterea addit, sacramenta simul esse symbola quibus pietatem nostram profiteamur. *Zwinglius* (De vera et falsa relig.) vult, sacramenta esse ceremonias quibus homo se probat Ecclesiae esse candidatum ac militem Christi. — Similiter *Protestantes recentiores*, qui quidem communius Zwinglio adstipulantur aliud in sacramentis non agnoscentes nisi mutuae inter Deum et homines sacrae confoederationis tesseram. Cf. Hase, Dogmatik § 185.

Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando et aliquibus: a. s." (can. 7). „Si quis dixerit, per ipsa N. L. sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere: a. s." (can. 8).

DEMONSTRATUR: Sacramenta sunt *causae instrumentales gratiae,* i. e. *ex opere operato efficiunt gratiam.*

1. In *Scripturis* effectus sacramentorum immediatus declaratur esse, non fides vel poenitentia, sed remissio peccatorum, regeneratio, gratia, vita, Spiritus Sanctus.

1. Coniunctio exhibetur *immediata* sacramentorum et gratiae. „Qui . . . baptizatus fuerit, salvus erit" (Marc. 16, 16). „Imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum" (Act. 8, 17). Ubi videlicet fides et poenitentia supponitur.

2. Sacramentorum efficacia significatur praepositionibus *causalibus.* Dicitur dari Spiritus Sanctus „per impositionem manus" (Act. 8, 18). Dicimur renasci „ex aqua et Spiritu Sancto" (Ioan. 3, 5).

3. Sacramentorum efficacia describitur ad instar efficaciae *rei sensibilis.* Baptismo dicuntur „ablui" peccata (Act. 22, 16). Dicimur baptizari „in remissionem peccatorum" (Act. 2, 38).

4. Baptismi efficacia opponitur efficaciae baptismatis *Ioannei,* quod quamvis cum illo communia habuerit et fidem Christi et ablutionem et poenitentiam, a Paulo tamen declaratur insufficiens, quod a Ioanne ipso dicitur esse non „in Spiritu Sancto", sed „in aqua" tantum" (Ioan. 1, 33), quod diserte vocatur „baptismus poenitentiae" (Act. 13, 24) et „baptismus poenitentiae in remissionem peccatorum" (Marc. 1, 4), i. e. baptismus excitans ad poenitentiam, qua homo in remissionem ducatur peccatorum.

5. Connumeratur ritus baptismalis cum *Spiritu Sancto,* qui certe gratiae est causa efficiens, ita ut una atque eadem appareat esse utriusque causalitas quamvis alterius principalis, alterius instrumentalis. Dicimur videlicet renasci „ex aqua et Spirtu Sancto" (Ioan. 3, 5).

6. Inter signum sensibile et gratiam asseritur veluti *identitas.* Vocatur baptismus „lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti" (Tit. 3, 5) et „lavacrum aquae in verbo vitae" (Eph. 5, 26).

Quodsi *obiicitur,* in Scriptura *actibus subiecti* v. g. fidei, caritati tribui vim gratiam causandae, *respondetur:* Actibus subiecti *extra* sacramenta Tr. (cf. tract. de iustificatione), *in* sacramentis Sbd. quatenus causant remotionem obicis ita ut sint gratiae causandae conditio C., quatenus sint gratiae causa efficiens Sbd. qui sunt, ut fortasse in sacramento poenitentiae, pars ipsius *ritus* sacramentalis C., quatenus sint gratiae causa *meritoria* Sbd. ipsius gratiae uti talis N.,

quatenus ex meritis Christi vim habent movendi Deum ad acceptanda haec ipsa Christi infinita merita gradu aliquo determinato C.

2. *Traditio* catholica perpetua et universalis ipsum ritum sacramentorum habuit causam gratiae.

1. Patres *comparant* baptismum *utero materno, utero B. Mariae Virginis, aquis genesiacis.* „Quod est uterus embryoni, hoc est fideli aqua, siquidem in aqua fingitur et formatur. Primum dicebatur: producant aquae reptile animae viventis (Gen. 1, 20); ex quo autem Iordanis fluenta ingressus est Dominus, non amplius reptilia animarum viventium, sed animas rationales Spiritum Sanctum ferentes aqua producit . . . Sed quod in utero formatur, tempore opus habet; in aqua autem non sic, sed uno temporis momento totum perficitur.“ [1]) „Dedit aquae quod dedit matri; virtus enim Altissimi et Spiritus Sancti, quae fecit ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit ut regeneret unda credentem.“ [2])

Unde *piscis* in aquis natus symbolum est christianorum. „Nos pisciculi in aqua nascimur.“ [3]) Unde porro Syri eodem vocabulo, quo Spiritus dicitur ferri fecundans super aquas, utuntur de Spiritu Sancto visibilibus sacramentis, maxime impositione manuum, in hominem illabente.

2. Patres ipsum *Spiritum Sanctum* docent tribuere signis sensibilibus *virtutem sanctificandi.* „Invocato Deo supervenit statim Spiritus de coelis et aquis superest sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatae vim sanctificandi combibunt.“ [4]) „Vide ne illud unguentum (chrisma confirmationis) vulgare esse suspiceris. Nam sicut panis Eucharistiae post invocationem Sancti Spiritus non amplius est panis communis, sed corpus Christi, sic et hoc sacrum unguentum post invocationem non amplius simplex, aut si dicere mavis, commune est; sed est Christi et Spiritus Sancti donarium, quod praesentia divinitatis eius fit efficax (ἐνεργητικὸν γινόμενον) . . . Et visibili unguento corpus quidem ungitur, Sancto autem et vivifico Spiritu anima sanctificatur.“ [5])

3. Patres ex una parte *haereticos* dicunt esse qui docent, „non oportere inenarrabilis et invisibilis virtutis mysterium per visibiles et corruptibiles perfici creaturas, et ea quae mente concipi non possunt et incorporalia et insensibilia per sensibilia et corporalia“ [6]). Ex parte vero altera ipsi quoque Patres *mirantur* effectum spiri-

---

[1]) Chrysost. In Ioan. hom. 26.
[2]) Leo M. Serm. de Nativ. 4.
[3]) Tertull. De bapt. 1.
[4]) Tertull. De bapt. 4.
[5]) Cyrill. Hieros. Catech. 21.
[6]) Iren. 1, 21.

tualem sensibilibus signis productum. „Nihil adeo est quod obduret mentes hominum, quam simplicitas divinorum operum quae in actu videntur, et magnificentia quae in effectu repromittitur . . . . . . tanta simplicitate sine pompa homo in aquam demissus et inter pauca verba tinctus mundior resurgit . . . Incredulitas miratur, non credit: miratur enim simplicia quasi vana, magnifica quasi impossibilia.“ [1])

4. Patres diserte sacramentorum proprium *effectum* dicunt esse *gratiam*. „Carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit; quomodo et ipsius baptismi carnalis actus, quod aqua mergimur, spiritualis effectus, quod delictis liberamur.“ [2]) „Caro abluitur ut anima emaculetur, caro ungitur ut anima consecretur, caro signatur ut anima spiritu illuminetur, caro corpore Christi et sanguine vescitur ut anima de Deo saginetur.“ [3])

5. Symbolis, Conciliorum definitionibus, facto publico paedobaptismi docemur credendum esse „*unum* baptisma“, „baptisma *in remissionem peccatorum*“, etiam eorum, qui vel *sensibus vel ratione destituuntur*, ita ut in ipsis nihil ad modum concionis possit operari.

COROLLARIUM **1.** Verba igitur sacramentalia non sunt, ut volunt Protestantes, solum concionalia, sed *consecratoria*. Consecratoria autem sunt non solum quia, cum sint institutionis divinae, sacra sunt, sed modo prorsus speciali. In plerisque sc. sacramentis, i. e. in sacramentis *transeuntibus* verba determinando atque elevando materiam una cum ea ipsum hominem consecrant. In sacramento *permanente*, i. e. Eucharistia non quidem immediate hominem sanctificant, sed hominem mediante sacramento, i. e. corpore Christi sub speciebus panis et vini praesente; consecrant materiam eam transmutando ac species ad statum sacramentalem transferendo, consecrant corpus et sanguinem Christi efficiendo ut res haec sacratissima in statu sacramentali reddatur praesens, consecrant ipsum sacramentum, illud efficiendo.

A Calvino aliisque obiicitur, *Augustinum* virtutem sacramentorum tribuere fidei, cum scribat: „Unde ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? Nam et in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens.“ [4]) At perperam. Nam Augustinus hoc loco id solum docet, verbo quod in baptismo est invocatio Trinitatis, vim mundandi non competere, ut est sonus materialis, sed secundum sensum eius, qui utique fide tenetur; quod quidem verbum ibidem docet idem Augustinus tantum valere, ut „etiam tantillum mundet infantem quamvis nondum valentem corde credere ad iustitiam et ore confiteri ad salutem“, atque adeo valere non solum concionando, sed maxime consecrando.

---

[1]) Tertull. De bapt. 2.
[2]) Tertull. De bapt. 7.
[3]) Tertull. De resurr. carn. 8.
[4]) Augustin. In Ioan. tr. 80, 3.

2. *Mensura*, secundum quam in suscipientibus sacramenta producitur gratia, a Concilio Tridentino (Sess. 6 c. 7) affertur duplex: altera remotior, sc. arbitrium Spiritus Sancti, qui partitur singulis prout vult, altera proxima „*propria cuiusque dispositio et cooperatio*". Quamvis enim sacramenta, cum ex opere operato operentur gratiam, ex se sint eiusdem semper efficaciae, eo ipso quod virtutis sint infinitae, infinita cum contineant merita Christi, ut ad certum determinatumque gradum gratiae efficiendae limitentur oportet. „Actus activorum recipiuntur in passivis secundum suam dispositionem; et ideo quamvis baptismus ut passio Christi quae in eo operatur, quantum est de se, aequalem respectum ad omnes habeat, quia tamen quidam ad baptismum cum maiore praeparatione fidei et devotionis accedunt quam alii, ideo quidam aliis maiorem gratiam consequuntur; nullus enim gratiam in termino recipit, ut intendi non possit per baptismum." [1])

3. Virtus salutifera in sacramenta derivatur *a divinitate per Christi humanitatem*, idque specialiter per Christi *passionem*. „Sacramentum operatur ad gratiam causandam per modum instrumenti. Est autem duplex instrumentum: unum quidem separatum, ut baculus; aliud autem coniunctum, ut manus; per instrumentum autem coniunctum movetur instrumentum separatum, sicut baculus per manum. Principalis autem causa efficiens gratiae est ipse Deus, ad quem comparatur *humanitas* Christi sicut instrumentum coniunctum, sacramentum autem sicut instrumentum separatum; et ideo oportet, quod virtus salutifera a divinitate Christi per eius humanitatem in ipsa sacramenta derivetur. [Unde idem S. Thomas sacramenta vocat „dominicae incarnationis reliquias" [2]).] Gratia autem sacramentalis ad duo praecipue ordinari videtur; videlicet ad tollendos defectus praeteritorum peccatorum, inquantum transeunt actu et remanent reatu; et iterum ad perficiendam animam in his, quae pertinent ad cultum Dei, secundum religionem vitae christianae. Manifestum est autem ex his quae supra dicta sunt, quod Christus liberavit nos a peccatis nostris, praecipue per suam *passionem*, non solum efficienter et meritorie, sed etiam satisfactorie; similiter etiam per suam passionem initiavit ritum christianae religionis, offerens seipsum oblationem et hostiam Deo, ut dicitur Ephes. 5. Unde manifestum est, quod sacramenta Ecclesiae specialiter habent virtutem ex passione Christi, cuius virtus quodammodo nobis copulatur per susceptionem sacramentorum: in cuius signum de latere Christi pendentis in cruce fluxerunt aqua et sanguis: quorum unum pertinet ad baptismum, aliud ad Eucharistiam, quae sunt potissma sacramenta." [3]) — Quamobrem de omnibus valent sacramentis quae

---

[1]) S. Th. 4 dist. 4 q. 2 a. 3.

[2]) S. Th. Prolog. l. 4 ad Annibald.

[3]) S. Th. l. c. a. 5. — His verbis Angelici putat Harnack (Dogmengesch. 3, 475) clare ostendi, doctrinam catholicam de sacramentis invehi *duplicationem* quandam redemptionis factae per Christum novumque aedificium superstrui quod aedificium a Christo exstructum penitus obruat; id quod ceteroquin dicit sponte consequi inde quod gratia ponatur quid physicum. At vero, quamquam gratia quid physicum est, uti probatur in tractatu de gratia, nullatenus tamen nova inde inducitur redemptio: una eademque enim prorsus gratia quam Christus promeruit, sacramentis efficitur, quod quidem aliud non est quam: singulis hominibus applicatur.

Augustinus de baptismo habet: „Unde rubet baptismus Christi, nisi Christi sanguine consecratus?“ [1])

SCHOLION. Hic de sacramentis *Veteris Testamenti* aliqua dicenda videntur.

1. *Generatim* conveniunt theologi omnes etiam in V. T. fuisse sacramenta proprii nominis. Cum vero de N. T. sacramentis revelatione divina plurima nobis innotescunt certissima, quantum ad sacramenta V. T. nec de ritibus, quibus contineantur, nec de eorundem notis essentialibus cum eadem certitudine constat. [2])

Differre intrinsecus utriusque Testamenti sacramenta, sic definivit Concilium Tridentinum (Sess. 7 c. 2): „Si quis dixerit, ea ipsa N. L. sacramenta a sacramentis A. L. non differre nisi quia ceremoniae sunt aliae et alii ritus: a. s.“ *In quo* vero differant, sic breviter explicat Concilium Florentinum (pro Armen.): „Sacramenta N. L. multum a sacramentis differunt A. L. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant, haec vero nostra et continent gratiam et ipsam digne suscipientibus conferunt.“ — Prouti igitur utriusque Testamenti diversa fert indoles, sanctitas intelligenda erit respondens huic oeconomiae; sc. in sacramentis V. T. sanctificatio legalis in praesenti efficienda, sanctificatio theologica seu gratia in futuro conferenda.

2. *Speciatim* dicendum est de *circumcisione* et *sacramento legis naturae.* Certa habet theologorum doctrina, quam nefas est negare, ex Dei voluntate salvifica universali etiam ante institutum baptisma aliquod fuisse remedium ad delendum peccatum originale etiam in infantibus atque adeo citra propriam hominis salvandi cooperationem. Quod remedium in actu aliquo religioso *externo* consistere, quo infantes Ecclesiae visibili aggregarentur, cum S. Thoma communis tenet theologorum sententia. Pro pueris Israelitis hoc medium erat *circumcisio;* pro reliquis infantibus illud non adeo determinatum, quod *sacramentum legis naturae* dicitur. [3]) „In V. T. infantibus, ait Innocentius III, originalem culpam remissam fuisse per circumcisionis mysterium . . . absit enim, ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta

---

[1]) Augustin. In Ioan. tr. 11.

[2]) Proprii nominis sacramenta V. T. creduntur esse circumcisio, initiatio sacerdotum, agnus paschalis, panis propositionis, expiationes. Cf. S. Th. 1, 2 q. 102 a. 5.

[3]) Signum hoc in lege naturae maxime dicendum est fuisse *indeterminatum.* Cuius rei hanc rationem reddit S. Thomas: „Sicut in statu legis naturae homines nulla lege exterius data, sed solo interiori instinctu movebantur ad Deum colendum, ita etiam ex interiori instinctu determinabatur eis, quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum uterentur. Postmodum vero necesse fuit etiam exterius legem dari, tum propter obscurationem legis naturae ex peccatis hominum; tum etiam ad expressiorem significationem gratiae Christi, per quam humanum genus sanctificatur; et ideo etiam necesse fuit res determinari quibus homines uterentur in sacramentis. Nec propter hoc arctatur via salutis; quia res, quarum usus est necessarius in sacramentis, vel communiter habentur, vel parvo studio adhibito haberi possunt.“ (S. Th. 3 q. 60 a. 5 ad 3.)

multitudo moritur, quin misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem.“ [1]) „Nec tamen credendum est, inquit Augustinus, et ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo sacramento eius opitulatos fuisse parvulis suis, quamvis quid illud esset aliqua necessaria causa Scriptura latere voluerit.“ [2])

Attamen neque circumcisioni neque sacramento legis naturae *virtus* erat, ut ipsius vi ritus peccatum delerent. Constat hoc ex citatis Ecclesiae definitionibus, constat etiam ex doctrina Pauli, qui ut probet „ex operibus legis non iustificari omnem carnem“, in Abrahamo ut prototypo ostendit, circumcisionem fuisse sine gloria coram Deo, non per circumcisionem, sed per fidem Abrahamum iustificatum fuisse, circumcisionem solum signaculum fuisse iustitiae fidei (cf. Rom. 4, 2 sq.).

Quomodo ergo haec cum illis, quae de V. T. sacramentorum efficacia dicta sunt, *componentur?* Deus cum supernaturalem ordinem instituere vellet in similitudinem et cum connexione ad ordinem naturalem, Adamum caput generis humani physicum caput etiam effecit morale, Christum vero, quo genus nostrum in Adamo lapsum repararetur, alterum Adamum (Gal. 3). Voluit igitur Deus, ut qui per generationem naturalem inserti erant primo Adamo, alteri, ut salvarentur, Adamo insererentur capiti ordinis reparati, seu ut populo aggregarentur Dei Christique Ecclesiae. Quae insertio in infantibus cum actibus propriis fieri non posset, per alios ipsorum nomine fieri debebat, maxime per parentes, sub quorum erant cura. Hic vero actus, cum nomine poneretur alterius, cumque praeterea Ecclesia ad quam infantes aggregarentur societas esset visibilis, in signo aliquo externo necesse erat ut constaret. Actu igitur hoc externo, sive circumcisio erat sive sacramentum legis naturae, infantibus fides applicabatur Ecclesiae ita ut ex numero censerentur fidelium atque dispositi ad recipiendam gratiam ex meritis Christi capitis. Deus igitur causa efficiens erat gratiae, merita Christi causa moralis, fides in Christum dispositio ad gratiam, sacramentum medium, quo fides applicabatur. Verum itaque est utrumque: sc. et sacramenta illa „infirma et egena elementa“ fuisse (Gal. 4. 9), et, ut ait Innocentius III, „per mysterium“ illorum fuisse remissa peccata; breviter dici poterit, *non per* sacramenta V. T. fuisse peccata remissa, sed *in* illis sacramentis, seu *non causam* ea fuisse gratiae, sed signum ac *conditionem.* „Peccatum originis in infante significabatur expiari circumcisione octavi diei, hoc est sacramento Mediatoris in carne venturi, quia per eandem fidem venturi in carne Christi et morituri pro nobis etiam iusti salvabantur antiqui.“ [3])

---

1) Cap. ‚Maiores‘ de bapt. 3 tit. 42 c. 3.

2) Augustin. C. Iul. 5, 11.

3) Augustin. De nupt. et concup. 2, 11. Cf. S. Th. 3 q. 70 a. 4. — De modo, quo in circumcisione gratia conferebatur, inter *Thomistas* et *Scotistas* controversia fuit. Illi *non ex vi sua*, sed solum *ratione fidei* circumcisionem docuerunt gratiam operari; isti circumcisionem produxisse gratiam voluerunt ut signum efficax sive ex opere operato. Quae controversia ita fortasse componi poterit, ut circumcisio dicatur efficax fuisse *quasi* ex opere operato, i. e. independenter quidem a merito suscipientis et ministrantis, sed non vi ipsius ritus.

Quemadmodum itaque universim Vetus Testamentum, prout foedus est peculiare initum per Moysen cum populo Israelitico, Novum Testamentum, Ierusalem coelestis se habent ad invicem ut umbra, figura, veritas (σκιά, εἰκών, πράγματα Hebr. 10, 1): ita speciatim duplex haec relatio in sacramentis obtinet utriusque Testamenti. Scilicet Novi Testamenti sacramenta demonstrativa sunt et effectiva gratiae praesentis atque adeo etiam commemorativa passionis Christi, a cuius meritis omnis derivatur sacramentorum virtus; per utramque autem significationem gloriae futurae sunt prognostica. Sacramenta Veteris Testamenti erant demonstrativa et efficientia sanctificationis legalis, prognostica Christi meritorum futurorum et vitae aeternae.

Thesis 4.

Causalitas sacramentorum moralis est.

Sacramenta N. L. veras esse causas gratiae dogma est fidei. Non vero ad fidem catholicam pertinet accuratior determinatio *modi, quo gratiam causent.* Imo de hoc modo acriter *controvertitur.*[1])

Alii, in quibus Thomistae, Suarezius, Bellarminus et probabiliter S. Thomas[2]), volunt ritum sacramentalem gratiae esse causam *physicam.* Alii, in quibus Scotus, Vasquez, Lugo, Franzelin, non admittunt eiusdem nisi causalitatem *moralem.* Causa *physica* dicitur illud quod sua ipsius operatione effectum producit, sicut sol lucem; *moralis,* quae mediante cognitione et affectione excitata inducit causam liberam ad effectum producendum, qualia sunt opera supernaturalia respectu gloriae (cf. 2 Cor. 4). Qui ritui sacramentali causalitatem physicam tribuunt, ipsum sensibile signum a Deo elevari docent ita, ut sua physica operatione in animam agat ac sive per qualitatem creatam superadditam sive per potentiam obedientialem activam producat gratiam vel, si obstet obex, titulum qui gratiam exigat. Similitudo ponitur a S. Thoma: „in ipsa voce sensibili est quaedam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis, inquantum procedit a conceptione mentis“[3]). Qui ritui sacramentali non adscribunt nisi causalitatem moralem, in hoc ritu aliquam inesse dicunt ordinationem efficacem ad gratiam, scilicet

---

[1]) De hac controversia cf. *Reinhold,* Die Streitfrage über die physische oder moralische Wirksamkeit der Sacramente.

[2]) *Ante S. Thomam* ab omnibus fere supponebatur, nullam virtutem instrumentalem immediate ad ipsam gratiam posse pertingere, sed solum ad *ornatum* quendam in anima producendum, sive *characterem* sive *dispositionem* ad gratiam, quam solus Deus immediate animae infundat. Ipse *S. Thomas* in Commentario hanc approbat sententiam, in Summa vero docet, sacramenta ut instrumenta divinae virtutis causare etiam gratiam.

[3]) S. Th. 3 q. 62 a. 4 ad 1.

bonitatem vel dignitatem, quae Deum moveat ad gratiam suam conferendam; ita ut sacramenta quamvis, si considerentur ut synthesis ex ritu sensibili et virtute divina, sint gratiae causae physicae, ipse tamen ritus sensibilis physice non agat in animam. „Ponunt hoc exemplum: rex statuit, ut qui habent tale signum habeant centum libras; post istam institutionem signum illud non habet aliquam proprietatem absolutam, quam non haberet prius, ad aliquid tamen est ordinatum, ad quod non erat prius.“ [1]) Atque haec quidem moralis causalitas nobis magis probatur; utpote cui, ut ait S. Bonaventura, „pietas fidei non repugnat et ratio consentit“ [2]).

DEMONSTRATUR: **1.** Causalitas physica sacramentorum pluribus obnoxia est *difficultatibus*. Iam vero „non debemus res nostrae fidei absque necessitate difficiliores et obscuriores reddere, sed potius quantum fieri possit faciliores et magis ad captum vulgi et infidelium accommodatas“ [3]). Praecipuas aliquas illiusmodi difficultates recenset Seraphicus: „Valde difficile est intelligere qualiter illa virtus detur sicut qualitas absoluta; difficilius quando detur; difficile etiam est intelligere cui detur, verbo sc. an elemento; difficile etiam est scire quamdiu duret; difficile est similiter valde intelligere quando influat; difficile etiam cuius naturae sit in se ipsa; et multa talia.“ [4]) Praeterea speciales sunt quaedam difficultates: a. Sacramenta remoto obice conferunt gratiam: at physice tunc non iam existunt. b. Materia et forma physice non semper coexistunt. c. Prolatis ultimis formae verbis, quando gratia producitur, priora physice non amplius existunt. d. „Adde physicam efficaciam et concursum videri toti dignitati sacramentorum non parum derogare: etenim ridiculum profecto apparet, totam sacramentorum vim et efficientiam ad extremum quoddam soni aut motus indivisibile revocare, quod physico concursu gratiam producat.“ [5])

2. *Nulla* videtur esse *necessitas* admittendi huiusmodi difficultates. Nam *vera* sacramentorum *causalitas*, qualis in revelatione docetur, satis salvatur, si causalitas admittatur moralis. Quod ut melius pateat, rem aliquantulum fusius placet tractare.

Signum *practicum* dicimus illud quod directa intentione assumitur ad significandam positionem alicuius rei in ordine ontologico consequenter ad positionem signi. Eiusmodi signum esset v. g. vocabulum ‚aurum‘, si ex institutione directa significaret crumenam

---

[1]) S. Bonav. 4 dist. 1 p. 1 a. 1 q. 4.
[2]) S. Bonav. l. c.
[3]) Lugo, Disp. 4 sect. 4.
[4]) S. Bonav. l. c.
[5]) Vasquez, Disp. 132 c. 6.

actu impleri auro, dum vocabulum profertur, ideo quia haec est vocabuli auri significatio. Quamvis non possit esse in hominum potestate talia signa instituere illisque eam significationem indere: in *Dei* certe est potestate, ut eiusmodi signa instituat quae voluntatem suam actu conferendi gratiam significent. Quae si instituat, ea sane verae causae gratiae iure dicenda erunt. Quod ut melius intelligatur, conferamus huiusmodi signum practicum gratiae cum circumcisione. Novimus datam fuisse gratiam infantibus, dum circumcidebantur; unde merito circumcisio signum gratiae erat. At nullatenus practicum. Non enim Deus per circumcisionem voluit directe significare voluntatem suam conferendi actu gratiam, sed immediate intendit significare iudicium suum, quo puerum circumcisum tamquam membrum populi sui peculiaris habebat. Unde si circumcisionem consideremus formaliter, praecisione facta a promissione antecedente Dei gratiam pueris circumcisis conferendi, eo ipso non amplius intelligimus effectum gratiae circumcisioni coniunctum, licet adhuc intelligamus effectum aggregationis pueri ad populum Dei: hoc enim, non illud circumcisio formaliter significabat. Secus dicendum est de signo practico gratiae, quia praescindamus licet a qualibet voluntate Dei antecedente conferendi gratiam, nihilominus sane voluntatem intelligimus veluti actu provocari ab ipsomet signo, quod illam formaliter ut praesentem significat. Inde patet, quam longe a veritate aberrent ii qui eiusmodi gratiae signa esse gratiae solas conditiones arbitrentur. Merae enim conditionis illud certe proprium est, ut ea sola posita nondum intelligatur effectus, ut qui in ea minime contineatur. Similiter signum practicum sensu explicato multum differt a signo tantum memorativo, cuiusmodi est v. g. arcus coelestis. Arcus enim coelestis ex Dei institutione significat voluntatem suam non amplius terras diluvio universali obruendi; at non significat voluntatem Dei qui actu promittit, sed qui olim promisit, quam promissionem sane irrevocabilem arcus perpetuo in memoriam revocat: quapropter si praescindatur a promissione Dei semel facta, cum primo post diluvium arcus in nubibus apparuit, eo ipso omnem significationem arcus amittit. Quae sane de signo practico gratiae dici nequeunt, utpote quod ipsum signum iugis est ac semper nova voluntatis divinae gratiam actu conferentis manifestatio. — Ceterum si exemplum signi vere practici quaeramus, illud cerni potest in verbis a Christo secundum divinam naturam prolatis: Lazare, veni foras. Haec etenim verba significabant ex Dei directa intentione voluntatem Dei ipsius actu Lazarum a mortuis suscitantis. Eiusdem autem plane rationis sunt signa practica gratiae, sc. ritus sacramentales, quae ideo iure merito verba realia Dei sanctificantis appellantur.

Quibus positis satis iam intelligitur, quomodo ritus sacramentalis vera sit *causa* gratiae, quamvis moralis; idque imprimis si sacramenta considerantur, ut sunt instrumenta *Dei*. Signa enim, qualia cognovimus esse sacramenta, ex *vi ipsa significandi* exigunt actu collationem gratiae. Exigentia enim haec intime inest signo, quia ex eius veracitate procedit; nil autem est magis proprium atque intrinsecus conveniens signo moraliter spectato quam eius veracitas. Insuper vera exigentia est, quia veracitas signi nihil aliud est nisi veracitas ipsa Dei illo signo manifestantis voluntatem suam actu conferendi gratiam; veracitas autem Dei est profecto vera ratio infinita efficacia sollicitans voluntatem Dei ad gratiam dandam, sine qua Deus mendax esset. Ergo veracitas Dei ac proinde veracitas signi et consequenter vis significandi ipsius seu signum ipsum ex sua formali ratione vere et proprie exigit gratiae collationem. — Insuper signa practica gratiae non solum veracitatem Dei moraliter continent, sed et Dei veritatem atque omnipotentiam. Sunt enim expressiones suppositivae divini iudicii affirmantis ac divini imperii decernentis gratiam. Ergo signum practicum gratiae, quia verax, quia verum, quia imperativum, causa moralis gratiae dici potest ac debet. Huiusmodi autem sunt sacramenta N. L. „Sicut litterae regiae annulo regis sigillatae magnae sunt dignitatis et virtutis et valoris et magna dicuntur et posse et facere, tamen in eis nulla virtus est absoluta, sed sola ordinatio per assistentiam virtutis regiae: sic intelligendum in sacramentis, et sic loquuntur Sanctorum auctoritates secundum communem usum.“ [1])

Atque sic quidem patet sacramenta veras gratiae causas esse, si considerentur ut sunt instrumenta Dei. Porro non solum Dei sacramenta sunt, sed modo prorsus peculiari *Christi*. Christus enim ritus sacramentales assumpsit, ut iugis sint suae ad Patrem postulationis manifestatio aliqua, utque insit in ipsis supernaturalis dignitas proveniens ex meritis ipsius Christi atque exigens eorum qui initiantur sanctificationem. „Quemadmodum ergo esset erroneum asserere, sanguinem Christi vel passionem vel humanitatem non esse veras causas nostrae iustificationis et gratiae, ita quoque error est manifestus negare, sacramenta esse causas efficientes instrumentales nostrae salutis, gratiae et iustitiae, loquendo de causa morali. Id enim perinde est ac si quis neget, suscipientes sacramenta Christi consequi remissionem peccatorum ex virtute sanguinis eiusdem Christi, cuius pretium eis in sacramentis suscipiendis communicatur; quod sine grandi errore negari non queat. Quemadmodum si ego essem apud

---

1) S. Bonav. l. c.

Turcas captivus, et eum qui daret pecunias redemptionis, videlicet pretium, et manum qua pecunias porrigeret et pecunias etiam ipsas, quae sunt instrumenta ad redimendum, redemptionis causas esse, non naturales quidem, sed morales, nemo sanae mentis ibit infitias.“ [1])

Concludamus cum Doctore Seraphico: „Utraque harum positionum (sc. efficientia physica et moralis) satis videtur probabilis, haec tamen (sc. efficientia moralis) mihi videtur ad sustinendum facilior; nescio tamen quae sit verior, quia cum loquimur de his quae sunt miraculi, non multum adhaerendum est rationi. Concedimus igitur, quod sacramenta N. L. sunt causa et efficiunt et disponunt, et hoc securum est dicere; utrum autem plus habeant, nec volo affirmare nec negare.“ [2])

SCHOLION. Sunt ex recentioribus, qui causalitatem sacramentorum sibi videntur posse statuere *peculiarem*, quae sc. nec proprie physica sit nec moralis.

Scheeben docet efficaciam sacramentorum *organico-dynamicam* esse dicendam, inquantum ipse sacramentorum *minister* quasi organum sit causae principis sanctificantis, sc. Christi. [3]) At vero secundum doctrinam et Scripturae et Traditionis non tam minister, quam ipse ritus sensibilis (sc. aqua, verbum etc.), qui ritus utique a ministro est ponendus, causa gratiae dicendus erit.

Billot causalitatem inter physicam et moralem ponit mediam, quam *intentionalem* vocat. Urgens illud S. Thomae: „sacramenta significando causant“, sacramenta docet, prout signa sunt, assumi a Deo „in instrumenta intellectus *imperantis*“ et efficaciter ordinari ad supernaturalem effectum producendum; unde „pertingere, ait, instrumentaliter ad operis effectionem, non ut perficientia, sed ut *disponentia* tantum“ [4]). Verum hac explicatione admissa iam non ipsius gratiae sacramenta sunt causae verae atque effectivae, sed mera signa, aliud non efficientia quam dispositionem praeviam ad gratiae infusionem; cuiusmodi dispositionem, immediatum sacramentorum effectum, cum veteribus ipse etiam S. Thomas postquam prius admisit [5]), postea merito reiecit. [6])

Lehmkuhl quo rem facilius explicet, per ritum sacramentalem directe non tam gratiam, quam relationem ac titulum iuris ponit produci, quo titulo exigatur ut Deus gratiam conferat. [7]) At vero hac explicatione posita non intelligitur, quomodo per ipsum ritum sacramentalem plus quid efficiatur quam relatio ad Deum externa; talis autem relatio non sufficit ut vis ritus plene explicetur. Nec profecto est cur, cum certe Christi humanitas, instru-

---

[1]) Canus, De sacram. p. 4.
[2]) S. Bonav. l. c.
[3]) Cf. Scheeben, Dogm. vol. 3 n. 1090 sq.
[4]) Billot, De sacram. in genere.
[5]) S. Th. De verit. q. 27 a. 4 ad 13.
[6]) S. Th. 4 d. 1 q. 1 a. 4.
[7]) Kirchenlex. s. v. Sacrament.

mentum divinitatis coniunctum, et in corporibus et in animis directe producat effectus salutares, eadem efficacia sacramentorum ritibus, qui sunt instrumentum separatum, competere negetur.

Thesis 5.

Gratia sacramentalis 1. est gratia habitualis specialem ordinem habens ad fines sacramentorum proprios, 2. est gratia vel prima vel secunda.

Thesis, cum declarata fuerit, eo ipso satis probata esse censeri poterit.

1. Quaeritur in quo gratia *sacramentalis* a gratia *communiter* dicta differat. Respondet S. Thomas:

„Gratia secundum se considerata perficit essentiam animae, inquantum participat quandam similitudinem divini esse; et sicut ab essentia animae fluunt eius potentiae, ita a gratia fluunt quaedam perfectiones ad potentias animae, quae dicuntur virtutes et dona, quibus potentiae perficiuntur in ordine ad suos actus. Ordinantur autem sacramenta ad quosdam *speciales* effectus necessarios in vita christiana; sicut baptismus ordinatur ad quandam spiritualem regenerationem, qua homo moritur vitiis et fit membrum Christi: qui quidem effectus est aliquid *speciale* praeter actus potentiarum animae; et eadem ratio est de aliis sacramentis. Sicut igitur virtutes et dona addunt super gratiam communiter dictam quandam perfectionem determinate ordinatam ad proprios actus potentiarum, ita gratia sacramentalis addit super gratiam communiter dictam et super virtutes et dona *quoddam divinum auxilium ad consequendum sacramenti finem:* et per hunc modum gratia sacramentalis addit super gratiam virtutum et donorum.“ [1])

Speciale itaque illud quod gratia sacramentalis addit supra gratiam communiter dictam, est aliquod divinum auxilium ad consequendum finem uniuscuiusque sacramenti proprium. Quod auxilium alii volunt esse auxilium *actuale* seu ius ad speciales gratias actuales pro variis sacramentorum finibus; alii ex ordine providentiae praesentis, quo Deus ad sananda peccati vulnera principia voluit esse permanentia et inhaerentia, probabilius dicunt esse auxilium *habituale* seu dispositionem permanentem.

2. Sacramenta alia sunt quae per se instituta sunt ad conferendam gratiam *primam*, i. e. eam qua quis primo iustificatur, cum de statu peccati in statum iustitiae transfertur; alia quae instituta sunt ad gratiam *secundam* conferendam, i. e. gratiae aug-

---

[1]) S. Th. 3 q. 62 a. 2.

mentum in eo, qui iam habet vitam gratiae. Haec dicuntur sacramenta *vivorum*, illa *mortuorum*.

1. *Certum* est sacramenta *mortuorum* in *iustis* causare gratiam *secundam*. Et sane: sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicem; at vero qui iustus est, non ideo quia iustus est obicem ponere dici potest gratiae: ergo consequetur gratiam; non vero primam, quam iam habet, ergo secundam.

2. *Probabile* est, sacramenta *vivorum* causare gratiam *primam* in *peccatoribus*, modo attriti bona fide sacramenta suscipiant. Est sententia S. Thomae[1]) et communior. Et sane: sacramenta conferunt gratiam in non ponentibus obicem; at vero peccatores, qui attriti bona fide sacramenta suscipiunt, non ponunt obicem. Obex enim, i. e. dispositio contradicens virtuti sacramenti, non est ipsa macula peccati, sed voluntas peccato vel actualiter vel habitualiter inhaerens. At huiusmodi voluntas in peccatore attrito bona fide ad sacramenta accedente nulla est.

COROLLARIUM. Dictum est sacramenta conferre gratiam *non ponentibus obicem*. Ergo sacramenta *valida* esse possunt, quin sint *fructuosa:* valida enim sunt, si ex parte sacramenti nihil deest ad gratiam producendam, fructuosa praeterea sunt, si vere gratia confertur. Quodsi sacramenta valida sunt, quin sint fructuosa, *informia* dicuntur; quia videlicet sunt sine gratia quae sacramentorum velut forma est. Si remoto obice gratia confertur, sacramenta dicuntur *reviviscere.*

Reviviscentia haec certe obtinet in *baptismo*, probabiliter in *confirmatione*, *ordine*, *matrimonio*, *extrema unctione*. Ratio est, quia hinc quidem haec sacramenta (saltem quandamtenus) non licet iterare, inde vero difficulter admitti poterit, velle Deum eos qui, postquam indigne ea susceperint, poenitentiam peccati egerint, in pepetuum fructu eorum carere. Reviviscentia porro probabiliter non est in *poenitentia* et *Eucharistia;* quae sacramenta nunquam valida esse videntur, quin simul sint fructuosa.[2])

Thesis 6.

Sacramentis aliquibus, sc. baptismo, confirmatione, ordine, 1. imprimitur character sc. signum quoddam spirituale et indelebile, qui 2. est potentia quaedam ontologica animae inhaerens.

Character (χαρακτήρ a χαράσσω, sculpo) est nota inscripta vel insculpta alicui rei, ut dignosci possit. Characteris nomen antiquitus in usu erat ad designandam notam indelebiliter corpori impressam in signum mancipationis ad servitutem vel militiam. Character,

---

[1]) S. Th. 3 q. 79 a. 3.
[2]) Cf. Linzer Quartalschr. 1884, 745 sq.

qui nonnullorum sacramentorum effectus est, a Concilio Tridentino (Sess. 7 c. 9) definitur: „signum quoddam spirituale et indelebile“. Investigabimur, *an* sit huiusmodi character et *quid* sit.

Existentiam characteris negaverunt *Wicleffus* et *Protestantes* omnes. Eam sic definivit *Concilium Tridentinum* (l. c.): „Si quis dixerit, in tribus sacramentis, baptismo sc., confirmatione et ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt: a. s.“ *Existentia* igitur characteris *de fide* est. Circa characteris *essentiam* nonnulla *controvertuntur.*

DEMONSTRATUR: **I.** Aliquibus sacramentis imprimitur *character.*

1. Ex *ratione* suadetur esse characterem. „Quicunque ad aliquid certum deputatur, consuevit ad illud consignari, sicut milites, qui adscribebantur ad militiam, antiquitus solebant quibusdam characteribus corporalibus insigniri, eo quod deputabantur ad aliquid corporale. Et ideo, cum homines per sacramenta (aliqua) deputentur ad aliquid spirituale pertinens ad cultum Dei, consequens est, quod per ea fideles aliquo spirituali charactere insigniantur.“ [1]

2. Ex *Scriptura* nonnulla afferri possunt ex quibus, maxime adhibita interpretationis norma Ecclesiae Traditione doctrinam Scripturae distinctius explicante, colligitur praeter gratiam alium esse aliquorum sacramentorum effectum sc. characterem.

a. Dicimur *signari* in Spiritu Sancto. „Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis“ (Eph. 4, 30).

b. Declaratur huius sigilli *relatio* esse custodiae ad *gratiam* sacramento acceptam. „Signati estis in diem redemptionis“ (ibid.).

c. Diserte hoc sigillum a gratia sacramentali *distinguitur.* „Qui unxit nos, Deus (est); qui *et* (etiam) signavit nos (ὁ καὶ σφραγισάμενος ἡμᾶς), et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris“ (2 Cor. 1, 21 sq.).

Verum quidem est verba haec postrema ita explicari posse, ut dicta de operariis apostolicis muneris apostolici ac simul charismatum Spiritus Sancti collationem significent. Attamen cum Traditione teste characteris doctrina ad fidei depositum spectet atque adeo absque dubio Apostolo nota fuerit, talia scribentis Apostoli taliaque legentium mentibus fieri vix potuisse videtur ut illa fidei doctrina non obversaretur. Unde merito Catechismus Romanus: „Voce illa ‚signavit‘ Apostolus non obscure characterem descripsit.“

3. In *Traditione* germen quod in Scriptura continetur doctrinae de charactere magis magisque explicatur.

---

[1]) S. Th. 3 q. 63 a. 1.

a. A *Patribus vetustissimis* baptisma exhibetur ut *sigillum* (σφραγίς) impressum [1]), immaculatum [2]), infragile [3]), custodia perfecta et sigillum Domini [4]), signaculum in Christo muniens contra tentationes [5]), signaculum datum a Christo fidelibus [6]), signaculum salutare, immortalitatem conferens [7]). — *Comparatur* hoc signum cum inscriptione numismatis [8]), signaculo ovium [9]), et militum [10]), circumcisionis nota [11]), signatione postium Israeliticarum [12]). — *Munus* huius sigilli exhibetur esse, ut a Christo Domino cognoscamur etiam quando desertores evadimus [13]), ut angeli nos inde Dei domesticos cognoscant ac tueantur [14]), ut sit nobis praesidio contra daemones [15]), ut sit signaculum ad custodiam et conservationem gratiae [16]). — Huiusmodi signum iam ab *Apostolo* agnitum esse Patres docent provocantes, ut Ambrosius [17]) et Chrysostomus [18]), ad Eph. 1, 13 et 2 Cor. 1, 21.

b. In controversia cum rebaptizantibus et maxime cum Donatistis doctrina de charactere sacramentali maxime ab *Augustino* ipsa etiam voce characteris invecta distinctius proposita et expolita est. Rebaptizantes illi saec. 3, inter quos Cyprianus, baptismum ab haereticis collatum invalidum esse existimaverunt atque adeo renovandum; Donatistae saec. 4 valorem sacramentorum omnium tum a fide tum a sanctitate ministri pendere voluerunt. Et catholicis et haereticis illis dogma erat inconcussum, sacramenta baptismatis, confirmationis, ordinis semel valide collata iterari non posse. Opportunum autem erat, ut contra illos haereticos ratio, cur sacramenta illa non possunt iterari, diligentius inquireretur. At vero rationem hanc Augustinus sitam docet esse in charactere. Duplex enim affirmat esse fidei dogma: a. tria illa sacramenta semel collata etiam iis qui gratiam non percipiunt ita haerere in aliquo suo effectu,

---

1) Herm. Pastor, Sim. 9, 16.
2) Clem. Rom. 2 Cor. 7.
3) Const. Apost. 3, 16.
4) Clem. Alex. apud Euseb. Hist. 3, 23.
5) Acta S. Theclae 8.
6) Hippolyt. De Christo et Antichr. 6.
7) Euseb. Vita Const. 62.
8) Eclog. Theodoti apud Clem. Alex. 86.
9) Eclog. Theodoti l. c.
10) Cyrill. Hierosol. Procat. 16.
11) Chrysost. Hom. 3 in 2 Cor. 7.
12) Basil. Hom. in s. bapt. 11; Gregor. Naz. Or. 40 in s. bapt. 4.
13) Chrysost. l. c.
14) Cyrill. Hierosol. Procat. 4.
15) Cyrill. Hierosol. Procat. 16; Basil. Hom. in bapt. 4.
16) Ambros. De Spir. S. 1, 79.
17) Ambros. l. c.
18) Chrysost. Hom. 2 in Eph., 3 in 2 Cor.

ut iterari non possint[1]); b. hunc effectum esse signum aliquod, quo homo initiatus specialem habeat consecrationem. Atqui in his doctrina de charactere trium illorum sacramentorum clare continetur. Audiamus aliqua ad utrumque dogma probandum testimonia.

α. „Induunt homines Christum aliquando usque ad sacramenti perceptionem, aliquando et usque ad vitae sanctificationem; atque illud primum et bonis et malis potest esse commune, hoc autem alterum proprium est bonorum et piorum.“ [2]) — „Nec tamen sacramentum *baptismatis*, quod in eis (peccatoribus) est, *nihil* est . . . Si resipiscant et redeant, salus eis, quae recesserat, redit; baptisma vero, quia non recesserat, non redit . . . Baptismus Christi in utrisque (peccatoribus et haereticis) agnoscendus et in nullis improbandus, sive antequam convertantur, quamvis eis nihil prosit, sive cum convertuntur, ut prosit.“[3]) — „Sacramentum *chrismatis* in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus; sed potest esse in hominibus pessimis.“ [4]) — „Sicut baptismus in eis (episcopis a schismate redeuntibus), ita *ordinatio* mansit integra, quia in praecisione fuerat vitium, quod unitatis pace correctum est, non in sacramentis quae, ubicunque sunt, ipsa sunt.“ [5])

β. „Utrumque (baptismus et ordo) sacramentum est et quadam *consecratione* utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur; ideoque in catholica utrumque non licet iterari.“ [6]) „Ovis es de grege Domini mei, cum signo errasti; ideo quaero magis, quia ipsum signum habes . . . Nescis, quia desertor de charactere damnatur, de quo miles honoratur? Ideo te quaero, ut non pereas cum signo . . . Hoc enim signum salutis extra tibi inesse potest, prodesse non potest.“ [7]) „Quod accepisti approbo, quia foris accepisti improbo . . . character est regis mei, non ero sacrilegus; corrigo desertorem, non immuto characterem.“ [8])

c. Doctrina ab Augustino expolita appellante semper ad fidem Ecclesiae toto orbe diffusae, uti erat communis fidei expressio, sic etiam *posteriori tempore* universali Ecclesiae consensu tenebatur.

---

[1]) Ex charactere sacramenti consequitur illud rite collatum iterari non posse; non vero ex eo, quod sacramentum iterari non potest, per se iam consequitur illud imprimere characterem. Nihilominus si doctrina de non repetendis sacramentis spectatur secundum modum, quo in Ecclesiae Traditione continetur sc. quod propter quid animae inhaerens iterari non possit, ea etiam veritas characteris includitur ac inde colligitur.

[2]) Augustin. De bapt. 5, 33.

[3]) Augustin. l. c. 6, 23.

[4]) Augustin. C. lit. Petil. 2, 239.

[5]) Augustin. C. ep. Parm. 2, 28.

[6]) Augustin. l. c.

[7]) Augustin. Sermo ad pleb. Caesar. 4.

[8]) Augustin. In Ioan. tr. 6, 16.

A Gregorio II in Epistola ad Bonifacium a. 726 hoc edicitur: „De homine, qui a pontifice confirmatus fuerit, denuo talis reiteratio prohibenda est.“ [1]) Ex aliis Pontificibus explicite de charactere sacramentali loquuntur Innocentius III saec. 12 ad archiepiscopum Arelatensem docens, characterem imprimi in baptismo etiam dormienti et amenti „modo voluntas contraria non obstet“ [2]). Gregorius IX saec. 13 ad archiepiscopum Baranensem, declarans etiam eos, qui extra tempora statuta ordines susceperint, characterem sacramenti habere; Eugenius IV saec. 15 in Decreto pro Armenis definiens: „Inter haec sacramenta tria sunt, baptismus, confirmatio et ordo, quae characterem, i. e. spirituale quoddam signum a ceteris distinctivum, imprimunt in anima indelebile: unde in eadem persona non iterantur; reliqua vero quattuor characterem non imprimunt et reiterationem admittunt.“

Magister provocans ad Augustinum haec habet: „Confirmatio non debet iterari, sicut nec baptismus vel ordo; nulli enim sacramento facienda est iniuria“ [3]); ad quae addit S. Bonaventura: „Non potest iterari propter characterem, qui imprimitur indelebiliter.“ Clarissime exponunt doctrinam de charactere Alexander Halensis et omnes scholastici deinceps. S. Thomas haec habet: „Characterem in sacramentis quibusdam imprimi, omnes moderni confitentur; sed in modo ponendi ipsum in anima partim differunt et partim conveniunt.“ [4]) Imo etiam illi qui, ut Scotus, Biel, Caietanus, characterem nec ex Scriptura nec ex Patribus satis probari posse putabant, „propter Ecclesiae auctoritatem“ eum admittebant credendum. Cum igitur character, quo tempore coepit negari, plenissimo in Ecclesia admissus fuerit consensu, argumentum pro rei veritate habetur validissimum *praescriptionis* et merito a *Concilio Tridentino* characteris existentia dogma fidei est definita.

2. De characteris *essentia* ex fidei deposito haec colliguntur:

Theologice certum est, characterem non esse meram relationem rationis et denominationem externam, ut voluit Durandus, sed aliquid *ontologicum ipsi animae inhaerens.* Probatur a. ex *Patrum* effatis ac similitudinibus, quibus characterem describunt, b. ex definitione maxime *Concilii Tridentini,* qua character declaratur esse *signum spirituale, indelebile, in anima impressum,* quae de mera relatione rationis dici non possunt.

---

1) Decr. 3 d. 5 c. 9.

2) Patet, quam absurde Chemnitius dicat characterem ab Innocentio III esse excogitatum.

3) Petr. Lomb. 4 dist. 7, 5.

4) S. Th. 4 dist. 4 q. 1 a. 11.

Quodsi quaeratur, in quo praedicamento character sit ponendus, manifestum est eum non pertinere, cum sit ens spirituale, ad praedicamentum vel quantitatis vel situs vel temporis, nec, cum sit quid permanens, ad praedicamentum vel actionis vel passionis. Erit igitur vel relatio vel qualitas. Cum porro, ut audivimus, non sit mera relatio, sed aliquid reale animae impressum, fundans utique relationem, dicendum erit characterem esse *qualitatem*. Iam vero duplex est genus qualitatis spiritualis, sc. habitus, ad quem reducitur etiam dispositio, qui est habitus incompletus, et potentia. Potentia illud est quo aliquid simpliciter possumus, ut intellectus; habitus est illud quo possumus aliquid bene vel male, qualis est scientia et gratia. At „cum character ordinetur ad aliquid simpliciter, non ad illud bene vel male, quia sacerdos potest conficere bene vel male, non potest esse quod qualitas super quam fundatur relatio characteris sit habitus, sed magis *potentia*.“ [1])

Iam vero, cuiusmodi sit haec potentia, in qua situs est character, ut intelligatur, *munus* eius oportet ut consideremus. „Sacramenta N. L. characterem imprimunt, inquantum per ea deputantur homines ad *cultum Dei* secundum ritum christianae religionis. Divinus autem cultus consistit vel in recipiendo aliqua divina vel in tradendo aliis. Ad utrumque autem horum requiritur quaedam potentia. Nam ad tradendum aliquid aliis requiritur quaedam *potentia activa*, ad accipiendum autem requiritur *potentia passiva*. Et ideo character importat quandam potentiam spiritualem ordinatam ad ea quae sunt divini cultus. Sciendum tamen, quod haec spiritualis potentia est *instrumentalis*, sicut etiam supra dictum est de virtute quae est in sacramentis.“ [2]) — Quae quidem characteris munera sic describit Catechismus Romanus: „Character hoc praestat, tum ut apti ad aliquid sacri suscipiendum vel peragendum efficiamur, tum ut aliqua nota alter ab altero internoscatur. Ac baptismi quidem charactere utrumque consequimur, ut ad alia sacramenta percipienda reddamur idonei, et eo praeterea fidelis populus a gentibus, quae fidem non

---

[1]) S. Th. 4 dist. 4 q. 1 a. 1. Haec qualitas, quatenus est in anima, secundum *Scotum* est modus realis cum anima identificatus, secundum *Thomistas* qualitas ab anima realiter distincta.

[2]) S. Th. 3. q. 63 a. 2. Patet potentiam, quae est character, non esse ipsam illam virtutem instrumentalem quae est sacramentorum, ideoque eam non attingere sacramentorum effectum sc. gratiam. Nihilominus fallitur *Bellarminus*, cum inde concludit characterem non esse nisi *moralem* potentiam, quatenus „ubicunque sit talis character, Deus ex pacto adsit et ad effectum producendum concurrat“. Etenim character, cum sit ens physicum sc. qualitas absoluta, potentia plane *physica* est, qua qui est instructus habet potestatem agendi ex officio atque ex Christi deputatione.

colunt, distinguatur. Idem autem in charactere confirmationis et sacri ordinis licet cognoscere: quorum altero veluti Christi milites ad eius nominis publicam confessionem et propugnationem ac contra insitum nobis hostem et spiritualia nequitiae in caelestibus armamur atque instruimur, simulque ab iis, qui nuper baptizati tamquam modo geniti infantes sunt, discernimur; alter vero tum potestatem sacramenta conficiendi et ministrandi coniunctam habet, tum eorum, qui eiusmodi potestate praediti sunt, a reliquo fidelium coetu distinctionem ostendit."

Character relationem animae ad universam *Trinitatem* producit, speciali autem modo ad *Christum*, qui iuxta Hebr. 1, 3, character substantiae est Patris, character utique increatus. Unde est illa magistralis definitio: „Character est distinctio a charactere aeterno impressa animae rationali secundum imaginem consignans trinitatem creatam (animam cum facultatibus suis) Trinitati creanti et recreanti et distinguens a non configuratis secundum statum fidei." [1]) Alia ratio cur character peculiari quadam ratione tribuatur Christo, ex Christi repetitur sacerdotio. „Totus ritus christianae religionis derivatur a sacerdotio Christi; et ideo manifestum est, quod character sacramentalis specialiter est character Christi cuius sacerdotio configurantur fideles secundum sacramentales characteres, qui nihil aliud sunt quam quaedam participationes sacerdotii Christi ab ipso Christo derivatae." [2])

Character igitur sacramentalis est signum *configurativum* prae Christo, *dispositivum* prae multiplice potestate ex eo oriente, *distinctivum* prae illis qui eo muniti non sunt. Trium vero est sacramentorum, sc. baptismi, confirmationis, ordinis, quia congruum est ut disponat ad statum fidei tum *genitae*, tum *roboratae*, tum *multiplicatae.* [3])

In charactere est specialis relatio ac quaedam quasi exigentia *gratiae.* Unde Patres characterem gratiae vocant praesidium ac tutelam contra tentationes daemonum. Et sane, „ex hoc ipso quod homo mancipatus est divinis actionibus et inter membra Christi connumeratus, fit ei quaedam congruitas ad gratiam suscipiendam" [4]); et eo ipso, quod quae sunt divini cultus „idonee non fiunt sine auxilio gratiae, divina largitas recipientibus characterem largitur gratiam, per quam digne impleant ea ad quae deputantur" [5]). Verum

---

[1]) S. Th. 3 q. 63 a. 3.
[2]) S. Th. l. c.
[3]) S. Bonav. 4 dist. 6 p. 1 q. 4.
[4]) S. Th. 4 dist. 4 q. 1 a. 1 ad 5.
[5]) S. Th. 3 q. 63 a. 4 ad 1.

haec inter characterem et gratiam connexio non videtur esse nisi *moralis*, posita utique in ipsa natura ac dignitate characteris.[1]

Quaerunt, utrum character potius in animae *essentia* an in eius *potentiis* sit, et in qua potentia. Non videtur esse in essentia animae prout est essentia, quia ad actus divini cultus dirigitur, ad quos actus potentiae animae ordinantur. S. Thomas porro characterem vult esse in parte *cognoscitiva*, in qua est fides, cuius cultus est quaedam potestatis.[2] Scotus contra characterem in *voluntate* ponit. Melius fortasse dicetur, characterem in utraque animae potentia inveniri.

Characterem convenit esse *indelebilem*. „Sacerdotium Christi est aeternum. Et inde est quod omnis sanctificatio, quae fit per sacerdotium eius, est perpetua, re consecrata manente. Quod patet etiam in rebus inanimatis: nam ecclesiae vel altaris manet consecratio semper, nisi destruatur. Cum igitur anima sit subiectum characteris secundum intellectivam partem, in qua est fides, manifestum est, quod, sicut intellectus perpetuus est et incorruptibilis, ita character indelebiliter manet in anima.“[3]

Quamvis porro ad fidem ipsam definitam non videatur spectare characteris perpetuitas nisi pro vita praesenti, communis tamen theologorum sententia eaque doctrinae Patrum magis consentanea tenet, etiam in *altera vita* permansurum esse characterem indelebiliter. „Post hanc vitam remanet character et in bonis ad eorum gloriam et in malis ad eorum ignominiam.“[4]

SCHOLION. In tribus sacramentis characterem imprimentibus tria itaque sunt distinguenda: ritus, gratia, character. Hinc orta est celebris apud theologos distinctio illorum trium, quorum aliquid est *sacramentum tantum*, aliquid *res tantum*, aliquid *res simul et sacramentum;* quae quidem distinctio ab Hugone Victorino ad Eucharistiam, a Magistro ad omnia sacramenta est applicata. ‚Sacramentum tantum‘ est illud visibile exterius existens quod est signum interioris effectus, sc. quod significat et non significatur; ‚res tantum‘ est illud quod significatur et non significat, quod est gratia; ‚res et sacramentum‘ est id quod simul significatur et significat: v. g. character baptismalis, qui est res significata per exteriorem ablutionem et simul sigillum sacramentale interioris iustificationis; corpus Christi in Eucharistia, quod et significatur verbis et speciebus et ipsum gratiam significat.

---

1) Veteres qui physicam tuentes sacramentorum efficaciam putabant sacramenta immediate non producere gratiam, sed dispositionem ad eam, quae in tribus sacramentis sit character, characterem *physicam* statuerunt esse dispositionem ad gratiam, ex qua sponte sua, nisi adsit obex, gratia oriatur.

2) S. Th. l. c. a. 4.

3) S. Th. l. c. a. 5.

4) S. Th. l. c. ad 3.

Caput IV.

De auctore sacramentorum.

Thesis 7.

In sacramentis 1. solus Deus habet potestatem auctoritatis; 2. Christus ut homo potestatem excellentiae; 3. Christus immediate omnia sacramenta instituit.

In sacramentis triplex distinguitur potestas: potestas auctoritatis, excellentiae, ministerialis. Potestas *auctoritatis* illa est principalis, quae non est derivata ab alia superiore cui subsit, sed quae est potestas ex sese et cui omnis alia subest potestas. Hanc dicimus non esse nisi Dei solius. Potestas *ministerialis* ea est, qua potestas principalis utitur in dispensandis sacramentis. Ea est potestas a Deo sacramentorum ministris communicata, de qua infra dicemus. Potestas *excellentiae*, veluti media inter utramque illam, instrumentalis est, si comparatur cum potestate auctoritatis, auctoritas est, si cum potestate conferatur quae simpliciter ministerialis dicitur. Hanc Christi esse dicimus secundum naturam suam humanam.

Institutio sacramentorum, quamvis certe sit Christi Dei et hominis, tripliciter tamen a Christo facta esse potuit: a. ita ut Christus ipse per se atque immediate sacramenta instituerit, b. ita ut Apostolis id commiserit faciendum, c. ita ut ipsi Ecclesiae fecerit potestatem in posterum sacramenta instituendi. Iam vero Christum *immediate* sacramenta omnia, i. e. essentialia eorum, instituisse probabimus; idque ita asserimus, ut tertia hypothesis haeretica dicenda sit, altera, quam aliqui antiqui theologi, Hugo Victorinus, Petrus Lombardus, Alexander Halensis [1]), Bonaventura [2]) quod spectat confirmationem et extremam unctionem non repudiabant, post Concilium Tridentinum saltem falsa dici debeat.

---

[1]) Mirum sane est quod *Halensis* opinatus est in *Concilio Meldensi* (a. 845) sacramentum confirmationis institutum fuisse „Spiritus S. instinctu quantum ad formam verborum et materiam elementorum". Concilium Meldense aliud non egit nisi quod confirmationis administrationem chorepiscopis interdixit et aliqua circa eam praecepta tradidit; id quod sacramentum ipsum iam agnitum supponit.

[2]) *S. Bonaventura* quae auctoritate Halensis magistri sui fretus de confirmatione et extrema unctione per Apostolos institutis in Commentario minus recte scripserat, postea aliquatenus correxisse videri poterit in Breviloquio (6, 4) dicens, Christum haec sacramenta instituisse „insinuando et initiando: confirmationem manum parvulis imponendo et praedicendo discipulos baptizandos Spiritu Sancto; unctionem vero extremam discipulos ad curandum mittendo, qui infirmos ungebant oleo".

DEMONSTRATUR: **1.** Solius *Dei* est in sacramentis potestas *auctoritatis.*

1. Solus Deus principaliter *operatur effectum* sacramentorum: „tum quia solus Deus illabitur animae, in qua sacramenti effectus existit, non autem potest aliquid immediate operari ubi non est; tum quia gratia, quae est interior sacramenti effectus, est a solo Deo (cum sit ipsius divinae naturae communicatio); character etiam, qui est interior quorundam sacramentorum effectus, est virtus instrumentalis, quae manat a principali agente quod est Deus.“ [1])

2. Solus Deus potest *instituere* sacramenta. „Virtus sacramenti non potest esse ab eo qui utitur sacramento, quia non operatur nisi per modum ministerii; unde relinquitur, quod virtus sacramenti sit ab eo qui instituit sacramentum: cum igitur virtus sacramenti sit a solo Deo, consequens est quod solus Deus sit sacramentorum institutor.“ [2])

2. *Christus* ut *homo* habet potestatem *excellentiae.*

„Interiorem sacramentorum effectum operatur Christus, et secundum quod est Deus, et secundum quod est homo, aliter tamen et aliter. Nam secundum quod est *Deus,* operatur in sacramentis per *auctoritatem;* secundum autem quod est *homo,* operatur ad interiores effectus sacramentorum *meritorie* et *efficienter,* sed *instrumentaliter.* Dictum est enim quod passio Christi, quae competit ei secundum humanam naturam, causa est nostrae iustificationis et meritorie et effective, non quidem per modum principalis agentis sive per auctoritatem, sed per modum instrumenti, inquantum humanitas est instrumentum divinitatis eius. Sed tamen quia est instrumentum coniunctum divinitati in persona, habet quandam principalitatem et causalitatem respectu instrumentorum extrinsecorum, qui sunt ministri Ecclesiae; et ideo sicut Christus inquantum Deus habet potestatem auctoritatis in sacramentis, ita inquantum homo habet potestatem ministerii principalis, sive potestatem *excellentiae.*

Quae quidem consistit in quatuor. Primo quidem in hoc, quod meritum et *virtus passionis* eius operatur in sacramentis. Et quia virtus passionis copulatur nobis per fidem, quam fidem per invocationem nominis Christi protestamur, ideo secundo ad potestatem excellentiae, quam Christus habet in sacramentis, pertinet quod *in eius nomine* sacramenta sanctificentur. Et quia ex eius institutione sacramenta virtutem obtinent, inde est quod tertio ad excellentiam potestatis Christi pertinet, quod ipse, qui dedit virtutem sacramentis,

---

[1]) S. Th. 3 q. 64 a. 1.
[2]) S. Th. l. c. a. 2.

potuit *instituere* sacramenta. Et quia causa non dependet ab effectu, sed potius e converso, ideo quarto ad excellentiam potestatis Christi pertinet, quod ipse potuit effectum sacramentorum *sine exteriori sacramento* conferre.“ [1])

3. Christus *immediate* omnia sacramenta instituit.

1. Ex *ratione theologica* id summopere suadetur.

Sacramenta ad Ecclesiae essentiam spectant: ergo ab ipso Ecclesiae auctore ea ortum habuisse consentaneum est. „Apostoli et eorum successores sunt vicarii Dei quantum ad regimen Ecclesiae constitutae per fidem et fidei sacramenta: unde sicut non licet eis constituere aliam Ecclesiam, ita non licet eis tradere aliam fidem neque instituere alia sacramenta; sed per sacramenta, quae de latere Christi pendentis in cruce fluxerunt, dicitur esse fabricata Ecclesia Christi.“ [2])

2. Ex *Scriptura* id colligitur.

Aliqua sacramenta, ut baptismus, Eucharistia, poenitentia, a Christo immediate instituta esse diserte in Scriptura exhibentur. Porro ipsi Apostoli profitentur tum se generatim omnia in nomine Iesu facere, quia non „aliud nomen est sub coelo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri“ (Act. 4, 12), tum declarant neminem aliud posse ponere fundamentum „praeter id quod positum est“ (1 Cor. 3, 11), tum volunt, ut eos „existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei“ (1 Cor. 4, 1), tum diserte in Eucharistia praedicanda ad ea provocant quae „Dominus Iesus“ (1 Cor. 11, 23) egit.

3. Ex *Patribus* idem probatur.

Nunquam alium sacramentorum auctorem agnovit Ecclesia quam ipsum Christum Ecclesiae auctorem. „Auctor sacramentorum quis est, nisi Dominus Iesus? De coelo ista sacramenta venerunt.“ [3]) „Ab ipsa Dei Sapientia homine assumpto, a quo in libertatem Dei vocati sumus, pauca (prae multis V. T. sacramentis) sacramenta saluberrima constituta sunt quae societatem christiani populi continerent.“ [4])

4. Ex *Concilio Tridentino* res evincitur.

Canon 1 Sessionis 7 ita habet: „Si quis dixerit, sacramenta N. L. non fuisse omnia a Christo Iesu Domino nostro instituta: a. s.“ Ergo de fide est, saltem mediate sacramenta omnia a Christo instituta esse. Atqui non solum mediate, sed immediate ab eo instituta esse

---

[1]) S. Th. l. c. a. 3.

[2]) S. Th. l. c. a. 2 ad 3.

[3]) Vulg. Ambr. De sacr. 4, 4.

[4]) Augustin. De vera rel. 33.

dicenda sunt. Nam a. testibus Scripturis certissime aliqua sacramenta a Christo immediate sunt instituta; at ratione institutionis, de qua in canone Tridentino sermo est, nulla fit ibi distinctio inter sacramenta et sacramenta, sed *omnia* dicuntur a Christo instituta; b. dicuntur omnia sacramenta instituta a Christo *Domino nostro;* at loquendi hic modus non adhibetur, nisi quando sermo est de Christo quatenus est homo, atque adeo quando de iis sermo est quae ipse egit in terris visibilis; c. *extremam unctionem,* de qua maximum dubium erat, docuit Concilium Tridentinum (Sess. 14 can. 1) a Christo fuisse institutam et a Iacobo Apostolo promulgatam.

SCHOLION **1.** In sacramentorum administratione ad substantiam eorum quaedam eademque multiplicia accedunt accidentalia, *ceremoniae* sc. ab Ecclesia institutae eiusque praecepto observandae. De his haec habet S. Thomas: „Illa, quae aguntur in sacramentis per homines instituta, non sunt de necessitate sacramenti, sed pertinent ad quandam solemnitatem, quae adhibetur sacramentis ad excitandam devotionem et reverentiam in his, qui sacramenta suscipiunt.“ [1])

2. Potestas igitur Ecclesiae in sacramenta, praeterquam quod ei suprema auctoritas competit *dispensationis,* non est, quod valorem spectat nisi *didascalica,* quod attinet liceitatem utique etiam *legifera.*

Caput V.

De ministro sacramentorum.

Tota de sacramentorum ministris quaestio revocatur ad quaestionem de *persona* et ad quaestionem de *dispositionibus* ministri.

In quaestione de *persona* erraverunt Protestantes cum statuerent *omnes* homines omnium sacramentorum esse ministros. Contra quos haec definivit Concilium Tridentinum (Sess. 7 c. 10): „Si quis dixerit, christianos omnes in verbo et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem: a. s.“ Generatim dicendum est, administrare sacramenta esse status clericalis quem Christus peculiarem instituit. Sed de hac quaestione, ubi de singulis sacramentis dicitur.

In quaestione porro de ministrorum *dispositionibus* errarunt alii per excessum, alii per defectum. Per excessum errarunt Cyprianus et Donatistae, qui ad validam sacramentorum dispensationem *fidem* in ministro requirebant, et Waldenses, Hussitae aliique, qui etiam morum postulabant *probitatem.* Per defectum errarunt Protestantes, qui *intentionem* ministri ullam requiri negabant. Contra hos omnes hoc loco dicendum erit [th. 8 et 9].

---

[1]) S. Th. l. c. ad 1.

Thesis 8.

In sacramentorum ministro nec fides requiritur nec probitas.

Quaeritur imprimis quo sensu sacramentorum valor *non* pendeat ab eorundem ministro. Iam vero independentia valoris sacramentorum a ministri *probitate* est *de fide;* definitum est enim a Concilio Tridentino (Sess. 7 c. 12): „Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia quae ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent servaverit, non conficere aut conferre sacramentum: a. s.“ Independentia valoris sacramenti a *fide* ministri, quod *baptismum* spectat, pariter est de *fide* ex definitione Tridentina (Sess. 7 c. 4): „Si quis dixerit, baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum baptisma: a. s.“; quantum ad *reliqua* sacramenta sin minus de fide, saltem *fidei proximum* est.

DEMONSTRATUR: Valor sacramentorum *independens* est a *fide* et *probitate* ministrorum.

Ratio huiusmodi dependentiae repetenda foret vel ex *ipsa sacramentorum natura,* quatenus aliquo modo efficaciam suam habeant a merito ministri, vel ex *positiva Christi lege,* quatenus potestatem *ministerialem* fidei vel probitati ministrorum alligaverit. Atqui neutrum locum habet. Ergo eiusmodi dependentia nulla est.

1. Non *ex ipsa natura sacramentorum* illa dependentia repeti potest. Et sane:

Rebaptizantes, sc. Agrippinus et Cyprianus, statuerunt non posse dari Spiritum Sanctum ab eo qui sit extra Ecclesiam, utpote qui illum non habeat;[1]) Donatistae et postea Waldenses praeterea a malo ministro, saltem qui ut talis notus sit, sacramenta valide administrari negaverunt. At contra hos a. principium erat catholicum, sacramenta non ministrorum esse sed *Christi;* b. hinc sponte colligebatur *eadem* esse sacramenta, sive a bono sive a malo ministro administrentur. „Dominus Iesus Christus noluit baptismum suum (idem valet de omnibus sacramentis propter identitatem rationis) alicui dare, non ut nemo baptizaretur baptismo Domini, sed ut semper ipse Dominus baptizaret. Id actum est, ut et per ministros Dominus baptizaret, id est, ut quos ministri Domini baptizaturi erant, Dominus baptizaret, non illi. Aliud est enim baptizare per ministerium, aliud baptizare per potestatem. Baptisma enim tale est, qualis est ille, in cuius potestate datur; non qualis est ille, per

---

[1]) In hoc errore iam *Tertullianus* (De bapt. 15) fuisse videtur.

cuius ministerium datur . . . Quod dabatur a Paulo et quod dabatur a Petro, Christi est; et si datum est a Iuda, Christi erat. Dedit Iudas et non baptizatum est post Iudam; dedit Ioannes et baptizatum est post Ioannem: quia si datus est a Iuda baptismus, Christi erat; qui autem a Ioanne datus est, Ioannis erat. Non Iudam Ioanni, sed baptismum Christi etiam per Iudae manus datum baptismo Ioannis etiam per manus Ioannis dato recte praeponimus . . . Quos baptizavit Iudas, Christus baptizavit: sic ergo quos baptizavit ebriosus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, si baptismus Christi erat, Christus baptizavit. Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: hic est qui baptizat." [1])

Hinc *analogiae* intelliguntur, quibus Patres ad rem illustrandam utuntur. Comparant sacramentorum efficaciam cum semine quod sordidis licet manibus satum fructus ferat (Augustin.), cum aqua quae quamvis per canalem lapideum derivata limpida maneat (Augustin.), cum signo in cera impresso anulo sive aureo sive plumbeo (Gregor. Naz.); malum ministrum cum cerea face accensa, quae sibi quidem detrimentum praestat, aliis vero administrat lumen (Nicol. I).

2. Non ex *lege positiva Christi* illa dependentia repeti potest. Probatur ex eadem controversia cum rebaptizantibus.

a. Doctrina hac de re Apostolica ostenditur ex universali et pacifica *consuetudine* ecclesiarum, quae obtinuit usque ad tempora Agrippini et Cypriani (c. a. 220).

„Apostoli quidem exinde nihil praeceperant; sed consuetudo illa, quae opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est, sicut sunt multa, quae universa tenet Ecclesia et ob hoc ab Apostolis praecepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur." [2]) — Quam consuetudinem et Cyprianus ipse concedebat dicens: „Dominus, ego sum, inquit, veritas, non dixit, ego sum consuetudo"; et reclamatio manifestabat Stephani Papae: „Si quis a quacunque haeresi venerit ad vos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in poenitentiam." [3])

b. Pluribus *Conciliis* probatur. Arelatense (314) agnoscit ordinationem actam a traditore et baptismum collatum ab haeretico; Nicaenum (325) validum declarat esse baptisma a Novatianis administratum. Similiter deinceps Concilia Carthaginiense (348) et Laodicense (370), ubi statutum fuit ut ab haereticis qui essent baptizati, cum ad

---

[1]) Augustin. In Ioan. tr. 5.
[2]) Augustin. De bapt. 5, 31.
[3]) Cyprian. Ep. 74.

Ecclesiam catholicam redirent, non rebaptizarentur, sed per solam poenitentiam reciperentur. [1]) A Concilio Constantiensi expresse damnata fuit propositio Wicleffi, qua asserebatur: „Si episcopus vel sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat.“

Quodsi Patres et Canones nonnunquam haereticorum sacramenta videntur reprobare, vel de iis loquuntur qui sacramenti formam vitiabant, ut v. g. Paulinistae, vel illorum sacramenta, si mala susciperentur fide, utilia esse negabant. [2])

SCHOLION. Quamvis fides vel probitas ministri ad valorem sacramentorum non requiratur, nihilominus qui ex officio administrat sacramentum, in peccato cum sit mortali, *mortaliter peccat.* „Aliquis in agendo peccat ex hoc, quod operatur non secundum quod oportet. Dictum est autem conveniens esse, ut sacramentorum ministri sint iusti; quia ministri debent Domino conformari. Et ideo non est dubium, quin mali exhibentes se ministros Dei et Ecclesiae in dispensatione sacramentorum peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei et contaminationem sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris (licet sacramenta secundum seipsa incontaminabilia sint), consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale.“ [3])

Unde tamen non sequitur peccare etiam eum, qui a legitimo ministro indigno sacramenta *accipiat.* „Ille qui ad sacramenta accedit, suscipit sacramenta a ministro Ecclesiae, non inquantum est talis persona, sed inquantum est minister Ecclesiae; et ideo quamdiu ab Ecclesia toleratur in ministerio, ille qui ab eo suscipit sacramentum non communicat peccato eius, sed communicat Ecclesiae, quae eum tanquam ministrum exhibet; si vero ab Ecclesia non toleratur, puta cum degradatur vel excommunicatur vel suspenditur, peccat qui ab eo accipit sacramentum, quia communicat peccato ipsius.“ [4])

Thesis 9.

In sacramentorum ministro requiritur 1. intentio faciendi quod facit Ecclesia; eaque 2. interna.

Lutherani vi sui principii, quod sacramenta aliud non sint quam signa theoretica ad fidem excitandam, ad sacramentorum valorem

---

[1]) Directe in his agebatur de *haereticis;* at teste Nicolao I et Eugenio IV eadem est ratio *infidelium,* quamvis Augustini tempore id minus certo constiterit. Directe porro de *baptismo* et *ordinatione* agebatur, sed idem etiam de *reliquis* valet sacramentis, excepta poenitentia in qua, si ab haeretico vel schismatico administratur, absolutio invalida est propter defectum iurisdictionis.

[2]) *S. Basilius* (Epist. 188 et 199) et fortasse etiam *S. Optatus* (De schism. Don. 1, 10) eos ex haereticis invalide baptizare putant, ex quorum haeretico intellectu ipsi formae alius subiiciatur sensus. Quod quidem et ipsum falsum est, nisi error in forma ita exprimitur, ut forma corrumpatur.

[3]) S. Th. 3 q. 64 a. 6.

[4]) S. Th. l. c. ad 2.

aliud non exigunt quam ut ritus sacramentalis materialiter ponatur; quamobrem nullam ex parte ministri intentionem requirunt. Doctrina contra *catholica* tenet ad sacramentorum valorem necessariam esse aliquam in ministro *intentionem* eamque faciendi quod facit Ecclesia. [1]) Atque id *de fide* est credendum. Quod patet ex definitionibus Concilii Florentini, Constantiensis, praesertim Tridentini (Sess. 7 c. 11): „Si quis dixerit, in ministris dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia a. s.“

Erant *theologi catholici*, Catharinus, Iuenin, Serry, Drouin, alii [2]), qui intentionem huiusmodi non debere esse nisi *externam* statuerent, sc. voluntatem seriam, qua quis velit se exterius haberi ut sacramenti ministrum. At *communis sententia* est theologorum requiri intentionem *internam*, quae sc. non tota versetur circa exteriorem apparentiam quaeque non solum cohibeat omnem simulationis ostensionem, sed qua etiam intus quis apud se resolvit vere facere quod facit Ecclesia.

Dicitur vero intentio faciendi *quod facit* Ecclesia; quidquid tandem illud sit in opinione eius qui sacramentum ministrat, sive credat ipse v. g. baptismum esse sacramentum aut habere aliquam spiritualem virtutem sive non credat. Dicitur intentio faciendi quod facit *Ecclesia;* id quod satis obtinet quando intenditur quod realiter idem est quod vera Christi Ecclesia intendit, quamvis minister eam non noverit.

DEMONSTRATUR: **1.** In ministro requiritur *intentio* faciendi quod facit Ecclesia.

Quod quidem, quamvis Patres hac de re non expresse loquantur, cum in ministro ritum ponente intentionem adesse merito supponant [3]), evidenter tamen probatur ex ipsa *indole* sacramentorum. Et sane:

1. „Quando aliquid se habet ad multa, oportet quod per aliquid *determinetur ad unum,* si illud effici debeat. Ea vero, quae in sacramentis aguntur, possunt diversimode agi; sicut ablutio aquae, quae fit in baptismo, potest ordinari et ad munditiam corporalem et ad sanitatem corporalem et ad ludum et ad multa alia huius-

---

[1]) Formula haec „intentio faciendi quod facit Ecclesia“ auctorem videtur habere *Guilelmum Antissiodorensem.*

[2]) Aetate nostra hanc sententiam primo etiam defendit *Oswald*, sed deinde reiecit; ad eam accedunt *Glossner* et *Haas.*

[3]) *S. Augustinus*, quamquam nolit definire, utrum baptismus per iocum administratus sit validus necne (De bapt. 7, 53), et ipse tamen in eo qui administrat sacramentum Ecclesiae, quaecunque eius sit fides vel peculiaris voluntas, requisitam intentionem generalem satis adesse supponit.

modi: et ideo oportet, quod determinetur ad unum, id est ad sacramentalem effectum per intentionem abluentis; et haec intentio exprimitur per verba, quae in sacramentis dicuntur; puta cum dicit: „Ego te baptizo in nomine Patris etc.“ [1])

2. *Minister* differt a simplici instrumento eo quod est agens animatum atque voluntarium. „Sed instrumentum animatum, sicut est minister, non solum movetur, sed etiam quodammodo movet seipsum, inquantum sua voluntate movet membra ad operandum; et ideo requiritur eius intentio, qua se subiiciat principali agenti, ut scilicet intendat facere, quod facit Christus et Ecclesia.“ [2])

2. In ministro requiritur intentio *interior*.

1. In documentis omnibus authenticis intentio ministri a ritu *distinguitur* et veluti aliud ab eo requiritur; at voluntas ponendi ritum materialiter, quae est externa intentio, eo ipso cum habeatur quod ponitur ritus, ab hoc ritu veluti novum requisitum distingui non potest. Hinc etiam damnata est ab Alexandro VIII haec propositio (28): „Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: non intendo facere quod facit Ecclesia.“ [3])

2. Per solam externam intentionem nec *determinatur* illud quod exterius agitur ad unum, videlicet ad sacramentalem potius significationem quam ad historicam vel repraesentativam, nec qui ritum ponit vere dici poterit agere partes *ministri*. At utrumque necessarium est. [4])

COROLLARIUM 1. Interna intentio, quamvis dicenda sit ita requiri, ut absque ea sacramentum non fiat, sic tamen naturaliter cum *actione externa* nectitur, ut, nisi homo positivo voluntatis actu oppositum intendat, semper sufficienter eam adesse, et quoties contrarium a ministro exterius non exprimatur, praesumi dicendum sit atque adeo de valore sacramenti certitudine morali constare. Non enim potest praesumi hominem sanae rationis, cum serio administret ritum qui ab Ecclesia creditur esse sacramentum, etiamsi ipse id non credat, aliam intentionem interius velle elicere.

Quodsi vero minister sacramenti perversam suam fidem ut extrinsecus exprimat, *formam mutet* sacramenti, sacramentum absque dubio invalide con-

---

[1]) S. Th. 3 q. 64 a. 8.

[2]) S. Th. l. c. ad 1.

[3]) Obiicitur *Innocentius IV* qui in Commentario suo in libros decretales internae intentionis necessitatem non videtur agnoscere. At Innocentius a. haec scripsit ut doctor privatus, b. hoc solum habet: minister, quamvis non opus est ut credat effectum baptismi, veram formam pronuntians, cum credit formam falsam esse atque adeo falsam formam adhibere vult, invalide baptizat; id quod potius interioris intentionis necessitatem probat.

[4]) Cf. de tota hac quaestione *Morgott*, Der Spender der h. Sacramente nach der Lehre des h. Thomas.

ficitur. Sic a Summo Pontifice Leone XIII in Bulla ‚Apostolicae curae‘ idib. Sept. 1896 *ordinationes anglicanae* irritae ac nullae declaratae sunt ex defectu formae et intentionis.

2. Quamvis non sufficiat in ministro intentio *habitualis* ea quae solum praecessit nec, quamvis non fuerit retractata, ullo modo in actum influat, non tamen requiritur intentio *actualis*, sed sufficit *virtualis* quae, cum actu praecesserit, virtute manens in actum influat quam S. Thomas habitualem vocat; quae „sufficit ad perfectionem sacramenti, puta cum sacerdos accedens ad baptizandum intendit facere circa baptizandum, quod facit Ecclesia: unde si postea in ipso exercitio actus cogitatio eius ad alia rapiatur, ex virtute primae intentionis perficitur sacramentum. Quamvis studiose curare debeat sacramenti minister, ut etiam actualem intentionem adhibeat: sed hoc non est totaliter positum in hominis potestate; quia praeter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare.“[1])

SCHOLION. De *immutationibus* quae in formis sacramentorum contingere possint, haec sunt tenenda: „Circa omnes istas mutationes duo videntur esse consideranda. Unum quidem ex parte *eius qui profert verba*, cuius intentio requiritur ad sacramentum: et ideo si intendat per huiusmodi additionem vel diminutionem alium ritum inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, non videtur perfici sacramentum: quia non videtur, quod intendat facere id, quod facit Ecclesia. Aliud tamen est considerandum ex parte *significationis verborum*. Cum enim verba operentur in sacramentis, quantum ad *sensum* quem faciunt, oportet considerare, utrum per talem mutationem tollatur debitus sensus verborum: quia si sic, manifestum est, quod tollitur veritas sacramenti. Manifestum est autem, quod si diminuatur aliquid eorum, quae sunt de substantia formae sacramentalis, tollitur debitus sensus verborum, et ideo non perficitur sacramentum; si autem subtrahatur aliquid, quod non sit de substantia formae, talis diminutio non tollit debitum sensum verborum, et per consequens nec sacramenti perfectionem; sicut in forma Eucharistiae, quae est: hoc est enim corpus meum, ly enim sublatum non tollit debitum sensum verborum: et ideo non impedit perfectionem sacramenti, quamvis possit contingere, quod ille, qui praetermittit, peccet ex negligentia vel contemptu. Circa additionem etiam contingit aliquid apponi, quod est corruptivum debiti sensus: puta, si aliquis dicat: Ego te baptizo in nomine Patris maioris, et Filii minoris, sicut Ariani baptizabant, et ideo talis additio tollit veritatem sacramenti; si vero sit talis additio, quae non auferat debitum sensum, non tollitur sacramenti veritas; nec refert, utrum talis additio fiat in principio vel in medio vel in fine.“[2])

---

[1]) S. Th. l. c. ad 3.
[2]) S. Th. 3 q. 60 a. 8.

Caput VI.

De numero sacramentorum.

Thesis 10.

Sacramenta N. L. nec plura nec pauciora sunt quam septem.

Novatores saeculi 16, quamvis de sacramentorum numero admittendo inter seipsos maxime dissentirent, consenserunt tamen in reiiciendo numero septenario.[1]) Contra quos Concilium Tridentinum haec definivit (Sess. 7 c. 1): „Si quis dixerit, sacramenta N. L. . . . esse plura vel pauciora quam septem, videlicet baptismum etc., aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum: a. s." — *De fide* ergo est, non esse plura vel pauciora sacramenta quam septem.

Duplex numeri septenarii esse potest demonstratio: altera *indirecta*, qua sc. singulorum sacramentorum veritas ex revelatione ostenditur; altera *directa*, qua numerus ipse septenarius ut talis comprobatur. Prior in singulorum sacramentorum tractatu locum habebit, posterior praesentis est tractationis.

DEMONSTRATUR: **1.** Ex fidei deposito patet *esse* septem sacramenta.

1. Ex antiquitate *absoluta.*

Fatemur, nullum esse certum documentum Traditionis, nedum Scripturae, antiquius saeculo 12 in quo sub una collectione septenarii numeri sacramenta omnia recenseantur. At vero ex una parte rationes sunt, cur numerus conclusus prioribus illis saeculis non appareat et ex parte altera testimonia suppetunt positiva satis vetusta ex quibus numerum sacramentorum septenarium colligere liceat. Scilicet:

1) Quod ad illas *rationes* spectat, sedulo haec animadvertenda sunt: a. Ipsa *vox* ‚sacramenti' olim non fuit usu adeo determinata, ut non posset significare nisi quae veri nominis sunt septem sacramenta.[2]) b. *Disciplina arcani* prohibuit ne, nisi ad infidelium calum-

---

[1]) *Lutherus* modo duo, sc. baptisma et panem, modo tria, sc. baptisma, panem, poenitentiam, sacramenta admittebat. *Melanchtoni* aliquando placet illis duobus addi etiam ordinationem. Similiter *Calvinus* et *Zwinglius* non agnoscebant nisi baptismum et coenam.

[2]) Hinc intelligitur potuisse etiam a scriptoribus medii aevi Orientalibus et a Bernardo cum sacramentis proprii nominis alia connumerari rei sacrae signa, ut habitus sacer, funus super defunctos, signum crucis, lotio pedum.

nias vitandas vel ad fidelium instructionem esset necessarium, de sacramentis diceretur, praesertim cum in iis maximum esset profanationis periculum.[1]) c. Singula sacramenta et *usu* potius ac melius tenebantur quam doctrina, nec adversario nullo instante quidquam exigebat ut distinctius tractentur. d. Numerus sacramentorum completus non potuit statui nisi *scientifica* aliqua notarum comparatione. e. Ratio, cur aliqua sacramenta prae aliis soleant *connumerari*, sita est et in eo quod alia sunt aliis magis necessaria, et in eo quod aliqua simul solebant conferri, et in eo quod alia prae aliis magis videri poterant esse sibi affinia.

2) *Positiva* antiquitatis testimonia de sacramentis haec sunt:

In *Scriptura* mentio fit explicita baptismi, Eucharistiae, poenitentiae; vestigia saltem haud obscura occurrunt confirmationis, ordinis, extremae unctionis, matrimonii.

Ex *Patribus*, qui pro peculiari suo scopo sacramenta connumerant, hi sunt praecipui: Tertullianus connumerat sacramenta carnis sanctificandae: ablutionem, unctionem, signationem, manus impositionem, Eucharistiam. „Caro, ait, abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut et anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima Spiritu illuminetur; caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima Deo saginetur: non possunt ergo separari in mercede, quas opera coniungit.“[2]) Praeterea idem Tertullianus, ubi de diabolo mysteriorum nostrorum aemulatore loquitur, nominat baptismum, confirmationem, ordinationem, matrimonium.[3]) Basilius ut ostendat non omnem christianam disciplinam Scriptura contineri, haec scribit: „Invocationis verba, cum conficitur panis eucharisticus et poculum benedictionis, quis sanctorum in Scripturis nobis reliquit? . . . Benedicimus et aquam baptismi et oleum unctionis et insuper ipsum baptizatum, ex quibus Scripturis? Ipsam porro unctionem olei quis sermo scriptus docuit?“[4]) Augustinus contra Donatistas etiam homicidam valide deprecari docet „super aquam baptismi vel super oleum vel super Eucharistiam vel super capita eorum, quibus manus imponitur“[5]). Idem Augustinus praecipua sacramenta significat esse illa gemina ex latere Christi promanantia: aquam baptismi et sanguinem Eucharistiae[6]), addens

---

[1]) Quantus fuerit huius disciplinae rigor vel inde concludi potest, quod et apud Chrysostomum et apud Augustinum, ubi de sacramentis dicunt, plus quam quinquagies occurrit celeberrima illa dicendi formula: „norunt initiati“.

[2]) Tertull. De resurr. carn. 8.

[3]) Tertull. De praescript. 40.

[4]) Basil. De Spir. S. 27.

[5]) Augustin. De bapt. 5, 20.

[6]) Augustin. De civ. Dei 15, 26.

alibi: „et cetera sancta sacramenta“ [1]). Isidorus explicans nomen sacramenti exempla affert: „baptisma et chrisma, corpus et sanguis“ [2]). Pseudo-Dionysius, ubi de consecrationibus loquitur, commemorat sacramenta baptismi, chrismatis, ordinis, Eucharistiae. [3]) — Animadvertendum vero est Patres hos et alios, cum aliis locis de reliquis, quae nunc creduntur esse sacramenta, loquuntur ritibus, sic loqui, ut hos ritus sacramenta proprie dicta habeant. Qua de re, ubi de singulis sacramentis dicetur.

Quodsi Patres, ut Ambrosius, et sequiores quoque scriptores usque ad S. Bernardum, cum sacramentis connumerant ritus alios qui non sunt proprie dicta sacramenta, uti v. g. lotionem pedum, connumeratio haec non id ostendit eos existimare et ritus eiusmodi et sacramenta in ratione sacramenti plene convenire, sed sola ratione generica rei sacrae instituitur. [4])

Primi, qui *omnia septem* accurate connumerant sacramenta, sunt Otto Bambergensis (c. a. 1128), Gregorius Bergamensis († 1146), Petrus Lombardus († 1164). *Otto Bambergenis* Pomeranis a se conversis haec scribit [5]): „Discessurus a vobis trado vobis quae tradita sunt nobis a Domino, arrham fidei sanctae inter vos et Deum, septem sc. sacramenta Ecclesiae quasi septem significativa dona Spiritus Sancti.“ Deinde enumerat et describit singula: baptismum, confirmationem, unctionem infirmorum, Eucharistiam, poenitentiam, coniugium, ordinationem. [6]) *Gregorius Bergamensis* haec habet: „Ne quis existimet tot esse sacramenta, quot sunt quibus congruit sacramenti vocabulum, scire debemus, ea solum esse sacramenta a Servatore nostro Iesu instituta, quae in medicinam nobis tributa fuerunt, et haec numero adimplentur septenario.“ [7]) *Petrus Lombardus* notione et distinctione V. et N. T. sacramentorum explicata sic pergit: „Iam ad sacramenta N. L. accedamus, quae sunt baptismus, confirmatio, panis benedictio, i. e. Eucharistia, poenitentia, unctio extrema, ordo, coniugium.“ [8]) — Posteriore tempore numerus septenarius sacramentorum definitus tamquam sine controversia a christifidelibus receptus apparet tum

---

[1]) Augustin. Epist. 54, 1.

[2]) Isidor. Etym. 6, 19.

[3]) Dionys. De eccl. hierarch. 1—5.

[4]) Cf. Franzelin, De sacram. th. 20.

[5]) Quodsi, ut nonnulli critici volunt, haec non ipsius S. Ottonis, sed Herbordi qui eius vitam conscripsit, esse dicuntur, Herbordus cum mortuus sit a. 1168, testimonium vix minus antiquum esse dicendum erit.

[6]) Cf. Migne, P. Lat. vol. 173 p. 1555.

[7]) Gregor. Bergam. De veritate corporis Christi; quod opusculum a. 1877 ab Uccelli repertum et editum est.

[8]) Petr. Lomb. Sent. 4 dist. 1.

apud *Doctores*, uti Petrum Pictaviensem, Rufinum, Halensem etc., tum in *Conciliis*, uti v. g. in Constitutionibus Odonis Parisiensis a. 1179, professione fidei ab Innocentio III Waldensibus praescripta a. 1210, in Constitutionibus Richardi Poore Angli a. 1217, in Statutis Stephani Langton Cantuariensis a. 1222, in Concilio Londinensi a. 1237, in Concilio Constantiensi, Florentino etc.

Orientales, etiam ii qui inde a saeculo 5 ab Ecclesiae unitate defecerunt, omnes eandem fidem numeri septenarii sacramentorum habuerunt. [1]) — Quod nominatim *Graecos* spectat, res manifestissima est. Nam a. Graeci licet de rebus minimis cum Latinis altercarentur idque etiam in ipsa sacramentorum doctrina, v. g. administratione baptismi, confirmationis, Eucharistiae, nihilominus de numero septenario sacramentorum a Latinis admisso nec alias nec in Conciliis Lugdunensi et Florentino difficultatem ullam moverunt. — b. Imo in professione fidei ab imperatore Michaele Palaeologo in Concilio Lugdunensi II oblata singula septem sacramenta recensentur. — c. Quando Protestantes fidem Orientalium ad suam conabantur pertrahere haeresim, uno ore hi reclamantes septem se credere Ecclesiae sacramenta solemniter professi sunt. Ita v. g. Ieremias Constantinopoli in censura Confessionis Augustanae lata ab Ecclesia Orientali declarat (a. 1576): „Dicimus praeclare nobis S. Patres tradidisse, unam sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam esse . . . in ea item ipsa catholica et orthodoxa Ecclesia septem divina sacramenta esse, baptismum sc. etc. . . . Non plura autem nec pauciora esse vel ipsa plena rei partitio demonstrat . . . Et haec quidem omnia salutis nostrae remedia ipse Iesus Christus Deus et Dominus noster tradidit et sancti eius Apostoli.“ Ita in Synodo (a. 1635) contra Cyrillum Lucarim Calvinianum Constantinopoli habita statutum est: „Anathema Cyrillo nova dogmata fabricanti et credenti, non esse ex institutione Iesu Christi neque Apostolorum traditione praxique perpetua septem Ecclesiae sacramenta, baptismum etc.“ Eadem condemnatio renovata est a Synodo Constantinopolitana (a. 1642) et Hierosolymitana (a. 1672). [2])

---

[1]) Cf. Assemani, Biblioth. Orient. t. 2 n. 5; Arcadius, De concordia Ecclesiae Occid. et Orient.; Perpétuité de la foi t. 3 l. 8 cc. 18 sq.

[2]) Hanc suam de numero septenario fidem Graeci etiam nuper clare professi sunt, quando a. 1874 Bonnae convenerunt Protestantes, Russi, Veteres Catholici, ut unionis inter se foedus inirent. Orientalium videlicet nomine *Ianyschew*, rector academiae Petroburgensis, priusquam ad singula veniretur, postulavit ut omnes fidem suam edicerent in Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum, septem oecumenica Concilia, doctrinam septem sacramentorum. Et cum Doellinger obiiceret, doctrinam septem sacramentorum minime contineri septem oecumenicis Conciliis, Ianyschew haec respondit: „Doctrina

2. Ex antiquitate *relativa*, seu argumento praescriptionis numerus sacramentorum septenarius probatur.

Quo tempore, saeculo sc. 16 septenarius sacramentorum numerus negari coepit, omnes christifideles in hanc fidem iam diu conspiraverant; id quod in antecedentibus abunde probatum est. Atqui consensus hic argumentum est certum, septem esse sacramenta, inde ab Apostolis in fidei deposito contineri atque adeo divinitus revelatum esse. Et sane:

Origo una communis eaque apostolica ex illa relativa numeri septenarii aetate et historice et iuridice et maxime theologice consequitur.

a. *Historice.* a) Nulla alia posterior illius fidei communis probari potest origo; sed quaecunque aetas obiicitur posterior, hac sacramenta singula ostenduntur et probantur iam fuisse. b) Graeci saec. 9, alii haeretici iam saec. 4 vel 5 ab Ecclesiae Romanae unitate defecerunt. At post suum discessum septenarium numerum ab Ecclesia Latina, quam summo semper habebant odio et cui minima quaeque exprobrabant, certe non assumpserunt. Ergo hunc numerum tempore suae apostasiae iam habuerunt. Ergo numerus septenarius iam aetate admittebatur Patrum, in qua, adversariis ipsis fatentibus, Ecclesia nondum erat corrupta.

b. *Iuridice.* Principia iuris sunt: a) testes dissentientes probationem non faciunt, b) neminem licet a pacifica boni alicuius possesione deturbare, nisi possessio iniusta esse probetur. Atqui a) Protestantes ipsi testes sunt inter se minime consentientes; b) numerus septenarius saltem a saec. 12, ut probavimus, in pacifica erat possessione Ecclesiae universae, nec quidquam affertur, quo hic numerus iniuste admissus fuisse probetur.

c. *Theologice.* Principia fidei christianae inconcussa sunt: a) „Quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum.“ [1]) b) „Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi apostolica auctoritate traditum rectissime creditur.“ [2]) Atqui utrumque in numero septenario sacramentorum obtinet. Ergo verissime apostolica creditur auctoritate traditus.

---

haec continetur et vetere utriusque Ecclesiae praxi liturgica et scriptis Patrum a Conciliis approbatorum, qui quidem sacramenta quamvis non explicite enumerent, unumquodque eorum tamen absque dubio agnoscunt. A tribus igitur illis, quae dicta sunt, recedi nullo modo potest.“ Cf. Bericht über die am 14., 15. und 16. September zu Bonn gehaltenen Unionsconferenzen, herausgegeben von Dr. Fr. H. Reusch.

[1]) Tertull. De praescript. 28.

[2]) Augustin. De bapt. 4, 24.

2. Numeri septenarii sacramentorum *congruitas* a S. Thoma sic ostenditur:

„Sacramenta Ecclesiae ordinantur ad duo: scilicet ad perficiendum hominem in his quae pertinent ad *cultum Dei secundum religionem christianae vitae*, et etiam in *remedium contra defectum peccati*. Utroque autem modo convenienter ponuntur septem sacramenta.

1. *Vita* enim *spiritualis* conformitatem aliquam habet ad vitam corporalem; sicut et caetera corporalia conformitatem quandam spiritualium habent. In vita autem corporali dupliciter aliquis perficitur: uno modo quantum ad personam propriam; alio modo per respectum ad totam communitatem societatis, in qua vivit: quia homo naturaliter est animal sociale. Respectu autem a. *sui ipsius* perficitur homo in vita corporali dupliciter: uno modo per se, acquirendo scilicet aliquam vitae perfectionem; alio modo per accidens, scilicet removendo impedimenta vitae; puta aegritudines vel aliquid huiusmodi. *Per se* autem perficitur corporalis vita tripliciter: primo quidem per *generationem*, per quam homo incipit esse et vivere: et loco huius in spirituali vita est baptismus, qui est spiritualis regeneratio; secundo per *augmentum*, quo aliquis perducitur ad perfectam quantitatem et virtutem: et loco huius in spirituali vita est confirmatio, in qua datur Spiritus Sanctus ad robur; tertio per *nutritionem*, qua conservatur in homine vita et virtus: et loco huius in vita spirituali est Eucharistia. Et hoc quidem sufficeret homini, si haberet et corporaliter et spiritualiter impassibilem vitam: sed quia homo incurrit interdum et corporalem infirmitatem et spiritualem, scilicet peccatum, ideo necessaria est homini *curatio ab infirmitate*; quae quidem est duplex: una quidem est sanatio, quae sanitatem restituit: et loco huius in spirituali vita est poenitentia, alia autem est restitutio valetudinis pristinae per convenientem diaetam et exercitium: et loco huius in spirituali vita est extrema unctio, quae removet peccatorum reliquias et hominem paratum reddit ad finalem gloriam. Perficitur autem homo b. in ordine ad *totam communitatem* dupliciter: uno modo per hoc, quod accipit potestatem *regendi* multitudinem, et exercendi actus publicos: et loco huius in spirituali vita est sacramentum ordinis; secundo quantum ad naturalem *propagationem*: quod fit per matrimonium tam in corporali quam in spirituali vita, eo quod est non solum sacramentum, sed naturae officium.

2. Ex his etiam patet sacramentorum numerus, secundum quod ordinantur *contra defectum peccati*. Nam baptismus ordinatur contra carentiam vitae spiritualis; confirmatio contra infirmitatem animi, quae in nuper natis invenitur; Eucharistia contra labilitatem animi ad

peccandum; poenitentia contra actuale peccatum post baptismum commissum; extrema unctio contra reliquias peccatorum, quae scilicet non sunt sufficienter per poenitentiam sublatae, aut ex negligentia, aut ex ignorantia; ordo contra dissolutionem multitudinis; matrimonium in remedium contra concupiscentiam personalem, et contra defectum multitudinis, qui per mortem accidit.“ [1])

SCHOLION. De sacramentorum *ordine* Ecclesiae usu consecrato haec habet S. Thomas:

1. De ordine *enumerationis.*

„Sicut unum est prius quam multitudo, ita sacramenta quae ordinantur ad perfectionem unius personae naturaliter praecedunt ea quae ordinantur ad perfectionem multitudinis. Et ideo ultimo inter sacramenta ponuntur ordo et matrimonium, quae ordinantur ad multitudinis perfectionem; matrimonium tamen post ordinem, eo quod minus participat de ratione spiritualis vitae, ad quam ordinantur sacramenta. Inter ea vero, quae ordinantur ad perfectionem unius personae, naturaliter sunt priora illa quae per se ordinantur ad perfectionem spiritualis vitae, quam illa, quae ordinantur per accidens, scilicet ad removendum accidens nocivum superveniens; cuiusmodi sunt poenitentia et extrema unctio; posterior tamen est naturaliter extrema unctio, quae consummat sanationem, poenitentia, quae inchoat. Inter alia vero tria manifestum est, quod baptismus, qui est spiritualis generatio, est prius; et deinde confirmatio, quae ordinatur ad formalem perfectionem virtutis; et postmodum Eucharistia, quae ordinatur ad perfectionem finis.“ [2])

2. De ordine *dignitatis.*

„Simpliciter loquendo sacramentum Eucharistiae est potissimum inter alia sacramenta (cf. tract. de Eucharistia). . . . . Aliorum autem sacramentorum comparatio ad invicem potest esse multiplex. Nam in via necessitatis baptismus est potissimum sacramentorum; in via autem perfectionis sacramentum ordinis; medio autem modo se habet sacramentum confirmationis; sacramentum vero poenitentiae et extremae unctionis sunt inferioris gradus a praedictis sacramentis; quia ordinantur ad vitam christianam non per se, sed quasi per accidens, scilicet in remedium supervenientis defectus; inter quae tamen extrema unctio comparatur ad poenitentiam, sicut confirmatio ad baptismum; ita scilicet quod poenitentia est maioris necessitatis, sed extrema unctio est maioris perfectionis.“ [3])

3. De ordine *necessitatis.*

„Necessarium respectu finis dicitur aliquid dupliciter. Uno modo, sine quo non potest haberi finis, sicut cibus est necessarius vitae humanae; et hoc est simpliciter necessarium ad finem. Alio modo dicitur esse necessarium id, sine quo non habetur finis ita convenienter, sicut equus necessarius est ad iter; hoc autem non est simpliciter necessarium ad finem. Primo igitur

---

[1]) S. Th. 3 q. 65 a 1. Paulo aliter congruentiam numeri septenarii explicat S. Bonaventura, Breviloq. p. 6, c. 3.

[2]) S. Th. l. c. a. 2.

[3]) S. Th. l. c. a. 3.

modo necessitatis sunt tria sacrameuta necessaria: duo quidem personae singulari: baptismus quidem simpliciter et absolute, poenitentia autem supposito peccato mortali post baptismum, sacramentum autem ordinis est necessarium Ecclesiae. Sed secundo modo sunt necessaria alia sacramenta: nam confirmatio quodammodo perficit baptismum, extrema unctio poenitentiam, matrimonium vero Ecclesiae multitudinem per propagationem conservat."[1])

Appendix.

De Sacramentalibus.

Praeter sacramenta sunt alia signa sacra quae tum propter similitudinem cum sacramentis tum propter ordinem quem multa eorum ad sacramenta habent[2]) *sacramentalia* dicuntur. Sacramentalia alia in *actibus* sacris seu ritibus sita sunt; alia, quae tamen minus proprie sacramentalia vocantur, in rebus. Alia *in* ipso sacramentorum usu occurrunt, quae quidem a recentioribus potius ceremoniae dici solent; alia *extra* sacramenta adhibentur, quae communius nomen habent sacramentalium. Sacramentalia omnia ad tria genera revocari possunt: *exorcismos, benedictiones, consecrationes.* Quae extra sacramenta sunt, inde a saeculo 17 solent praecipua enumerari haec: *Orans* (oratio dominica et preces Ecclesiae), *tinctus* (aqua lustralis et oleum), *edens* (esculenta benedicta), *confessus* (confessio generalis), *dans* (eleemosyna ex Ecclesiae praecepto largienda), *benedictus* (benedictiones variae). — De sacramentalibus duo maxime quaeruntur: *origo* et *effectus* eorum.

1. *Origo sacramentalium.*

Sacramentalia sunt *antiquissima.* Non secus ac iam in Vetere Testamento, etiam in Novo multiplices reperiuntur benedictiones; Christus ipse benedixit panibus simul elevans oculos (Matth. 14, 19), pani et vino (Matth. 26, 26), epulis (Luc. 24, 30), parvulis, quibus et manus imponebat (Matth. 19, 15), discipulis suis, tradens potestatem baptizandi et docendi (Luc. 24, 49 sq.); adhibetur ab Apostolis etiam medium aliquod, quo usi supernaturalia patrant, sc.

1) S. Th. l. c. a. 4.
2) S. Th. l. c. a. 1 ad 6.

oleum (Marc. 6, 13). Hinc sequitur approbante, imo et volente Deo fieri, ut in ordine ad salutem actus ac res exteriores adhibeantur. Unde factum est, ut inde a primordiis Ecclesiae talia sacra et ab Ecclesia instituerentur et a christifidelibus in praxim deducerentur. Spectant huc variae benedictiones ac consecrationes, quae christianorum etiam primorum saeculorum vitam tum privatam tum maxime publicam ac liturgicam circumdabant, imo veluti pervadebant: signum crucis, eulogiae, aqua, oleum, sal etc.[1])

Haec autem sacramentalia, quantumvis antiqua et quantumvis instituta vi potestatis divinae, *non* tamen *a Christo*, sed *ab Ecclesia* instituta sunt. Nam primo nec ex Scriptura nec ex Traditione constat Christum ipsum praeter sacramenta tales ceremonias vel ritus instituisse, imo eo ipso quod sacramentorum institutio Christo tribuitur ut quid eorum proprium, sequitur aliorum rituum institutionem non posse ab ipso repeti auctore. Deinde Ecclesia ius sibi tribuit istiusmodi ritus ac res abrogandi et immutandi.

Competere vero *Ecclesiae ius* instituendi sacramentalia tum maxime in administratione sacramentorum tum etiam extra sacramenta adhibenda, liquet et ex usu huius iuris, quem semper Ecclesia exercuit, et ex solemni eiusdem declaratione in Concilio Tridentino Sess. 22 c. 5 contra Protestantes lata.

Hinc porro consequitur sacramentalia omnia oportere ut cum reverentia tractentur, ea quae in administratione sacramentorum ab Ecclesia praescribuntur, ut sub reatu culpae observentur. „Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni aut sine peccato a ministris pro libitu omitti aut in novos alios per quemcunque ecclesiarum pastorem mutari posse: a. s.“ (Conc. Trid. Sess. 7 c. 13).

2. *Effectus sacramentalium.*

Sacramentalia ad multiplicem finem ab Ecclesia instituuntur et adhibentur: 1. Sunt velut tessera aliqua, qua fidelis ab infideli distinguitur et Ecclesiae unitas demonstratur. Atque huc maxime spectat signum crucis. 2. Dignitatem sacramentorum et sacrificii eucharistici maiestatem commendant; idque praestant, ut sancta sancte tractare videamur. Huc pertinent v. g. lumina, thymiamata, vestes et vasa sacra aliaque id genus multa. 3. Magis declarant et veluti ante oculos ponunt sacramentorum sanctitatem ac virtutem; hinc fidelium etiam mentes ad sublimia melius intelligenda

---

[1]) Cf. Probst, Sacramente u. Sacramentalien in den drei ersten christl. Iahrhunderten; Duchesne, Origines du culte chrétien; Fr. Schmid, Die Sacramentalien der kath. Kirche.

erigunt fidemque et caritatem excitant. 4. Varia nobis largiuntur beneficia ad salutem tum animae tum corporis. Inter quae beneficia enumerari solent haec potissima: morborum curatio, impetratio beneficiorum temporalium, daemonum expulsio, peccatorum venialium remissio. Qui vero horum effectuum singulis sacramentalibus competat, non aliunde quam ex mente Ecclesiae colligendum est, quae quidem mens in ipsis quibus sacramentalia conficiuntur precibus satis manifestatur.

Ad postremum illum effectum, sc. *remissionem peccatorum*, quod spectat, haec animadvertenda sunt:

Sacramentalia non producunt ipsam *gratiam*; ordinantur tamen ad eam per sacramenta producendam. „Aqua benedicta et aliae consecrationes non dicuntur sacramenta, quia non perducunt ad sacramenti effectum, qui est gratiae consecutio; sed sunt dispositiones quaedam ad sacramenta: vel removendo prohibens, sicut aqua benedicta ordinatur contra insidias daemonum et contra peccata venialia, vel etiam idoneitatem quandam faciendo ad sacramenti perfectionem et perceptionem, sicut consecrantur altare et vasa propter reverentiam Eucharistiae.“ [1])

Quodsi ulterius quaeratur, *quomodo* sacramentalia effectum suum proprium producant, patet id fieri imprimis *ex opere operantis;* id quod maxime valet in remissione peccatorum venialium: eam sc. efficiunt „inquantum inclinant animam ad motum poenitentiae, qui est detestatio peccatorum vel implicite vel explicite“[2]). Probabile porro esse existimat Bellarminus, etiam *ex opere operato*, per applicationem sc. meritorum Christi, sacramentalia non sane gratiam, sed suos illos proprios effectus producere.[3]) Verum haec sententia communius reiicitur, utpote quae nulli solido argumento innitatur. Nihilominus aliqua tamen etiam virtus *obiectiva* sacramentalibus inesse dicenda erit, quae est independens a merito eius qui sacramentalibus utitur, videlicet *preces Ecclesiae*, quibus Deus oratur, ut gratias illas largiatur; quae tamen preces, quamvis magnam vim habeant, cum secundum legem communem non necessario a Deo exaudiantur, effectum non producunt infallibilem.

---

[1]) S. Th. 3 q. 65 a. 1 ad 6.
[2]) S. Th. 3 q. 87 a. 3 ad 1.
[3]) Bellarm. De sacram. 2, 31.

PARS II.

DE SACRAMENTIS IN SPECIE.

DE BAPTISMO.

„Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum baptisma, quod vitae spiritualis ianua est: per ipsum enim membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiae.“ (Conc. Flor. Decret. pro Armen.)

1. *Nomina* quibus baptismi sacramentum designatur haec sunt: A materia vocatur *baptismus* (βάπτισμα a graeco βάπτω, βαπτίζω), quae vox proprie immersionem significat[1]), distinctius *lavacrum aquae* vel *sacramentum aquae;* ab effectu dicitur *sigillum* et *signaculum* (σφράγισμα), *sacramentum fidei,* „inquantum sc. in baptismo fit quaedam fidei professio, et per baptismum aggregatur homo congregationi fidelium“[2]), *regeneratio* (παλιγγενεσία), *illuminatio* (φωτισμός; cf. Hebr. 6).

2. *Figurae* baptismi enumerantur a S. Ioanne Damasceno plures: „Primum baptisma *diluvium* fuit, quod exscindendi peccati causa contigit. Secundum illud fuit sc. quod per *mare et nubem* factum est: siquidem nubes Spiritus, mare aquae figuram gerebat. Tertium *legale* erat: quisquis enim immundus esset, aqua abluebatur. Quartum *Ioannis* fuit, quod illos, qui baptizabantur, ad poenitentiam adducebat, ut crederent in Christum . . . Quintum *Domini* baptisma, quo ipse baptizatus fuit: baptizatus est autem, non quod ipse pur-

[1]) Idem significat vox germanica „taufen“, quod gothice est „diupan“ (diup = tief).

[2]) S. Th. 3 q. 70 a. 1.

gatione indigeret, sed meam sibi purgationem adsciscens, ut capita draconum in aquis contereret, ut peccatum obrueret ac totum veterem Adamum in aqua sepeliret, ut baptismum sanctificaret, ut legem impleret, ut Trinitatis mysterium aperiret, ut semet tandem suscipiendi baptismi formam et exemplum praeberet . . . Sextum baptisma in *poenitentia* et *lacrimis* versatur, estque sane grave et molestum. Septimum est quod *sanguinis profusione* ac *martyrio* perficitur, quo et Christus ipse nostri causa defunctus est; estque illud perquam augustum ac beatum, quod nullis posthac sordibus inquinetur. Octavum denique et postremum illud est, non iam salutiferum, verum ita malitiam auferens, quando suus iam malitiae et peccato locus non erit, ut tamen in sempiternum *excruciet* ac *puniat.*“ [1])

Ad illud quod Damascenus legale vocat, specialissima ratione pertinent *circumcisio* et *sacramentum naturae* per quae antiqui aggregabantur societati fidelium; de quibus dictum est in tractatu de sacramentis in genere.

Agendum erit 1. de baptismi existentia, 2. essentia, 3. effectibus, 4. necessitate, 5. subiecto, 6. ministro, 7. ceremoniis.

Caput I.

De existentia baptismi.

Probandum est, ritum illum qui baptismus vocatur et qui apud omnes christianos in usu est, esse sacramentum proprie dictum a Christo Domino institutum [th. 1].

Thesis 1.

Baptismus est sacramentum a Christo institutum.

Sacramentum proprie dictum a Catechismo Romano definitur esse „res sensibus subiecta, quae ex Dei institutione sanctitatis et iustitiae tum significandae tum efficiendae vim habet“. Baptismum esse proprie dictum sacramentum adeo est manifestum, ut a christiano nemine unquam sit negatum. Rem definivit Concilium Florentinum et Tridentinum.

DEMONSTRATUR: Baptismus *sacramentum* est a Christo institutum.

---

[1]) Damasc. De fide 4, 9.

Adsunt in baptismo quaecunque ad rationem sacramenti proprie dicti exiguntur. Adest res sensibus subiecta, aqua nimirum et verbum. Adest gratia interior sanctitatis et iustitiae: non enim alia re efficitur ac constituitur regeneratio ad vitam spiritualem quam gratia, quod quidem fusius probabitur, ubi de baptismi effectibus agetur. Adest denique Dei institutio: nemo enim nisi Deus gratiam poterit producere; ac praeterea clarissime id significant ipsius Christi verba: „Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti“ (Matth. 28, 19).

Iam vero accuratius de *tempore* institutionis huius quaeritur. Novi Testamenti sacramenta omnia ita a Deo instituta credi debent, ut Christus Dominus ipse per se, dum visibilis inter homines versabatur, ea instituisse intelligatur. Quaeritur, *quando* Christus Dominus instituerit sacramentum baptismi. Qua de re haec tenenda videntur:

1. Probabile est Christum instituisse baptismum *ante passionem* suam. Et sane:

a. Ioan. 3, 22 legitur Iesus baptizavisse, sc. vel ipse vel, ut ex Ioan. 4, 2 colligitur, saltem ministerio Apostolorum suorum. [1]) Atqui baptismus hic fuisse videtur non Ioannis baptismus, sed baptismus, quo gratia conferebatur, seu baptismus sacramentum. Quod quidem tum consequi videtur ex Matth. 3, 11, ubi ipse Ioannes Baptista in oppositione ad baptismum suum, quod erat „in poenitentiam“, praedicit Christum baptizaturum esse „in Spiritu Sancto et igni“, tum suadetur inde quod idem evangelista Ioannes, qui haec narrat, in immediate praecedentibus (Ioan. 3, 3 sq.) verba Christi de necessitate baptismi utique sacramenti enarravit, tum comprobatur auctoritate Augustini, Bedae, Alberti, Thomae, Bonaventurae ac plurimorum interpretum. [2])

b. Ante Christi passionem, in ultima scilicet coena, Apostoli Eucharistiam et Ordinem (Conc. Trid. Sess. 23 c. 1) receperunt;

---

[1]) Licet Ioan. 4, 2 legatur: „quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius“, S. Augustinus tamen (Epist. 108) existimat Christum per seipsum baptizasse Apostolos. Nicephorus autem (Hist. eccl. 2, 3) ex Evodii Antiocheni quadam epistola narrat Christum ipsum baptizasse solum Petrum, Petrum reliquos Apostolos. Euthymius (In Ioan. 3) Christum ante Apostolos manibus suis Matrem suam sanctissimam baptizasse putat.

[2]) Ex recentioribus *Schanz* et *Knabenbauer* existimant baptismum, de quo Ioan. 3, 22 et 4, 1, non intelligendum esse sacramentum N. L., sed quandam eius praefigurationem: Schanz quidem, quia, ut ait, nec ipse Christus baptizabat, sed discipuli eius, nec opus redemptionis erat completum; Knabenbauer, quia „apud synopticos talis baptismus non commemoratur neque in ulla narratione de commoratione in Galilaea vestigium baptismi cernitur“. At, ni fallimur, haec argumenta non satis efficacia esse videntur.

verum „quomodo, ita Augustinus, poterant Eucharistiam accipere nondum baptizati?“ [1]) Obstare quidem videtur, quod Christi merita sacrificio crucis videntur debuisse compleri antequam sacramentis applicentur. Quod Tertullianus sic declarat: „Baptismus Christi dari non poterat utpote nondum impleta gloria Domini nec instructa efficacia lavacri per passionem et resurrectionem, quia nec mors nostra dissolvi posset nisi Domini passione nec vita restitui sine resurrectione ipsius.“ [2]) Verum Christus Dominus quemadmodum generatim voluit merita in cruce consummanda iam ante passionem suam, imo et ante adventum suum efficacia esse, sic etiam per sacramenta poterat ea hominibus applicare, sicut revera antea instituit Eucharistiam.

2. Non liquet, *quo tempore* Christus baptismum instituerit. S. Augustinus haec habet: „Ex quo Salvator in aqua se mersit, ex eo omnium gurgitum tractus cunctorumque fontium venas mysterio baptismatis consecravit.“ [3]) Quibus verbis praecipue innixi plures in ipso suo baptismate baptismatis sacramentum Christum instituisse opinati sunt. Verum rem accuratius consideranti haec, ni fallimur, probabuntur:

a. Non videtur, siquidem de institutione agitur presse dicta quam formalem vocant, baptismi sacramentum institutum fuisse, quando Christus ipse a Ioanne in Iordane baptizabatur: nam α. Christum tunc Ioanni administravisse baptismum ne verbo quidem in sacris Litteris insinuatur, baptismus vero quo ipse a Ioanne baptizabatur, non erat baptismus sacramentum, sed baptismus Ioannis; β. cum sacramentorum institutio actus sit Christi legislatoris, non videtur verosimile baptismum institutum esse a Christo actu illo, quo non legislatoris, sed potius poenitentis gerebat personam.

b. Cum aliud tempus certum assignari nequeat, maxime videtur verosimile tunc a Christo baptismi sacramentum fuisse institutum, quando *ipse* ante passionem *discipulos misit* ad praedicandum et baptizandum.

c. Praeter institutionem proprie dictam haec sunt distinguenda:

α. In Iordane habetur quaedam baptismi institutio inchoata et exemplaris, quatenus et Christus „tactu mundae carnis aquas mundavit, ut vim abluendi haberent“ [4]), seu „ut baptismatis ius haberent“ [5]), et quatenus „tunc SS. Trinitas, in cuius nomine baptismus

---

[1]) Augustin. Epist. 163.
[2]) Tertull. De bapt. 11.
[3]) Augustin. Sermo 36 de temp.
[4]) Augustin. Sermo 34.
[5]) Ambros. In Luc. 2, 83.

conficitur, numen suum praesens declaravit . . ., praeterea coeli aperti sunt, quo nobis iam per baptismum licet ascendere“[1]).

β. In cruce baptismus est institutus, quatenus Christi passio, quae ibi consummabatur, omnium gratiarum ideoque etiam baptismi est causa moralis ac meritoria, et quatenus in symbolo tunc „de latere ipsius profluxerunt sanguis redemptionis et aqua baptismatis“ [2]).

γ. Necessitas denique baptismi, quam Christus iam in colloquio cum Nicodemo clare significaverat, iterum declarata est quantum ad gentes omnes solemniterque promulgata post resurrectionem, cum Christus dixit Apostolis: „Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.“ Qua de re ita S. Thomas: „Necessitas utendi hoc sacramento indicta fuit hominibus post passionem et resurrectionem tum quia in passione Christi terminata sunt figuralia sacramenta, quibus succedit baptismus et alia sacramenta N. L.; tum etiam quia per baptismum configuratur homo passioni et resurrectioni Christi, inquantum moritur peccato et incipit novam iustitiae vitam. Et ideo oportuit Christum prius pati et resurgere, quam hominibus indiceretur necessitas se configurandi morti et resurrectioni eius.“ [3])

SCHOLION. Negari non potest tum apud *Gentiles* tum apud *Iudaeos* lotiones sacras in usu fuisse, quibus homines secundum legem mundandi essent. Est etenim propter obviam suam significationem valde naturalis eiusmodi usus.[4]) Hinc vero nullatenus sequitur cum illis lotionibus in eodem ponendum esse ordine Christi baptismum, sed intelligitur, cur et Ioannes baptizaverit, de quo baptismo postea dicetur, et cur Christus baptismum instituerit sacramentum.

Caput II.

De essentia baptismi.

Essentia intelligitur physica seu ipse ritus sensibilis sacramenti baptismi. Quae cum coalescat e materia et forma, de baptismi materia [th. 2] et forma [th. 3] dicendum erit.

Thesis 2.

Materia baptismi 1. remota est aqua vera et naturalis, 2. proxima est tum immersio tum aspersio et infusio.

Antiquitus Manichaei et Gnostici, sicut generatim quae materialia sunt, ita etiam aquam repudiarunt. Quem errorem Albigenses

[1]) Catech. Rom.
[2]) Leo, Ep. 6 ad episc. Siciliae 6.
[3]) S. Th. 3 q. 66 a. 2.
[4]) Cf. Schanz, Die Lehre von den h. Sacramenten § 14.

et Cathari renovaverunt. Sociniani verba Christi Ioan. 3, 5 de aqua intellexerunt metaphorica, quam Calvinus nihil aliud quam Christi sanguinem esse contendit. Lutherus aliique quamvis aquam baptismi materiam ordinariam admitterent, ea tamen deficiente quovis alio liquore sacramentum hoc posse conferri docuerunt. Quos omnes Concilium Tridentinum (Sess. 7 can. 2) damnavit his verbis: „Si quis dixerit aquam veram et naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa D. N. I. Chr. «nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto» ad methaphoram aliquam detorserit: a. s.“

Actio, qua materia haec remota applicatur fitque proxima, triplex esse potest: immersio in aquam, aspersio aquae, infusio denique seu affusio. Ritum infusionis nunc in Ecclesia latina receptum tempore Concilii Florentini Marcus Ephesinus et post eum alii schismatici Graeci exprobraverunt asserentes immersionem eamque trinam de necessitate esse baptismi. Contra quos Concilium Tridentinum (Sess. 7 can. 3) haec statuit: „Si quis dixerit, in Ecclesia Romana, quae omnium ecclesiarum mater est et magistra, non esse veram de baptismi sacramento doctrinam: a. s.“

DEMONSTRATUR: **1.** Materia baptismi *remota* est aqua vera et naturalis.

1. Ex *Scriptura* probatur:

Christus ipse clare id significavit (Ioan. 3, 5): „Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto etc.“; ubi causam instrumentalem iunxit principali. Accedunt vero verba et facta luculenta, quae Christi verba sensu obvio intellecta fuisse ostendunt. Sic Eunuchus (Act. 8, 36) mox atque aquam vidit, „ecce aqua, inquit, quid prohibet me baptizari?“ Sic Petrus (Act. 10, 47) Cornelium cum suis ad baptismum bene dispositum cernens „numquid aquam, inquit, quis prohibere potest ut non baptizentur hi?“ Paulus denique (Ephes. 5, 26) ostensurus, quomodo Ecclesia a Christo sanctificetur, „ut illam sanctificaret, inquit, mundans lavacro aquae in verbo vitae“.

2. *Traditio* tum practica tum theoretica idem evincit:

a. Semper in baptismo adhibita est aqua nec unquam receptus est baptismus absque aqua collatus.

b. Doctrina Apostolorum[1]): „De baptismo autem, sic baptizate . . . baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti in aqua

[1]) ‚Doctrina duodecim Apostolorum‘ sive ‚Didache‘ in lucem edita est a. 1883 a Philotheo Bryennio metropolita Nicomediensi. „Certum esse videtur, librum Barnabae epistola priorem itaque aliquamdiu ante finem saeculi primi scriptum esse“ (Funk, Doctr. duod. Apost. Proleg. 6).

viva (ἐν ὕδατι ζῶντι)[1]; sin autem non habes aquam vivam, in alia aqua baptiza (εἰς ἄλλο ὕδωρ): si non potes in frigida, in calida: sin autem neutram habes, effunde (ἔκχεον) in caput ter aquam in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti."[2]) Iustinus M.: „Deinde (catechumeni) eo adducuntur a nobis, ubi est aqua."[3]) Tertullianus: „Felix sacramentum aquae nostrae." „Nos pisciculi secundum ἰχθύν nostrum Iesum Christum in aqua nascimur."[4]) Augustinus: „Quid est baptismus Christi? Lavacrum aquae in verbo. Tolle aquam: non est baptismus; tolle verbum: non est baptismus."[5])

3. Ex *ratione theologica* ostenditur rem esse congruam:

„Ex institutione divina aqua est propria materia baptismi, et hoc convenienter. Primo quidem quantum ad ipsam *rationem* baptismi, qui est regeneratio in spiritualem vitam, quod maxime congruit aquae. Unde et semina, ex quibus generantur omnia viventia, sc. plantae et animalia, humida sunt et ad aquam pertinent. Propter quod quidam philosophi posuerunt aquam omnium rerum principium. Secundo quantum ad *effectus* baptismi, quibus competunt aquae proprietates, quae sua humiditate lavat, ex quo conveniens est ad significandam et causandam ablutionem peccatorum; sua frigiditate etiam temperat superfluitatem caloris, et ex hoc competit ad mitigandam concupiscentiam fomitis; sua diaphaneitate est luminis susceptiva, unde competit baptismo, inquantum est fidei sacramentum. Tertio quia convenit ad repraesentandum *mysteria* Christi, quibus iustificamur. Ut enim dicit Chrysostomus «sicut in quodam sepulcro in aqua submergentibus nobis capita, vetus homo sepelitur, et submersus deorsum occultatur, et deinde novus rursus ascendit». Quarto quia ratione suae communitatis et abundantiae est conveniens materia *necessitatis* huius sacramenti; potest enim ubique de facili haberi."[6])

2. Materia *proxima* est *ablutio*, sive ea fiat per immersionem sive per infusionem vel aspersionem.

Quemadmodum vox ipsa ‚baptismi' proprie *immersionem* significat, sic patet modum baptizandi per immersionem praeprimis esse convenientem quo sacramentum hoc administretur, et insigniorem

---

[1]) Aqua *viva* ac *fluens* mundationis internae signum est melius. Etiam in ‚Testamento D. N. I. Chr.' nuper edito a Rahmani patriarcha Antiocheno aqua fluens exigitur.

[2]) Doctr. Apost. 7.

[3]) Iustin. M. Apol. 1, 61.

[4]) Tertull. De baptismo 1. Qui liber scriptus contra Caianos et Quintilianos Gnosticos integer huc spectat.

[5]) Augustin. In Ioan. tr. 15, 4.

[6]) S. Th. 3 q. 66 a. 3.

figuram sepulturae Christi. Quocirca inde ab initio etiam modus erat baptizandi maxime communis. Nihilominus etiam *infusione* et *aspersione* valide baptizari est certissimum. Per se vero intelligitur, in omni huiusmodi vel aspersione vel infusione requiri veri nominis *ablutionem*; atque adeo imprimis nec sufficere unam alteramve guttam aquae nec tactum solum manus vel digiti alicuius madefacti, sed exigi et aquam tantam, quae ad communem aliquam corporis vel membri alicuius ablutionem postulari existimatur, et praeterea, ut aqua haec aliquo modo super cutem fluat.[1])

Validum existimatum esse semper etiam baptismum qui per infusionem vel aspersionem fit, ex his consequitur[2]): a. Verosimile est iam baptismum illum trium millium et quinque millium, etiam illum custodis carceris, de quibus Act. 2, 4, 16 non fuisse collatum per immersionem. b. Doctrina Apostolorum loco superius citato modum ac morem ut videtur satis communem baptizandi per effusionem iam agnoscit (ἔκχεον). c. In vetustissimis picturis Urbis baptismus conspicitur per infusionem administratus.[3]) d. Baptismus clinicorum i. e. in lecto decumbentium sola aspersione vel infusione conferebatur, et ita existimatus est validus, ut aegroti sic baptizati, etiamsi convaluissent, nunquam rebaptizarentur.[4]) e. Unanimis est hac in re Scholasticorum consensus, quamquam Albertus M. immergendi consuetudinem vocat laudabiliorem et S. Thomas tutiorem, „quia, ait, hoc habet communior usus“ [5]). — Ita quidem S. Thomas. Ast inde a saeculo 12 usus baptizandi per infusionem paulatim factus est communior; inde a saeculo 15 baptismus per immersionem in occidente nonnisi raro invenitur.[6])

---

[1]) En ratio cur de valore baptismi ab *acatholicis* collati aetate nostra saepissime dubitari liceat. Compertum est enim, baptismum ab eis haud raro administrari vel per levem aliquam aspersionem, qua cutis baptizandi vix humectitur, vel tactu manus sive etiam digiti madefacti. Congregatio S. Inquis. die 14 dec. 1898 decrevit sub conditione iterandum esse baptismum, qui fuerit collatus „non per ablutionem, sed per modum unctionis in fronte cum pollice in aqua baptismali madefacto“.

[2]) Encyclica patriarchae Constantinop. schismatici synodica a. 1895 ut Latinos ostendat immerito recessisse a modo baptizandi per immersionem, ad *Pelagium* Papam provocat, utpote qui trinam submersionem „praeceptum Domini“ vocet. At falso prorsus. Pelagius non de submersione loquitur, sed de baptismo in nomine Trinitatis collato.

[3]) Cf. Kraus, Realencycl. ‚Taufe‘.

[4]) Cf. Cyprian. Epist. ad Magnum.

[5]) Alb. M. 3 a. 5 qu. 3; S. Th. 3 q. 66 a. 7.

[6]) Ipsa immersio antiquitus species aliqua infusionis fuisse videtur. „L' immersion baptismale ne doit pas s'entendre en ce sens que l'on plongeât entièrement dans l'eau la personne baptisée. Elle entrait dans la pis-

SCHOLION 1. Aqua intelligitur quaecunque aquae *naturalis* nomine inter homines venit. Quod iam Tertullianus ita expressit: „Nulla distinctio est, mari quis an stagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur." [1]) Quodsi quaeras, quae aquae possit admitti mutatio, haec respondet S. Thomas: „In qualibet aqua qualitercunque transmutata, dummodo non solvatur species aquae, potest fieri baptismus." [2])

Attamen ex praecepto praxique Ecclesiae, excepto casu necessitatis, non licet uti in baptismo nisi aqua modo speciali *benedicta* ac consecrata; quem quidem usum S. Basilius ex traditione Apostolica ortum habere declarat. [3]) Unde S. Cyprianus: „Oportet mundari et sanctificari aquam primo a sacerdote, ut possit baptismo suo peccata hominis, qui baptizatur, abluere." [4]) Ritus huius benedictionis in Constitutionibus apostolicis describitur. [5])

Trina antiquitus in usu erat immersio. Postquam vero Ariani ex triplici hac immersione trium personarum distinctum atque diversum sanctificandi modum concludere posse sibi sunt visi, Gregorius M. Hispanis, ut una tantum immersione baptizarent, praecepit. [6]) De utraque baptizandi ratione ita disserit S. Thomas: „Ad baptismum per se requiritur ablutio aquae, quae est de necessitate sacramenti, modus autem ablutionis per accidens se habet ad sacramentum. Et ideo, sicut ex praedicta auctoritate Gregorii patet, quantum est de se, utrumque licite fieri potest, sc. et semel et ter immergere, quia unica immersione significatur unitas mortis Christi et unitas deitatis; per trinam autem immersionem significatur triduum sepulturae Christi, et etiam Trinitas personarum." [7])

2. Valere baptismus videtur, si ablutio fit in parte quacunque principaliori corporis; fieri vero oportet, modo fieri possit, in *capite*. Etenim „principalis pars corporis praecipue quantum ad exteriora membra est caput, in quo vigent omnes sensus et interiores et exteriores: et ideo si totum corpus aqua non possit perfundi propter . . . . aliquam causam, oportet caput perfundere, in quo manifestatur principium animalis vitae." [8])

Quaeritur, utrum valeat baptismus infantibus collatus in *utero matris*. Antiquiores theologi id fieri posse negabant, cum „corpus infantis, antequam nascatur ex utero, non possit aliquo modo ablui aqua" [9]). Verum in prae-

---

cine, où la hauteur de l'eau n'était pas suffisante pour dépasser la taille d'un adulte; puis on la plaçait sous l'une des bouches d'où s'échappaient des jets d'eau; ou encore, on prenait de l'eau dans la piscine elle-même pour la répandre sur sa tête. C'est ainsi que le baptême est représenté sur les anciens monuments." Duchesne, Origines du culte chrét. p. 302.

1) Tertull. De bapt. 4.

2) S. Th. 3 q. 66 a. 4.

3) Basil. De Spir. S. 27.

4) Cyprian. Epist. 70, 1.

5) Constit. Apost. 7, 43.

6) Gregor. M. Epist. 1, 43.

7) S. Th. l. c. a. 8.

8) S. Th. l. c. a. 7 ad 3.

9) S. Th. 3 q. 68 a. 11.

senti theologorum communior est sententia baptismum huiusmodi, cum media suppetant infantem in utero latentem aqua tangendi, validum esse et in casu necessitatis omnino conferendum.[1]) Nihilominus, quia in his rebus pars tutior eligenda est, si infans sic est baptizatus, postea cum editus fuerit, S. Poenitentiaria die 12. iun. 1895 statuit, sub conditione eum iterum baptizandum esse.

Thesis 3.

Forma baptismi complectitur tum 1. expressionem actionis baptizantis tum 2. distinctam trium divinarum personarum invocationem.

Actio baptizantis dupliciter exprimi potest: forma activa et passiva. Activa forma utuntur Latini dicentes: ego te baptizo; passiva Orientales dicentes: βαπτίζεται ὁ δοῦλος τοῦ ϑεοῦ. Aliquo modo baptizantis actionem exprimi oportere certum est. Utramlibet, sive activam sive passivam, valide adhiberi, docuit Concilium Florentinum (Decret. pro Armen.).

Ad formae essentiam, ideoque ad valorem baptismi distincta requiritur trium divinarum personarum expressio. Qua in re notandus est error imprimis veterum aliquorum haereticorum, ut Paulianistarum, quos Concilium Nicaenum I rebaptizari iussit, quia ut suam circa SS. Trinitatem haeresim in forma quoque, qua utebantur, baptismi aliquo modo exprimerent, eandem corruperunt. Notanda est etiam opinio catholicorum qui baptisma etiam in solo nomine Iesu collatum valere opinati sunt, idque vel, ut Hugo Victorinus et Magister, simpliciter, vel ut Albertus, Thomas, Bonaventura etc., saltem tempore Apostolorum; de qua quidem opinione in Corollario dicetur.

DEMONSTRATUR: 1. Ad formam baptismi requiritur, ut *actio baptizantis* exprimatur.

Alexander III (a. 1179) haec statuit: „Si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen, et non dixerit «ego te baptizo in nomine etc.», non est puer baptizatus.“[2]) Alexander VIII (a. 1690) hanc propositionem in Morino damnavit: „Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus: «In nomine etc.» praetermissis illis: «Ego te baptizo».“

---

[1]) Cf. Ballerini in nota ad n. 402 vol. 1 et 239 vol. 2 Gury.

[2]) Cf. Decr. 3 t. 42 c. 1. — Quibus tamen forma Graecorum non reiicitur: „Non tamen negamus, ait Eugenius IV (Decr. pro Armenis), quin et per illa verba: «Baptizatur talis servus Christi in nomine etc.» verum perficiatur baptisma.“

Et sane: „Quia ablutio hominis in aqua propter multa fieri potest, oportet quod determinetur in verbis formae ad quid fiat; quod quidem non fit per hoc quod dicitur: «In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti», quia omnia in tali nomine facere debemus.“ [1])

2. Distincta exigitur *trium personarum* expressio.

Christus iubet homines baptizari „in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti“ (Matth. 28, 19). Atqui haec verba, quamvis si sola per se spectentur non necessario significent ea ipsa in conferendo baptismo pronuntianda esse, tamen interprete universa Traditione ad formam baptismi spectant. Id probatur testimonio illo antiquissimo, quod legitur in Doctrina Apostolorum (cfr. thesis praecedens) et aliis vetustis testimoniis clarissimis (cfr. tract. de Deo trino p. 136). Quibus addatur Augustinus: „Si evangelicis verbis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti Marcion baptisma consecrabat, integrum erat sacramentum.“ Et deinde efficacius: „Quis nesciat, non esse baptismum Christi, si verba evangelica, quibus symbolum constat, illic defuerint? Sed facilius inveniuntur, qui omnino non baptizent quam qui illis verbis non baptizent.“ [2])

Hinc Pelagius I (a. 558) Gaudentio episcopo scribit: „Si . . . solummodo in nomine Domini baptizatos fuisse confitentur, sine cuiuscunque dubitationis ambiguo eos ad fidem catholicam venientes in sanctae Trinitatis nomine baptizabis.“

COROLLARIUM. Ex nonnullis Scripturae dictis ac Patrum aliquorum, praesertim Nicolai I, testimoniis theologi plures concludendum existimaverunt, et *Apostolos* aliquando *solo* Christi invocato nomine baptizavisse neque nunc fortasse expressam trium personarum invocationem de essentia esse baptismi. Facti porro veritate, quam ipse non investigat, supposita, S. Thomas cum aliis Apostolos, siquidem fecerint, ex speciali Christi revelatione ac privilegio id fecisse asserit, nimirum „ut nomen Christi, quod erat odiosum Iudaeis et Gentilibus, honorabile redderetur per hoc, quod ad eius invocationem Spiritus Sanctus dabatur in baptismo“ [3]).

Iam vero 1. sententia omnino *communis* tenet, baptismum in solo Christi nomine collatum nec valere nec valuisse unquam. Ita iam S. Cyrillus Alexandrinus in verba illa „quicunque in Christo Iesu baptizati fuimus“ haec habet: „Baptizati quidem fuimus omnibus consentientibus (ὁμολογουμένως) in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti; ceteroquin etiamsi dicat, in Christo Iesu baptizati fuimus, nihil incongruum dicit.“ [4])

---

[1]) S. Th. 3 q. 66 a. 5 ad 2.
[2]) Augustin. De bapt. 3, 20; 6, 47.
[3]) S. Th. l. c. a. 6 ad 1. Cf. etiam Catech. Rom.
[4]) Cyrill. Alex. Epist. ad Rom. (Mai, Bibl. nov. 3).

2. Loca *Scripturae* ac *Patrum* quae sententiae huic obstare videntur, commode ita possunt explicari, ut in iis agi dicatur non quidem de forma baptismi, sed designetur baptismus a Christo institutus atque conferendus iuxta ipsius ritum mandatamque initiandi formulam, praesertim ad distinctionem baptismi Ioannis, baptismus porro qui vim habeat atque efficaciam ex meritis Christi, baptismus qui conferatur in fide Christi i. e. in Christum credentibus, baptismus denique qui Christi dici potest eo vel magis, quod „qui Christum nominaverit, nec Patris obliviscitur neque Spiritus“ [1]).

3. Consideretur speciatim *Nicolai I* responsum ad Bulgaros. „Si nomine, ait, SS. Trinitatis vel tantum in nomine Christi, sicut in Actis Apostolorum legimus, baptizati sunt (unum quippe idemque est, ut exponit S. Ambrosius), constat eos non esse denuo baptizandos.“

a. Communis est responsio, Nicolaum interrogatum non de baptismi forma, sed de ministro, utrum sc. valeat baptismus collatus a Iudaeo vel pagano, quae de forma addit, non definiendo tamquam doctorem publicum, sed incidenter ex privata sententia proferre; nihil porro eum de forma definivisse, manifestum est inde, quod huiusmodi definitio in Ecclesia Romana certe invaluisset.

b. At neque admitti oportet Nicolaum vocibus „in nomine Christi“ significavisse invocationem solius nominis Christi, sed vel loquitur de forma baptismi, et tunc, quemadmodum vocibus „in nomine Trinitatis“ explicita trium personarum intelligitur invocatio, sic vocibus „in nomine Christi“ eadem forma alio modo proponi censenda est, ita sc. ut particula ‚tantum‘ ad textum Lucae spectare intelligatur; vel de forma baptismi omnino non loquitur, sed de fide baptizandi, sc. eodem modo quo S. Ambrosius, ad quem provocat, asserens nimirum baptizandum baptismi gratiam percipere, si interrogatus in professione fidei unam saltem nominet personam, modo alias non abneget, quia tunc „plenum est fidei sacramentum“ [2]).

SCHOLION 1. Cur dicitur „*in nomine*“, et non „in nominibus“? Respondet S. Thomas: „Etsi sint tria nomina personalia trium personarum, est tamen nomen unum essentiale; virtus autem divina, quae operatur in baptismo ad essentiam pertinet: et ideo dicitur «in nomine», et non «in nominibus».“ [3])

Tres personae cum *aliis* quoque nominibus designentur, e. g. innascibilis, Verbi, doni etc., quaeritur, curnam his aliis nominibus baptismus non perficiatur. Respondet idem S. Thomas: „Sicut aqua sumitur ad baptismum, quia eius usus est communior ad abluendum, ita ad significandum tres personas in forma baptismi assumuntur illa nomina, quibus communius consueverunt nominari personae in illa lingua; nec in aliis nominibus perficitur sacramentum.“ [4])

---

[1]) Cyrill. Alex. l. c.

[2]) Ambros. De Spir. S. 1, 3. — Cf. de tota hac quaestione Photius, q. 43 ad Amphilochium (Mai, Script. vet. 1).

[3]) S. Th. 3 q. 66 a. 5 ad 6.

[4]) S. Th. l. c. ad 7.

2. De *variatione* quaeritur, quae formam baptismi efficiat invalidam. Respondet S. Bonaventura: „Impedit baptismum in forma mutatio nominis et numeri, additio distrahens (sc. intellectum, si v. g. dicatur „Patris geniti“), corruptio auferens sensum, et interpositio actum discontinuans.“ [1]) Aliae mutationes, v. g. quae ex defectu pronuntiationis vel ignorantia idiomatis proficiscuntur, baptismi valorem non tangunt. [2])

Quamquam „possunt, si necessitas exigit, plures simul baptizari, quia nullus eorum reciperet nisi unum baptismum“, „*plures* simul non possunt unum baptizare, quia actus multiplicatur secundum multiplicationem agentium, si perfecte ab unoquoque agatur.“ [3]) Et re quidem vera: „Integritas baptismi consistit in forma verborum et in usu materiae. Et ideo neque ille qui tantum verba profert, baptizat, neque ille qui immergit. Et ideo si unus verba proferat, et alius immergat, nulla forma verborum poterit esse conveniens. Neque enim poterit dici: «ego te baptizo», cum ipse non immergat, et per consequens non baptizet. Neque etiam poterit dici: «nos te baptizamus» cum neuter baptizet; si enim duo sint, quorum unus unam partem libri scribat et alius aliam, non erit propria locutio: «nos scripsimus librum istum», sed synecdochica, inquantum totum ponitur pro parte.“ [4])

3. Inde a saeculo 8 etiam forma *conditionata* baptismi in usu fuisse noscitur. Ea adhibenda est, quando positive dubium est, utrum baptismus valide fuerit collatus. Iam in statutis synodalibus S. Bonifatii (c. a. 747) hoc praecipitur: „De quibus dubium est, utrum sint baptizati annon, omnibus modis absque scrupulo baptizentur, his tamen verbis praemissis: «Non te rebaptizo, sed si nondum baptizatus es etc.»“ Iam vero hac nostra quidem aetate de valore baptismi a ministris acatholicis collati haud raro prudenter non solum posse, verum etiam debere dubitari, non est quod hic probemus. [5])

---

[1]) S. Bonav. 4 dist. 3 p. 1 a. 2 q. 3.

[2]) Hinc responsum intelligitur *S. Bonifatio* a Zacharia Papa (a. 746) datum: „Retulerunt, quod fuerit in eadem provincia sacerdos, qui linguam latinam penitus ignorabat, et dum baptizaret, nesciens latini eloquii, infringens linguam diceret: «Baptizo te in nomine Patria et Filia et Spiritu Sancta»; ac per hoc tua reverenda Fraternitas consideravit rebaptizare. Sed sanctissime Frater, si ille, qui baptizavit, non errorem inducens aut haeresim, sed pro sola ignorantia romanae locutionis, infringendo linguam, ut supra fati sumus, baptizans dixisset, non possumus consentire ut denuo baptizentur, quia, ut tua bene compertum habet sancta Fraternitas, quicunque baptizatus fuerit ab haereticis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, nullo modo debet rebaptizari, sed per solam manus impositionem purgari.“

[3]) S. Th. l. c. ad 4.

[4]) S. Th. 3 q. 67 a. 6 ad 3.

[5]) Cf. ‚Pastor bonus‘ 1898, 57 sq.

Caput III.

De baptismi effectibus.

Thesis 4.

Effectus baptismi sunt: 1. gratiae infusio ac remissio omnium peccatorum omnisque poenae, 2. infusio praeterea virtutum et donorum, 3. impressio characteris.

Quae de baptismi effectibus dicenda forent, magnam partem iam dicta sunt, ubi de effectibus iustificationis agebatur: est enimvero baptismus sacramentum praecipuum, quo iustificemur. Quamobrem hic quae baptismi aliqua ratione propria esse videntur, ut dicamus relinquitur. Est vero baptismi maxime proprium, ut operetur non ad modum „particularium medicinarum", sed „in virtute passionis Christi, quae est universalis medicina" [1]).

Calvinus ita baptismum definivit: „Baptismus est signum initiationis, quo in Ecclesiae cooptamur societate, ut Christo insiti inter filios Dei censeamur." [2]) Quae definitio, cum nec partem ullam essentiae baptismi exhibeat nec effectum principem, inepta iudicanda est. Lutherus efficaciam baptismi ad hominem vere iustificandum plene agnovit. [3]) Verum temporis decursu factum est, ut in theologia *Protestantium* Calvini et definitio et doctrina de baptismo magis magisque evaderet communis, ita quidem, ut hac nostra aetate facta videatur communissima. [4])

Secundum *catholicam* doctrinam verissimum quidem est, baptismo hominem fidelium societati atque Ecclesiae aggregari, sed effectus hic non est nisi veluti externus ac consequens alium effectum

---

[1]) S. Th. 3 q. 69 a. 1 ad 3.

[2]) Calvin. Instit. 4, 15.

[3]) Audias ipsum *Lutherum:* „Wird das Blut Christi kräftiglich in die Wassertaufe gemengt, dass man sie nicht soll ansehen für schlecht Wasser, sondern als schön gefärbet und durchröthet mit dem theuern rosinfarbnen Blute des lieben Heilandes."

[4]) *Hase* baptismum declarat *non* esse *nisi symbolum* peccatorum delendorum et regenerationis („nur ein Sinnbild der Reinigung von der Sünde wie der Geburt des ewigen Lebens in uns"), in se vero esse medium hominum in populi fidelis societatem recipiendorum („objektiv ist sie die Aufnahme in die Christenheit mit allen ihren Segnungen", Dogmatik § 190). Similiter *Luthardt* baptismum non videtur habere aliud quam „actionem qua qui non renuunt fidelium numero aggregantur" („die Handlung, durch welche alle diejenigen, welche willig dazu sind, in die Zahl der Jünger, in die Gemeinschaft der Kirche aufgenommen werden; die Taufe ist das Sacrament der Aufnahme", Apolog. Vorträge, 9. Vortrag).

longe principem, sc. gratiae infusionem atque inde remissionem peccatorum plenam. Catholicam doctrinam de baptismi effectu praecipuo sic breviter declaravit Concilium Florentinum (Decret. pro Armen.): „Huius sacramenti effectus est remissio omnis culpae originalis et actualis, omnis quoque poenae, quae pro ipsa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis praeteritis iniungenda est satisfactio, sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum coelorum et Dei visionem perveniunt." Concilium porro Tridentinum haec definivit (Sess. 5 c. 5): „Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat aut etiam asserit non tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari: a. s.; in renatis enim nihil odit Deus."

DEMONSTRATUR: **1.** Baptismo *gratia* infunditur et omnis *reatus* deletur.

1. Ex *Scriptura* probatur.

In *V. T.* a propheta praedicitur: „Et effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et ab universis idolis vestris mundabo vos"; et ne hac effusione intelligatur sola quaedam legalis mundities efficienda, additur: „et dabo vobis cor novum et spiritum novum ponam in medio vestri et auferam cor lapideum de carne vestra et dabo vobis cor carneum et spiritum meum ponam in medio vestri" (Ez. 36, 25 sq.). Atqui hic haud obscure et baptismi aquam et Spiritus Sancti infusionem significari merito dicemus. „In aqua illa facile cernis adumbrari aquam baptismalem, hic habes spiritum Domini qui se animis communicat eosque innovat, ad novam vitam transfert. Iam quid est hoc aliud nisi vaticinium regeneratione ex aqua et Spiritu Sancto? Pariter declaratur duplex illud quod in iustificatione homini obtingit: remissio peccatorum et infusio gratiae, quam infusionem hic habemus expressam in spiritu Domini posito in cordibus, per quem cor nostrum efficitur novum, efficitur obediens et facile cedens monitionibus divinis." [1])

Atque haec in *N. T.* et comprobantur et distinctius declarantur. Ioannes docet, Christum baptizaturum esse „in Spiritu Sancto et igni", dum contra ipse baptizet „in aqua in poenitentiam" (Matth. 3, 11); atqui haec significant in Christi baptismo ipsum Spiritum Sanctum operaturum esse peccatorum remissionem ipsam. Christus verbis: „nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto,

---

[1]) Knabenbauer in h. l.

non potest introire in regnum Dei“ (Ioan. 3, 5) baptismum exhibet esse regenerationem, qua nova vita supernaturalis gignatur ac tandem vita aeterna. Novae huius nativitatis nimirum is est effectus, ut homines fiant „filii Dei“ (Ioan. 1, 12). Ab Apostolo Petro praecipitur: „Baptizetur unusquisque vestrum . . . in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus Sancti“ (Act. 2, 38); baptismi igitur effectus significatur esse et remissio peccatorum et Spiritus Sancti gratia. Idem Apostolus baptismum cum diluvii arca comparans scribit: „Vos . . . salvos facit baptisma“ (1 Petr. 3, 21). Paulus Apostolus, postquam peccatorum varia genera enumeravit, sic pergit: „Et haec quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi et in Spiritu Dei nostri“ (1 Cor. 6, 11), videlicet baptismo. Quam quidem ablutionem iustificatricem etiam clarius significat, cum dicit: „Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti“ (Tit. 3, 5). Hinc Christus dicitur Ecclesiam sanctificasse „mundans lavacro aquae in verbo vitae“ (Eph. 5, 26). Rationem internam nexus huius inter baptismum et sanctificationem nostram repetit idem Apostolus inde, quod in baptismo cum Christo morimur et resurgimus, i. e. quod Christi merita baptismo nobis applicantur: „An ignoratis, quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? . . . Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu“ (Rom. 6, 3; 8, 1). Hinc porro per baptismum „in unum corpus baptizati sumus . . . et omnes in uno Spiritu potati sumus“ (1 Cor. 12, 13); hinc denique „quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis“ (Gal. 3, 27).

2. Ex *Traditione* probatur.

Patres extollunt modo baptismi effectum negativum, sc. peccatorum ac poenarum remissionem, modo positivum, sc. gratiam. Hermas haec habet: „Ubi accipit homo illud sigillum, liberatur a morte et traditur vitae; illud autem sigillum aqua est, in quam descendunt homines morte obligati, ascendunt vero vitae assignati.“ [1]) Barnabas crucem comparans cum aqua baptismatis: „Sentire debetis, quomodo aquam et crucem in uno dono constituit (ἐπὶ τὸ αὐτὸ ὥρισεν); hoc ergo dicit: Felices qui speraverunt in aquam et in crucem . . . Descendimus in aquam pleni peccatis et sordibus, et ascendimus fructibus pleni.“ [2]) Irenaeus contra Gnosticos admittentes peccata baptismo remitti urget in baptismo Spiritum Sanctum effundi. [3]) Tertullianus sic exorditur librum de baptismate: „Felix sacra-

[1]) Herm. Pastor, 3 Sim. 9, 16.
[2]) Barnab. Epist. 11, 8 sq.
[3]) Iren. Adv. haer. 3, 17.

mentum aquae nostrae, qua abluti delictis pristinae caecitatis in vitam aeternam liberamur." [1]) Secundum eundem Tertullianum huius sacramenti effectus sunt: remissio peccatorum, consecutio aeternitatis, absolutio mortis, regeneratio, restitutio ad similitudinem Dei, consecutio Spiritus Sancti. Cyprianus baptismum vocat undam genitalem, aquam vitalem. Iustinus in oppositione ad lustrationes Iudaeorum haec habet: „Alia via (ad salutem) non est nisi haec, ut hunc Christum agnoscentes ac illo ad peccatorum remissionem baptismo abluti sine peccato deinceps vivatis." [2]) Augustinus: „Omnia prorsus delicta delet sanctum baptisma, et originalia et propria, dicta, facta, cogitata, cognita, incognita, omnia dimittuntur." [3]) Basilius: „Baptismus captivis est redemptionis pretium, debitorum condonatio, mors peccati, regeneratio animae, indumentum lucidum, sigillum, quod conatu nullo frangi potest, vehiculum ad coelum, regni conciliator, adoptionis donum." [4]) Similiter alii Patres summis encomiis baptismi virtutem extollentes, maxime in orationibus suis ad baptizandos habitis. — Ex Conciliis unum audiatur Milevitanum II haec statuens (can. 2): „Parvuli ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in iis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt."

2. Baptismo *virtutes* et *dona* infunduntur tum *generatim* tum *speciatim* etiam *parvulis*.

a. *Generatim:* In *Scriptura* docemur baptismo nos iustificari, renovari, induere Christum, effundi in nos abunde Spiritum Sanctum etc. Atqui his significatur nos baptizari non solum ad peccatorum remissionem, sed etiam ad copiam virtutum Spiritusque Sancti donorum; maxime cum in ordine praesenti horum donorum ac virtutum sit cum iustificatione necessarius nexus.

Et sane, efficitur id etiam ex *natura* propria ipsius baptismi: „Ad hoc baptismus valet, ut baptizati Christo incorporentur ut membra eius; a capite autem Christo in omnia membra eius gratiae et virtutis plenitudo derivatur secundum illud: de plenitudine eius nos omnes accepimus." [5])

b. *Parvuli* quoque baptismo consequuntur et gratiam et virtutes. Quod quidem contra nonnullos dubitantes [6]) Concilium Viennense

---

[1]) Tertull. De bapt. 1.
[2]) Iustin. Dial. cum Tryph. 44.
[3]) Augustin. De symb. ad catech. 10.
[4]) Basil. Hom. in s. bapt. 5.
[5]) S. Th. 3 q. 69 a. 4.
[6]) Cf. Archiv für Litteratur u. Kirchengesch. des Mittelalters, 1886 II, 369 sq.

probabilius esse statuit, Concilium Tridentinum (Sess. 6 cap. 7) definivit. Audiatur S. Thomas: „Quidam antiqui posuerunt quod pueris in baptismo non dantur gratia et virtutes; sed imprimitur eis character Christi, cuius virtute, cum ad perfectam aetatem venerint, consequuntur gratiam et virtutes. Sed hoc patet esse falsum dupliciter. Primo quidem quia pueri, sicut et adulti, in baptismo efficiuntur membra Christi; unde necesse est quod a capite recipiant influxum gratiae et virtutis. Secundo quia secundum hoc pueri decedentes post baptismum non pervenirent ad vitam aeternam, quia, ut dicitur Rom. 6, 23, gratia Dei est vita aeterna; et ita non profuisset eis ad salutem, baptizatos fuisse. Causa autem erroris fuit, quia nescierunt distinguere inter habitum et actum, et sic videntes pueros inhabiles ad actus virtutum, crediderunt eos post baptismum nullatenus virtutem habere. Sed ista impotentia operandi non accidit pueris ex defectu habituum, sed ex impedimento corporali; sicut etiam dormientes, quamvis habeant habitus virtutum, impediuntur tamen ab actibus propter somnum.“ [1])

3. Baptismo animae *character* imprimitur.

Non est, quod in hac re diutius immoremur. Quae enim de charactere dicenda forent, dicta sunt, ubi de sacramentis agitur in genere: quae, si quid probant, maxime de baptismi probant charactere. Solum, quid huius characteris proprium sit, breviter hic dicemus. „Baptismus respicit statum fidei genitae, in qua populus Dei distinguitur ab incredulis . . . quia vero distinctio populi a non populo prima est et radicalis: hinc est, quod character baptismalis est *fundamentum* omnium aliorum characterum; et illo non substrato nihil poterit super aedificari, ac per hoc oportet de novo fieri; si autem ille substernatur, alii imprimi possunt, nec unquam ulterius iterandi sunt.“ [2])

Character quia indelebelis est, baptismus ipse *nequit iterari*. „An forte, ita Augustinus, minus haerent sacramenta christiana quam corporalis haec nota (militaris), cum videamus nec apostatas carere baptismate, quibus utique per poenitentiam redeuntibus non restituitur, et ideo amitti non posse iudicatur?“ [3]) — Aliae rationes, praeter hanc principem, cur baptismus nequeat iterari, hae assignantur: baptismus est generatio spiritualis, unius autem non est nisi una generatio, „quomodo enim uterus non potest repeti, sic nec baptismus“ [4]); baptismus fit in morte Christi, quae non est nisi una,

[1]) S. Th. l. c. a. 6.
[2]) S. Bonavent. Breviloq. 6, 6.
[3]) Augustin. C. epist. Parmen. 2, 13.
[4]) Augustin. In Ioan. tr. 11.

quare „impossibile est eos, qui semel sunt illuminati . . et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei et ostentui habentes“ (Hebr. 6, 4 sq.); baptismus datur praecipue contra originale peccatum, quod non iteratur.[1])

SCHOLION 1. Effectus princeps baptismi in omnibus est *aequalis*. „Duplex, ita S. Thomas, est effectus baptismi: unus per se, et alius per accidens. *Per se* quidem effectus baptismi est id ad quod baptismus est institutus, scilicet ad regenerandum homines in spiritualem vitam. Et hunc effectum aequaliter facit in omnibus qui aequaliter se habent ad baptismum. Unde quia omnes pueri aequaliter se habent ad baptismum (quia non in fide propria, sed in fide Ecclesiae baptizantur), omnes aequalem effectum percipiunt in baptismo. Adulti vero, quia per propriam fidem ad baptismum accedunt, non aequaliter se habent ad baptismum: quidam enim cum maiori, quidam cum minori devotione ad baptismum accedunt; et ideo quidam plus, quidam minus de gratia novitatis accipiunt, sicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris qui plus ei appropinquat; licet ignis, quantum est de se, aequaliter ad omnes suum calorem effundat. Effectus autem baptismi *per accidens* est, ad quem baptismus non est ordinatus; sed divina virtus hoc in baptismo miraculose operatur, sicut super illud Rom. 6: Ut ultra non serviamus peccato, dicit Glossa: Non hoc praestatur in baptismo, nisi forte miraculo ineffabili Creatoris, ut lex peccati, quae est in membris, prorsus extinguatur. Et tales effectus non aequaliter suscipiuntur ab omnibus baptizatis, etiamsi cum aequali devotione accedant; sed dispensantur huiusmodi effectus secundum ordinem providentiae divinae.“[2])

2. Non auferuntur baptismo *poenalitates* praesentis vitae. „Baptismus, ita S. Thomas, habet virtutem auferendi poenalitates praesentis vitae: non tamen eas aufert in praesenti vita, sed eius virtute auferentur a iustis in resurrectione, quando mortale hoc iuduet immortalitatem, ut dicitur 1 Cor. 15, 54. Et hoc rationabiliter. Primo quidem, quia per baptismum homo incorporatur *Christo* et efficitur *membrum* eius. Et ideo conveniens est, ut id agatur in membro incorporato quod est actum in capite. Christus autem a principio suae conceptionis fuit plenus gratia et veritate; habuit tamen corpus passibile, quod post passionem et mortem est ad vitam gloriosam resuscitatum. Unde et christianus in baptismo gratiam consequitur quantum ad animam; habet tamen corpus passibile, in quo pro Christo possit pati; sed tandem resuscitabitur ad impassibilem vitam. Unde Apostolus dicit Rom. 8, 11: «Qui suscitavit Iesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum eius in vobis»; et 17: «Haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi; si tamen compatimur, ut et simul glorificemur». Secundo hoc est conveniens propter *spirituale exercitium*, ut videlicet contra concupiscentiam et alias passibilitates pugnans

---

[1]) Irregularitatis poena statuta est, quae dicitur „fonte reus“, tum contra rebaptizantem, tum in ministrum assistentem, tum in rebaptizatum; si talis baptismus confertur sine dubio prudenti circa valorem prioris baptismi. Cf. Decret. 3 t. 42 c. 6 et 5 t. 9 c. 2.

[2]) S. Th. l. c. a. 8.

homo victoriae coronam acciperet. Unde super illud Rom. 6: Ut destruatur corpus peccati, dicit Glossa: «Si post baptismum vixerit homo, in carne habet concupiscentiam, cum qua pugnet, eamque adiuvante Deo superet.» In cuius figuram dicitur Iudic. 3, 1: «Hae sunt gentes quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israelem, et postea discerent filii eorum certare cum hostibus, et habere consuetudinem praeliandi». Tertio hoc fuit conveniens, ne homines ad baptismum accederent *propter* impassibilitatem praesentis vitae, et non propter gloriam vitae aeternae; unde et Apostolus dicit 1 Cor. 15, 19: «Si in hac vita tantum sperantes sumus in Christo, miserabiliores sumus omnibus hominibus».“ [1])

3. Comparatur baptismi sacramentum cum *baptismo Ioannis*. Petilianus Donatista unum esse docuit Ioannis et Christi baptisma tribus gradibus consistens: aqua sc., quam praebuerit Ioannes, Spiritu Sancto, quem Christus contulerit, igne quem Paracletus detulerit e coelis. Eundem esse Ioannis et Christi baptismum docuerunt etiam Reformatores. Donatistas sic refellit Augustinus: „Si ergo aqua Ioannis ad eundem baptismum pertinet, cuius unitas commendatur, non debuerunt baptizari iubente Paulo Apostolo, quos compererat baptizatos a Ioanne; iam enim habebant aquam ad eundem, sicut dicis, baptismum pertinentem; restabat, ut Spiritum Sanctum et ignem acciperent, quia defuerant Ioanni ut compleretur baptismus tribus, ut asseris, gradibus consecratus.“ [2]) Contra Reformatores haec definivit Concilium Tridentinum (Sess. 7 can. 1): „Si quis dixerit baptismum Ioannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi: a. s.“

Scilicet: „Baptismus Ioannis non erat per se sacramentum, sed quasi quoddam sacramentale disponens ad baptismum Christi.“ [3]) Multiplex praeterea inter utrumque baptismum intercedit discrimen, praecipue duplex: 1. Ioannis baptismus characterem non impressit, id quod inde patet, quod qui ab ipso fuerant baptizati, rebaptizari debuerunt (Act. 19). 2. Ioannis baptismus nec gratiam conferebat, ut ipsemet testatur dicens: „Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu Sancto“ (Matth. 3, 11; Marc. 1, 8; Luc. 3, 16). Quodsi (Luc. 3, 3) Ioannis baptismus dicitur „baptismus poenitentiae in remissionem peccatorum“, hoc nihil aliud significat, quam baptismum excitantem ad poenitentiam, qua peccata remittantur.

COROLLARIUM. Hinc iam intelliguntur quae baptismi *definitiones* tradi solent. Omnes huiusmodi definitiones sic complectitur S. Bonaventura: „Cum in baptismo sint tria, quoddam est sacramentum tantum, ut elementum visibile; quoddam res tantum sicut gratia curans; quoddam, quod est sacramentum et res sacramenti, ut character. De re sacramenti dicitur communiter, de re et sacramento dicitur proprie, de sacramento autem dicitur magis proprie, sed de lotione adhuc magis proprie, et de elemento sub tali actu maxime proprie; et secundum has quatuor acceptiones quadrupliciter definitur. Secundum quod baptismus est nomen elementi significantis et sanctificantis virtute verbi, definitur ab Hugone: baptismus est aqua diluen-

---

1) S. Th. l. c. a. 3.

2) Augustin. C. epist. Phil. 2, 32.

3) S. Th. 3 q. 38 a. 1 ad 1.

dis criminibus sanctificata. Secundum quod pro actu vel usu elementi, a Magistro definitur sic: baptismus est tinctio corporis exterior, facta sub forma verborum praescripta. Secundum quod accipitur pro sacramento et re sacramenti, quae est character, sic a Damasceno definitur: baptismus est vitae spiritualis principium, sigillum et custodia et illuminatio mentis. Et tangitur quadruplex conditio characteris, quia enim praeparat ad gratiam, ideo principium vitae; quia distinguit gregem Domini, sic sigillum; quia indelebiliter perseverat, sic custodia; quia specialiter disponit ad fidem, dicitur illuminatio mentis. Secundum quod accipitur pro re sacramenti, definitur a Dionysio: baptismus est regenerationis sacramentum, secundum quod primitus subsistit in anima, spiritualiter formans animales motus ad opportunitatem divinorum eloquiorum et actionum et ad caelestis quietis anagogon iter faciens. In hac definitione tangitur res huius sacramenti, quae est gratia animam vivificans, cum dicit: secundum quod primitus subsistit in anima. Tangitur etiam habilitatio potentiae per virtutem, primo ad activam, cum dicit: formans animales motus; secundo ad contemplativam, cum dicit: ad caelestis quietis anagogon.“ [1])

Catechismus Romanus baptismum sic definit: *„sacramentum regenerationis per aquam in verbo“*. Atque haec quidem definitio accuratissima est. Nam competit et omni et soli definito, atque essentiam baptismi exhibet et metaphysicam et physicam. Essentia metaphysica exprimitur vocibus „sacramentum regenerationis“. „Sacramentum“ dicit genus proximum. „Regeneratio“ differentiam specificam significat: regenerativa quippe vis solius propria est baptismi; licet enim etiam poenitentiae sacramentum hominem spiritualiter vivificet, id tamen efficit per modum potius resuscitationis, cum spiritualem vitam iam adfuisse supponat. Essentia vero physica adsignificatur per id quod additur, et quidem materia per vocem „aquae“, forma per vocem „verbi“, i. e. expressae S. Trinitatis invocationis.

Caput IV.

De necessitate baptismi.

Thesis 5.

Baptismus omnibus hominibus medium necessarium est ad salutem obtinendam.

Necessitas baptismi ad salutem affirmatur *medii*, sc. ea qua quid ad salutem obtinendam positive operatur et quidem ita requiritur, ut si sive ex culpa sive citra culpam omittatur, salus obtineri nequeat.

Praeter haereticos illos *„spirituales“* tum veteres tum recentiores, qui omnes ritus exteriores ab hominum sanctificatione excludebant,

[1]) S. Bonav. 4 dist. 3 p. 1 a. 1 q. 1 ad 3.

baptismi necessitatem negaverunt *Pelagiani*, negantes sc. peccatum originis, ad quod delendum praecipua est baptismi necessitas; quamquam nec ipsi Pelagiani, distinguentes inter regnum coelorum et vitam aeternam, ad illud habendum baptisma necessarium esse negabant. *Reformatores*, cum fide sola hominem iustificari docerent, nec aliud sacramenta efficere, quam quod fidem illam excitant, et generatim de necessitate baptismi ancipites haeserunt et speciatim in infantibus, in quibus nulla istiusmodi fides est, omnino illum non necessarium esse senserunt; imo qui ex iis magis sibi erant cohaerentes, *Anabaptistae*, infantes valide baptizari posse negaverunt. [1])

Doctrinam *catholicam*, quam contra Pelagianos Concilium Milevitanum II statuerat, iisdem fere verbis contra Reformatores Concilium Tridentinum (Sess. 7 c. 5) sic definivit: „Si quis dixerit, baptismum liberum esse, h. e. non necessarium ad salutem: a. s.“ Et speciatim de infantibus (Sess. 7 c. 13): „Si quis dixerit, parvulos eo, quod actum credendi non habent, suscepto baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint esse rebaptizandos, aut praestare omitti eorum baptisma quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiae: a. s.“

DEMONSTRATUR: Baptismus omnibus hominibus *medium necessarium* est ad salutem.

1. Ex *Scriptura* probatur.

Christus ipse asseveranter edicit: „Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit“ (Marc. 16, 16), et clarius ac efficacius negative: „Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei“ (Ioan. 3, 5). Atqui haec universalia sunt, ita ut

---

[1]) Iam *Lutherus* haec habet: „Ob du gleich nicht zum Sacrament gehest, kannst du dennoch durchs Wort und Glauben selig werden“; et alibi: „Wer nicht getauft sein will, der lass anstehen“ (Büchlein von der Beicht). *Schenkel:* „Ohne allen Vorbehalt ist einzuräumen, dass auf das bewusstlose Kind gar keine Wirkung, weder vermittelst des Wassers, noch vermittelst des Wortes, noch vermittelst des h. Geistes ausgeübt wird“ (Dogm. 2, 1070). *Schleiermacher:* „Die Taufe an und für sich bewirkt nichts, sondern ist nur ein äusseres Zeichen von dem Eintritt in die Kirche“ (Glaubensl. § 127 et 136). *Hase:* „Ein Sacrament, das die Seligkeit wirkt ohne den Glauben, zerstört den ganzen Protestantismus“ (Dogm. § 190). *Lipsius:* „Man kann wohl der Sacramente als äusserer Handlungen entbehren, ohne darum der Kraft und Gnade des Sacramentes entbehren zu müssen“ (Dogm. § 812). *Kaftan:* „So wenig die Taufe eine Ergänzung des in Christus Geschehenen ist, so wenig ist sie das Mittel, wodurch die göttliche That der Wiedergeburt in den Einzelnen wirksam wird . . . Man soll daher nur solche taufen, die zum Glauben geführt dies Bedürfnis empfinden und seine Befriedigung begehren“ (Dogm. § 55 et 66).

nemo excipiatur; his praeterea baptismus, cuius necessitas affirmatur prae vita supernaturali habenda, comparatur cum nativitate prae naturali vita hominis: ergo omnibus baptismus est medium salutis necessarium. Hoc inde confirmatur, quod Christus rationem rei reddens addit: „Quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex spiritu, spiritus est: non mireris, quia dixi tibi: oportet vos nasci denuo“ (Ioan. 3, 6 sq.); i. e. tale cum sit natum quale nativitatis principium, vitae supernaturalis, quae prorsus necessaria est ad salutem, principium requiritur supernaturale baptismi sacramentum.

2. Ex *Traditione* probatur.

Baptismus adeo antiquitus existimabatur necessarius, ut a nonnullis ipsi illi, qui in limbo degebant, ut in coelum ingredi possent, ab Apostolis putarentur prius fuisse baptizati.[1]) Omnes certe Patres hominibus, qui in hac vita sunt, tum adultis tum etiam parvulis docuerunt baptismum prorsus esse necessarium.

Audiantur aliqui. Tertullianus: „Praescribitur, nemini sine baptismo competere salutem, ex illa maxima pronuntiatione Domini qui ait: Nisi natus quis ex aqua fuerit, non habet vitam.“ [2]) Cyrillus Hierosolymitanus: „Sine ambobus (aqua et Spiritu Sancto) salutem consequi non potes; non ego sum qui haec dico, sed Dominus Iesus Christus, qui huius rei potestatem habet; dicit enim: Nisi quis etc.“ Idem: „Si quis non baptizatur, salutem non habet, praeter solos martyres, qui sine aqua regno coelesti potiuntur.“ [3]) Ambrosius: „Credit catechumenus, sed nisi baptizatus fuerit, remissionem non potest recipere peccatorum nec spiritualis gratiae munus haurire.“ [4]) Idem Ambrosius explicite de infantibus: „Utique (Christus dicens, nisi quis renatus fuerit) nullum excipit, non infantem, non aliqua praeventum necessitate.“ [5]) Augustinus: „Noli credere nec dicere nec docere, infantes, antequam baptizentur, morte praeventos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse catholicans.“ [6]) Idem Augustinus: „Quisquis dixerit, quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine sacramenti eius participatione de vita exeunt, hic profecto et contra apostolicam praedicationem venit et totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur et curritur, quia sine dubio

---

[1]) Herm. Pastor, Sim. 9, 16; Clem. Alex. Strom. 6, 45.
[2]) Tertull. De bapt. 12.
[3]) Cyrill. Hieros. Catech. myst. 3, 4 et 10.
[4]) Ambros. De Abraha 2, 11.
[5]) Ambros. De myst. 4.
[6]) Augustin. De anima 3, 9.

creditur aliter eos in Christo vivificari omnino non posse." [1]) Innocentius I ad Patres synodi Milevitanae: „Illud quod eos vestra Fraternitas asserit praedicare, parvulos aeternae vitae praemiis etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est . . . Qui hanc (vitam) in eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, cum praedicant eos habere quod in eis creditur nonnisi baptismate conferendum." [2]) — Quibus testimoniis quamvis clarissimis efficacius argumentum est ipsa Ecclesiae *antiquissima praxis* parvulos baptizandi legibusque suis hunc morem praescribendi. Ex hoc autem paedobaptismo contra Pelagianos argumentum fere praecipuum ad originale peccatum evincendum a Patribus petebatur; nec ipsi Pelagiani de baptismi huius sive valore sive aliqua utilitate ausi sunt unquam dubium movere. Hinc Concilium Milevitanum et Carthaginiense (a. 416) anathema dicunt ei, „quicunque parvulos recentes ab uteris matris baptizandos negat"; et Augustinus testatur: „Hoc Ecclesia semper habuit, semper tenuit, hoc a maiorum fide suscepit, hoc in finem perseveranter custodit." [3]) Sed iam ante Pelagianos consuetudo obtinuit parvulos baptizandi. Fido cuidam propter circumcisionis legem dubitanti, utrum liceat infantem baptizare infra octavum a nativitate diem, respondet Cyprianus cum synodo 66 episcoporum ita: „Si etiam gravissimis delictoribus et in Deum multum ante peccantibus, cum postea crediderint, remissa peccatorum datur, et a baptismo atque a gratia nemo prohibetur: quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquae prima nativitate contraxit, qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, sed aliena peccata?" [4]) Iam antea docuerant Origenes: „Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit etiam parvulis baptismum dare" [5]); et Irenaeus: „Omnes venit per semetipsum salvare Christus, omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes et parvulos et pueros et iuvenes et seniores." [6])

3. Ex *ratione theologica* Catechismus Romanus rem sic suadet:

„Credendum est, noluisse Christum Dominum baptismi sacramentum et gratiam pueris denegari, de quibus dicebat: Sinite parvulos et nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim regnum

---

[1]) Augustin. Epist. 166 ad Hieronym. 21.
[2]) Inter Epist. Augustin. 182 al. 93.
[3]) Augustin. Sermo 176, 2.
[4]) Cyprian. Epist. 63.
[5]) Origen. In ep. ad Rom. 2, 9.
[6]) Iren. 2, 22.

coelorum, quos amplexabatur, super quos manus imponebat, quos benedicebat. Deinde cum legimus totam aliquam familiam a Paulo baptizatam esse, satis apparet pueros etiam, qui in illorum numero erant, salutari fonte ablutos esse. Deinde circumcisio, quae figura fuit baptismi, eum morem maxime commendat; pueros enim octavo die circumcidi solitos, nemo est qui ignoret; ac quibus circumcisio manufacta in expoliatione corporis carnis proderat, iisdem baptismum, qui est circumcisio Christi non manufacta, prodesse perspicuum est. Postremo, ut Apostolus docet, si unius delicto mors regnavit per unum: multo magis abundantiam gratiae et donationis et iustitiae accipientes, in vita regnabunt per unum Iesum Christum; cum itaque per Adae peccatum pueri ex origine noxam contraxerint, multo magis per Christum Dominum possunt gratiam et iustitiam consequi ut regnent in vita: quod quidem sine baptismo fieri nullo modo potest."

SCHOLION. Baptismus, quantumvis ad iustificationem atque adeo ad salutem medium sit necessarium, huiusmodi tamen medium non est *ex natura rei*, quemadmodum est status gratiae interioris, sed *ex sola positiva Dei institutione.* Hinc aliqua sequuntur magni momenti:

1. *Incepit* baptismi necessitas, quando lex eam instituens satis promulgata fuit. Quamobrem Concilium Tridentinum (Sess. 6 cap. 4) docet „iustificationem post promulgatum evangelium sine lavacro regenerationis aut eius voto fieri non posse". Ergo baptismi necessitas nec incepit priusquam Christus Apostolos iuberet gentes baptizare, nec ubique videtur incepisse eodem tempore. Quo autem accurate tempore illa legis promulgatio sufficienter facta existimari debeat, inter theologos quaestio controversa est. Sententia communis est, nunc baptismi legem in universo orbe sufficienter promulgatam esse.[1])

2. Consentaneum est, illud quod non ex natura rei, sed ex sola Dei lege positiva medium est quamvis necessarium, quando *actu* adhiberi non potest, per eiusdem Dei legem *suppleri* posse. Et re quidem vera, certum est, baptismi actualem susceptionem, quando haberi non potest, quoad effectum principem, sc. iustificationem obtinendam, dupliciter suppleri posse, nimirum *voto* baptismi et *martyrio.* Hinc triplex distinguitur iustificationis medium: baptismus *fluminis*, *flaminis*, *sanguinis.*

1. Baptismus *flaminis* itaque aliud non est quam actus caritatis perfectae. Quo actu cum includatur voluntas faciendi quaecunque a Deo praecepta sunt, in ordine praesenti, ubi baptismus praeceptus est, etiam votum suscipiendi baptismi saltem implicite continetur. Atqui huiusmodi actu

---

[1]) A sententia hac theologorum communi discedit *cl. A. Fischer* haec scribens (De salute infidelium p. 57): „Infidelis homo, qui hodieque sine culpa baptismi sacramentum ignorat, quamdiu in hoc statu ignorantiae permanet, hodieque nec lege baptismi tenebitur eritque eodem modo censendus, quo infidelis ante Christum vivens."

caritatis effectus princeps baptismi, gratia sanctificans, obtinetur et quando baptismus ipse suscipi non potest et antequam suscipiatur. Scilicet: „Potest sacramentum baptismi alicui deesse re, sed non voto . . . et talis sine baptismo actuali salutem consequi potest propter desiderium baptismi, quod procedit ex fide per dilectionem operante, per quam Deus interius hominem sanctificat, cuius potentia sacramentis visibilibus non alligatur.“ [1]) Unde Concilium Tridentinum docet (Sess. 6 c. 4) in ordine praesenti iustificationem fieri non posse „sine lavacro regenerationis aut eius voto“. Qua tamen in re animadvertendum est, „ipsam reconciliationem, ut ait Concilium Tridentinum (Sess. 14 c. 4), ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam“; quod quidem votum in omni actu perfectae caritatis sufficienter habetur.

Res probatur imprimis inde quod, ut in tractatu de poenitentia fusius demonstrabitur, caritas ac contritio perfecta vim iustificandi semper habet, Patres porro idem testantur. Sic v. g. auctor libri de rebaptismate iam tria distinguens baptismata, aquae, Spiritus, sanguinis, ex Act. 10, 14 sq. ubi de Cornelio, sic argumentatur: „Atque hoc non erit dubium, in Spiritu Sancto homines posse sine aqua baptizari, sicut animadvertis baptizatos hos prius quam aqua baptizarentur.“ [2]) Hinc etiam bene sperant Patres de salute catechumenorum, qui antequam baptizarentur morte praerepti sunt. Sic v. g. Ambrosius de Valentiniano II, qui catechumenus obiit: „Quem regeneraturus eram, amisi; verumtamen ille gratiam, quam poposcit, non amisit.“ [3]) Similiter Augustinus [4]) et Innocentius III, qui docet Iudaeum morti proximum seipsum baptizantem ad coelum evolasse „propter sacramenti fidem, etsi non propter fidei sacramentum“ [5]).

2. Baptismus *sanguinis* seu martyrium est perpessio cruciatus lethalis pro Christi fide vel virtute aliqua fidei christianae. Certissimum est, martyrium supplere baptisma quantum ad effectum principem, sc. iustificationem; idque non solum ratione caritatis annexae, ut patet in infantibus, sed vi sua atque adeo quasi ex opere operato. Imo secundum sententiam theologorum communem neque caritas proprie dicta exigi videtur, ut martyrium vim suam exserat: „martyrium purgat ab omni culpa et veniali et mortali, nisi actualiter voluntatem peccato invenerit inhaerentem.“ [6])

Martyrio hominem iustificari, omnes Patres confitentur. Tertullianus: „Est quidem nobis etiam secundum lavacrum, unum et ipsum, sanguinis scilicet . . . Hic est baptismus, qui lavacrum et non acceptum repraesentat et perditum reddit.“ [7]) Cyprianus: „Numquid potest vis baptismi esse maior

---

[1]) S. Th. 3 q. 68 a. 2.

[2]) Inter Opera Cypriani.

[3]) Ambros. De obitu Valentin. 51 sq.

[4]) Augustin. De bapt. 4, 22; ubi Augustinus exemplum boni latronis appellat, quod tamen exemplum Retract. 2, 18 dicit „non satis idoneum, quia latro ille utrum non fuerit baptizatus, incertum est“.

[5]) 3 Decret. tit. 42 c. 4.

[6]) S. Th. 3 q. 87 a. 1 ad 2.

[7]) Tertull. De bapt. 16.

aut potior quam confessio, quam passio, ut quis coram hominibus Christum confiteatur, ut sanguine suo baptizetur? . . . Sciant catechumenos non privari baptismi sacramento, utpote qui baptizentur gloriosissimo et maximo sanguinis baptismo." [1]) Hinc Ecclesia hanc semper sancte servavit consuetudinem, ut quam primum constabat aliquem vere esse martyrem, eum ut sanctum coleret, etiamsi adhuc esset catechumenus; et existimaret „iniuriam esse pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari" [2]). Hinc porro ipsos quoque infantes, ut pueros Bethlehemiticos, pro Christo mortem obeuntes ut martyres et sanctos Ecclesia semper coluit. [3])

Baptismus, quamvis quantum ad effectum principem, i. e. gratiae infusionem, suppleatur per eius votum et martyrium, his tamen nec alii baptismi effectus, ut character, aggregatio ad Ecclesiam, ius ad reliqua sacramenta, obtinentur nec homo ab obligatione baptismi suscipiendi, si illud suscipere possit, liberatur. Est enim baptismus solum medium ordinarium a Christo institutum quo salus obtineatur; nec proprie est aliud baptisma quam baptisma aquae seu fluminis, et media illa salutis extraordinaria solum metonymice baptisma dicuntur.

3. Hinc patet, quod iudicium ferendum sit de salute eorum, qui nec baptizantur nec extraordinario aliquo ex illis mediis ad iustificationis gratiam perveniunt. Homo talis „non potest introire in regnum Dei" (Ioan. 3, 5). Valet hoc absque dubio etiam de *infantibus*, qui baptismo praemoriuntur. Quae vero horum in altera vita sit sors, in tractatu de Deo consummante dicimus: videlicet, visione Dei supernaturali non fruentur, naturaliter poterunt existimari esse beati. [4])

Verum inter catholicos erant, quibus nimis videretur durum, infantes absque baptismo morientes a Dei visione beatifica, qui proprius est hominum finis, excludi, quique alia divinae misericordiae excogitarent media infantibus his succurrendi. *Caietanus* censet infantes, quibus per baptismum subveniri non possit, secundum Dei legem ordinariam salvari posse voto baptismi ex fide parentum; *Gerson, Biel, Toletus* putant id quidem non secundum legem communem, sed ex peculiari gratia aliquando fieri posse. Verum ex doctrina fidei ea constat necessitas baptismi, ut ei solo martyrio et voto eius qui baptizandus esset suppleatur; ergo aliud medium admitti non licet. *Klee* existimat probabile esse, infantes eiusmodi in mortis instante rationis fieri compotes atque adeo baptismo flaminis salvari posse. At hoc quoque sensui Ecclesiae repugnat; nec miraculum illud, quod in tali explicatione supponi manifestum est, absque fundamento, quod ex revelatione poni debet, asserendum est. *Schell* ipsam mortem horum infantium velut martyrium

---

[1]) Cyprian. Epist. 73 ad Iubaian. 21.

[2]) Augustin. Sermo 159, 1.

[3]) Nec obiici potest, quod nonnulli existimant, pueros Bethlehemiticos per circumcisionem salvatos esse. Nam nec constat omnes iam circumcisos fuisse, nec ob gratiam in circumcisione acceptam Ecclesia eos veneratur sanctos ac martyres.

[4]) Cf. Tract. de Deo creante p. 145.

esse opinatur quo iustificentur.[1]) Iam vero et novus prorsus hic inducitur conceptus martyrii hucusque inauditus, et praeterea hac explicatione tantum abest ut satisfiat necessitati universali, quae in Ecclesia praedicatur, baptismi, ut imo necessitas haec saltem prae infantibus negari videatur.[2])

COROLLARIUM. Ex baptismi summa necessitate consequitur, eum *non facile* esse *differendum.* Qua in re plus aequo severior dicendus est fuisse Tertullianus legem statuens, „innocentem aetatem" non quidem a baptismo esse arcendam, sed non debere „festinare": „fiant, ait, christiani, cum Christum nosse potuerint"; „norint petere salutem, ut petenti dedisse videaris" [3]). Doctrinam et praxim Ecclesiae sic exponit S. Thomas: „Circa hoc distinguendum est, utrum sint baptizandi pueri vel adulti. Si enim pueri sint baptizandi, non est differendum baptisma, primo quidem quia non expectatur in eis maior instructio aut etiam plenior conversio; secundo propter periculum mortis, quia non potest eis alio remedio subveniri nisi per sacramentum baptismi.[4]) Adultis vero subveniri potest per solum baptismi desiderium. Et ideo adultis, non statim cum convertuntur, est sacramentum baptismi conferendum, sed oportet differre usque ad aliquod certum tempus. Primo quidem propter cautelam Ecclesiae ne decipiatur, sacramentum ficte accedentibus conferens; quae quidem probatio sumitur de accedentibus ad baptismum, quando per aliquod spatium eorum fides et mores examinantur. Secundo hoc est necessarium ad utilitatem eorum qui baptizantur, quia aliquo temporis spatio indigent ad hoc, quod plene instruantur de fide et exercitentur in his quae pertinent ad vitam christianam. Tertio hoc est necessarium ad quandam reverentiam sacramenti, dum in solemnitatibus praecipuis, scilicet Paschae et Pentecostes, homines ad baptismum admittuntur, et ita devotius sacramentum suscipiunt. Haec tamen dilatio est praetermittenda duplici ratione. Primo quidem quando

---

[1]) Quae sententia etiam *cl. Gutberlet* arridere aliquo modo videtur; qui postquam fassus est, in infantibus non baptizatis remissionem peccati originalis per gratiae infusionem componi non posse cum necessitate baptismi, qualem theoretice et practice tenet Ecclesia, haec scribit (Heinrich-Gutberlet Dogm. 8 p. 295): „Aber etwas anders wäre es, wenn der gütige Gott in Anbetracht der oft herzzerreissenden Leiden sterbender Kinder und ihrer qualvollen Todesnoth ihnen die Erbsünde erliesse und sie in den Stand unschuldiger Kinder versetzte."

[2]) Cf. Tract. de Deo creante p. 144.

[3]) Tertull. De bapt. 18.

[4]) Rituale Romanum monet: „Opportune parochus hortetur eos, ad quos ea cura pertinet, ut natos infantes, *quam primum* fieri potest . . . deferant ad ecclesiam, ne illis sacramentum tantopere necessarium nimium differatur cum periculo salutis." Concilium Coloniense (a. 1860) de hac re sic statuit (I, 30): „Baptismatis sacramentum, cum ad salutem tam sit necessarium, parochi, quantum fieri potest, curabunt, ne quis infans ulla hominum culpa eodem privetur. Quantocius conferendum *nec unquam ultra tertium diem prolatandum est;* et ut maturandum curent, saepius monendi sunt fideles." — „Permittere pueros suos sine baptismo perire" a synodo provinciali Treverensi (a. 1227 vel 1277) inter peccata reservata computatur.

illi qui sunt baptizandi apparent perfecte instructi in fide et ad baptismum idonei; sicut Philippus statim baptizavit eunuchum, ut habetur Act. 8, et Petrus Cornelium et eos qui cum eo erant, ut habetur Act. 10. Secundo propter infirmitatem aut aliquod periculum mortis. Unde Leo Papa dicit: «Hi qui necessitate mortis, aegritudinis, obsidionis, persecutionis et naufragii urgentur, omni tempore debent baptizari».“ [1])

Caput V.

De subiecto baptismi.

Thesis 6.

Subiectum baptismi est omnis homo vivus.

De baptismi subiecto quae dicenda sunt, magnam partem cum iam sint praeoccupata, haec breviter statuuntur.

1. Subiectum baptismi non est nisi homo *vivus.*

Ex 1 Cor. 15, 29 consequi videtur, fuisse tempore Apostoli Corinthi christianos, qui falso existimarent baptismum vicarium mortuis (amicis vel catechumenis) prodesse. Cerinthiani et Marcionistae ipsos mortuos baptizabant[2]); qui quidem error a synodo Hipponensi (a. 393) proscriptus est. — Vestigia moris saltem infantes mortuos coram sacris imaginibus baptizandi in nonnullis etiam Germaniae regionibus usque ad finem saeculi 18 apparent, Congregatione S. Officii saepius reclamante. [3])

2. Subiectum baptismi est *omnis* homo, i. e. tum adulti tum etiam infantes.

1. Quod *adultos* spectat, haec animadvertenda sunt:

Ut baptismus hominis adulti sit *validus,* requiritur voluntarius eius consensus. Quod in oppositione ad carnalem nostram generationem sic exprimit Iustinus: „Quandoquidem primam nostram generationem ignorantes necessitate quadam geniti sumus . . . ., ut necessitatis et ignorationis filii non maneamus, sed electionis et scientiae et remissionem peccatorum quae prius commisimus consequamur in aqua.“ [4]) Intentio autem haec non postulatur nisi habitualis; itaque etiam amentes et dormientes valide baptizantur, si

---

[1]) S. Th. 3 q. 68 a. 3.

[2]) Iustin. M. 1 Apol. 61.

[3]) Cf. Epiph. Haer. 28, 6.

[4]) Cf. Bened. XIV De syn. dioec.; Theol.-prakt. Monatsschrift (Passau) 1900, 248.

prius voluntatem suscipiendi baptisma habuerunt. Imo sunt qui sufficere existiment voluntatem generalem faciendi quae ad salutem necessaria sunt.[1]) — Ut adultorum baptismus sit *licitus*, exigitur praeter intentionem, sicut in tractatu de iustificatione probatur, aliqua praeparatio consistens in fide et in motu liberi arbitrii contra peccatum, sc. saltem in attritione.

Baptismi effectus impeditur per *fictionem*. De fictione hac ita S. Thomas: „Ad hoc quod aliquis iustificetur per baptismum, requiritur quod voluntas hominis amplectatur baptismum et baptismi effectum. Dicitur autem aliquis fictus per hoc quod voluntas eius contradicit vel baptismo vel eius effectui; nam secundum Augustinum quatuor modis dicitur aliquis fictus: uno modo ille qui non credit, cum tamen baptismus sit fidei sacramentum; alio modo per hoc quod contemnit ipsum sacramentum; tertio modo per hoc quod aliter celebrat sacramentum non servans ritum Ecclesiae; quarto modo per hoc quod aliquis indevote (i. e. volens peccato mortali inhaerere) accedit. Unde manifestum est, quod fictio impedit effectum baptismi.“ [2])

Fictione *recedente* baptismus effectum suum consequitur. „Tunc, ita Augustinus, valere incipit ad salutem baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit, quae corde in malitia vel sacrilegio perseverante peccatorum abolitionem non sinebat fieri.“ [3]) Removetur autem fictio per poenitentiam; quocirca ad baptismi effectum consequendum concurrunt tunc et baptismus et poenitentia: „sed baptismus sicut causa per se agens, poenitentia sicut causa per accidens, i. e. removens prohibens“ [4]); peccata vero baptismum sequentia per solam remittuntur poenitentiam, atque idcirco minime, ut in baptismate, quantum ad totum reatum.

2. *Infantes* valide ac licite posse baptizari, sponte sequitur ex necessitate, quae probata est, baptismi infantium.

Infantes probabiliter valide baptizari possunt etiam in *utero* matris inclusi. Veteres quidem scholastici et ipsum Rituale Romanum id fieri negaverunt; verum ideo solum quia falso opinati sunt infantem in utero inclusum non posse ablui.

Infantes cum baptizentur, et ipsi aliqua ratione baptismi suscipiendi dici habere *intentionem* possunt. „Regeneratio spiritualis,

---

[1]) Hinc in casu necessitatis, quando agitur de moribundo sensibus destituto, cum omnia tunc sint tentanda, baptismus sub conditione administrandus erit, modo moribundus talis esse noscatur, qui salutem aeternam cordi habuerit.

[2]) S. Th. 3 q. 69 a. 9.

[3]) Augustin. De bapt. 1, 12.

[4]) S. Th. l. c. a. 10 ad 2.

ita S. Thomas, quae fit per baptismum, est quodammodo similis nativitati carnali quantum ad hoc, quod sicut pueri in maternis uteris constituti non per seipsos nutrimentum accipiunt, sed ex nutrimento matris sustentantur: ita etiam pueri nondum habentes usum rationis, quasi in utero matris Ecclesiae constituti, non per seipsos, sed per actum Ecclesiae salutem suscipiunt; unde Augustinus dicit: «Mater Ecclesia os maternum parvulis praebet, ut sacris mysteriis imbuantur».“ [1])

Ut baptizatorum infantium baptismus valeat, *opus non est* ut, quemadmodum opinatus est Erasmus innixus principio invitum neminem obligari, *postea* cum ad discretionis annos pervenerint *interrogentur, ratumne* habeant, quod susceptores illorum nomine polliciti sunt in baptismo. Haec enim definivit Concilium Tridentinum (Sess. 7 can. 14): „Si quis dixerit, huiusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt, et, ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos; nec alia interim poena ad christianam vitam cogendos, nisi ut ab eucharistiae aliorumque sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant: a. s.“ Et sane, in iure omni tenentur infantes, cum adolescunt, servare pacta eorum nomine ab aliis rite inita: quanto igitur magis in iure divino! [2])

SCHOLION. Infantes infidelium invitis parentibus, quamvis valide baptizentur, non tamen baptizari licet. „Hoc Ecclesiae usus nunquam habuit, quod Iudaeorum filii invitis parentibus baptizarentur.“ [3]) Hinc Iulius III sub poena suspensionis prohibuit Iudaeorum reluctantium filios baptizare. Et re quidem vera, Ecclesiae non est ius infideles cogendi, ut fidem recipiant; parentibus vero ius est naturae filiorum educationem curandi. „Pueri qui nondum habent usum liberi arbitrii, secundum ius naturale sunt sub cura parentum, quamdiu ipsi sibi providere non possunt . . : et ideo contra iustitiam naturalem esset, si tales pueri invitis parentibus baptizarentur; sicut etiam si aliquis habens usum rationis baptizaretur invitus.“ [4])

---

[1]) S. Th. 3 q. 68 a. 9 ad 1.
[2]) Cf. tract. de Deo creante th. 16.
[3]) S. Th. 2, 2 q. 10 a. 12.
[4]) S. Th. 3 q. 68 a. 10.

Caput VI.

De ministro baptismi.

Thesis 7.

Minister baptismi 1. valide et licite baptizans ordinarius est sacerdos, extraordinarius diaconus; 2. valide semper baptizans est quilibet homo.

Duplex distinguitur baptismi sacramenti administratio: privata et publica. Privatae administrationis, quae fit in casu necessitatis, ita ministrum dicimus quemlibet hominem, ut nonnisi in hoc necessitatis casu baptizet licite, semper tamen valide baptizet. Publica est baptismi administratio, quae fit cum omnibus iuxta ritum praescriptis caeremoniis; minister eius est vel ordinarius i. e. qui vi ordinationis et iure sibi proprio sacramentum conficit, vel est extraordinarius, qui sc. ex potestate delegata administrat sacramentum: prior est sacerdos, alter diaconus.

DEMONSTRATUR: 1. Minister baptismi *ordinarius* est sacerdos, *extraordinarius* diaconus.

Ex *Scriptura* constat: ministros baptismi „ex officio“ esse Apostolos eorumque successores (Matth. 28, 19); ab Apostolo Paulo ipso solum paucos aliquos Corinthiorum fuisse baptizatos (1 Cor. 1, 14 sq.); etiam a diaconis baptismum fuisse publice administratum (Act. 8, 12 et 38).

Ex *Patribus* Ignatius urget non licere „sine episcopo baptizare“ [1]. Tertullianus porro accuratius docet: „Dandi baptismi habet ius summus sacerdos, qui est episcopus, dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate propter Ecclesiae honorem“ [2]. Testamentum D. N. I. Chr. haec praescribit: „Si quis (accedens ad baptismum) velit virginitatem vovere, hic baptizetur primus ab episcopo . . . Deinde episcopus tradat (alios baptizandos) presbytero.“ [3] Constitutiones Apostolicae hoc edicunt: „Neque reliquis clericis potestatem baptizandi facimus . . . nisi tantum episcopis et presbyteris ministrantibus diaconis.“ [4] Hinc denique Concilium Florentinum (Decret. pro Armenis) statuit: „Minister huius sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare.“

---

[1] Ignat. Ad Smyrn. 8, 2.
[2] Tertull. De bapt. 17.
[3] Testam. D. N. I. Chr. 2, 8.
[4] Const. Apost. 3, 11.

Ex his colligitur ministrum baptismi proprium esse imprimis *sacerdotem*, sc. tum *episcopum* tum *presbyterum.*[1]) Ex mente tamen S. Thomae magis proprie est presbyter quam episcopus: „Utrumque officium, scilicet docendi et baptizandi, Dominus Apostolis iniunxit, quorum vicem gerunt episcopi; aliter tamen et aliter. Nam officium docendi commisit eis Christus, ut ipsi per se illud exercerent tanquam principalissimum: unde et ipsi Apostoli dixerunt Act. 6, 2: «Non est aequum nos relinquere verbum Dei, et ministrare mensis». Officium autem baptizandi commisit Apostolis ut per alios exercendum. Unde et Apostolus dicit 1 Cor. 1, 17: «Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare»; et hoc ideo quia in baptizando nihil operatur meritum et sapientia ministri, sicut in docendo, in cuius etiam signum nec ipse Dominus baptizavit, sed discipuli eius, ut dicitur Ioan. 4, 2. Nec tamen per hoc excluditur, quin episcopi possint baptizare, quia quod potest potestas inferior, potest et superior; unde et Apostolus ibidem dicit se quosdam baptizasse.“ [2])

Consequitur praeterea, ministros baptismi extraordinarios esse *diaconos.* „Dicuntur diaconi quasi ministri, quia videlicet ad diaconos non pertinet aliquod sacramentum principaliter et quasi ex proprio officio praebere, sed adhibere ministerium aliis maioribus in sacramentorum exhibitione. Et sic ad diaconum non pertinet quasi ex proprio officio tradere sacramentum baptismi, sed in collatione huius sacramenti et aliorum assistere et ministrare maioribus.“ [3])

2. In casu necessitatis *quivis homo* baptizare potest, et *semper valide* baptizat.

1. Ex *ratione theologica* id summopere suadetur:

„Ad misericordiam eius, qui vult omnes homines salvos fieri, pertinet, ut in his, quae sunt de necessitate salutis, homo de facili remedium inveniat. Inter omnia autem sacramenta maximae necessitatis est baptismus, qui est regeneratio hominis in vitam spiritualem, quia pueris aliter omnino subveniri non potest, et adulti non possunt aliter quam per baptismum plenam remissionem consequi et quantum ad culpam et quantum ad poenam. Et ideo ut homo circa remedium tam necessarium defectum pati non possit, institutum est, ut et materia baptismi sit communis, sc. aqua, quae a quolibet de facili haberi potest, et minister baptismi etiam sit

---

[1]) Secundum statuta hodierna, ubi parochiae constitutae sunt, officium ac ius licite baptizandi non est presbyteri cuiuscunque, sed solius *parochi* et eius qui ad id delegatus fuerit. Cf. Rituale Rom. De min. bapt.

[2]) S. Th. 3 q. 67 a. 2 ad 1.

[3]) S. Th. l. c. a. 1.

quicumque non ordinatus, ne propter defectum baptismi homo salutis suae dispendium patiatur.“ [1])

2. Ex *deposito fidei* i. e. ex doctrina et praxi Ecclesiae id probatur:

Tertullianus ubi ius episcopi et presbyteri in baptismo conferendo urget, addit: „Alioquin etiam laicis ius est (dandi baptismi).“ [2]) Hieronymus: „Si necessitas cogit, scimus etiam licere laicis (baptizare).“ [3]) Petrus Damiani: „Baptismi gratiam omni homini vel omni sexui (administrandam) tradidit auctoritas antiquorum; confirmationis autem insigne sola pontificalis persona suae vindicat dignitati.“ [4])

Concilium Lateranense IV (Cap. ‚Firmiter‘) haec statuit: „Sacramentum baptismi tam parvulis quam adultis in forma Ecclesiae a quocunque rite collatum proficit ad salutem.“ Concilium Florentinum (Decret. pro Armenis): „In causa necessitatis non solum sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, imo etiam paganus et haereticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiae et facere intendat quod facit Ecclesia.“

SCHOLION. Praeter ministrum in baptismo solemni ex Ecclesiae praecepto requiritur *patrinus*, qui sc. baptizatum de sacro fonte levet et nomine eius respondeat. Consuetudo adhibendi patrinum antiquissima est. Ordo Officiorum, qui exeunte saeculo 4 Hierosolymis in usu erat, de baptizandis praescribit: „Adducuntur unus et unus competens; si viri sunt, cum patribus suis veniunt, si autem feminae, cum matribus suis.“ [5]) Testamentum D. N. I. Chr. haec habet: „Pueri omnes, qui valent in baptismo responsum dare, respondeant repetentes verba post sacerdotem; sin autem minime valeant, respondeant pro illis eorundem parentes vel familiaris aliquis ipsorum.“ [6]) Tertullianus „sponsorum“, qui in infantium baptismo adhibebantur, disertam facit mentionem. [7])

De *numero* patrinorum Concilium Tridentinum hanc tulit legem (Sess. 24 cap. 2 de ref. Matrim.): „Ut unus tantum sive vir sive mulier iuxta sacrorum canonum instituta vel ad summum unus et una baptizatum de baptismo suscipiant.“ [8])

De *munere* ipso atque *officiis* patrinorum haec habet S. Thomas: „In generatione carnali parvulus nuper natus indiget nutrice et paedagogo. Unde

---

[1]) S. Th. 3. q. 67 a. 3.
[2]) Tertull. De bapt. 17.
[3]) Hieronym. Adv. Lucif. 9.
[4]) Damiani Sermo 69.
[5]) Peregrinatio S. Silviae n. 72.
[6]) Testam. D. N. I. Chr. 2, 8.
[7]) Tertull. De bapt. 18.
[8]) Synodus a Ratbodo Treverensi a. 888 Metis habita statuit: „Infantem nequaquam duo vel plures, sed unus a fonte baptismatis suscipiat.“ Alia deinde Treverensis Synodus a. 1227 vel 1277 mitius decrevit: „Ad levandum puerum de fonte tres vel quatuor admittantur et non plures.“

et in spirituali generatione baptismi requiritur aliquis qui fungatur vice nutricis et paedagogi, informando et instruendo eum quasi novitium in fide de his quae pertinent ad fidem et vitam christianam: ad quod praelati Ecclesiae vacare non possunt circa communem curam populi occupati; parvuli enim et novitii indigent speciali cura praeter communem. Et ideo requiritur quod aliquis suscipiat baptizatum de sacro fonte, quasi in suam instructionem et tutelam." — „Ille, qui suscipit aliquem de sacro fonte, assumit sibi officium paedagogi; et ideo obligatur ad habendam curam de ipso, si necessitas immineret, sicut eo tempore et loco, in quo baptizati inter infideles nutriuntur. Sed ubi nutriuntur inter catholicos christianos, satis possunt ab hac cura excusari, praesumendo quod a suis parentibus diligenter instruantur. Si tamen quocunque modo sentirent contrarium, tenerentur secundum suum modum saluti spiritualium filiorum curam impendere." [1])

Ex baptismo *cognatio spiritualis*, quae impedimentum constituit dirimens matrimonii oritur: inter baptizantem, baptizatum, baptizatique parentes; inter levantem, levatum, levatique parentes.

Caput VII.

De caeremoniis baptismi.

„In sacramento baptismi aliquid agitur quod est de *necessitate* sacramenti, et aliquid est quod ad quandam *solemnitatem* sacramenti pertinet. De necessitate quidem sacramenti est forma, quae designat principalem causam sacramenti; et minister, qui est causa instrumentalis; et usus materiae, scilicet ablutio in aqua, quae designat principalem sacramenti effectum. Caetera vero omnia, quae in ritu baptizandi observat Ecclesia, magis pertinent ad quandam solemnitatem sacramenti. Quae quidem adhibentur in sacramento propter tria. Primo quidem ad excitandam *devotionem* fidelium et *reverentiam* ad sacramentum. Si enim simpliciter fieret ablutio in aqua absque solemnitate, de facili ab aliquibus aestimaretur quasi quaedam communis ablutio. Secundo ad fidelium *instructionem*. Simplices enim, qui litteris non erudiuntur, oportet erudire per aliqua sensibilia signa, puta per picturas et aliqua huiusmodi; et per hunc modum per ea, quae in sacramentis aguntur, vel instruuntur vel sollicitantur ad quaerendum de his quae per huiusmodi sensibilia signa significantur. Et ideo quia praeter principalem sacramenti effectum oportet quaedam alia scire circa baptismum, conveniens fuit ut etiam quibusdam exterioribus signis repraesentarentur. Tertio quia per orationes et benedictiones et alia huiusmodi cohibetur

[1]) S. Th. 3 q. 67 a. 7 et 8.

vis *daemonis* ab impedimento sacramentalis effectus.“ [1]) — Aliqua seligamus praecipua.

1. *Catechismus* praecedit baptismum. Praecessit „in *adultis* propter duas causas, ut baptizandi *instruerentur* de credendis, et ut se *obligarent* voluntarie ad Dei imperia facienda, quasi non coacte, sed voluntarie illa impleturi; *parvuli* quidem etsi non possunt doceri, possunt tamen per patrinos *obligari.*“ [2])

Hinc antiquitus *catechumenatus* institutus est, i. e. praeparatio ad baptismum suscipiendum, qua sc. baptizandi et instruebantur et tum quoad fidem tum quoad mores per integros saepe annos probabantur. [3])

Solemnis baptismus ab initio non conferebatur nisi in pervigilio *Paschatis* et quinquaginta diebus sequentibus, ut sc. significaretur illud Apostoli (Col. 2, 12): „Consepulti ei in baptismo, in quo et resurrexistis.“ Hinc tempus Quadragesimae praeparationi proximae inserviebat.

Ad praeparationem, quae in baptizandis et baptizante antiquitus exigebatur, etiam *ieiunium* spectat duobus diebus proxime praecedentibus observandum. [4])

Post aliquod praeparationis tempus locum habuit solemnis *Symboli traditio* et *redditio,* i. e. instructio secundum Symboli Apostolici articulos et examen coram episcopo habitum. [5])

2. *Exorcismus* praemittitur i. e. renuntiatio et expulsio daemonis. Illam Tertullianus describit: „Aquam adituri ibidem, sed et aliquanto prius in ecclesia sub antistitis manu contestamur, nos renuntiare diabolo et pompae et angelis eius.“ [6]) Deinde ipse sequitur exorcismus: „Parvuli exsufflantur, ita de eo Augustinus, et exorcizantur, ut pellatur ab eis diaboli potestas inimica, quae decipit hominem.“ [7]) Quod cur fiat et quomodo significetur, ita explicat S. Thomas: „Quicunque sapienter aliquod opus facere proponit, prius removet impedimenta sui operis. Diabolus autem hostis est humanae salutis, quae homini per baptismum acquiritur; et habet potesta-

---

[1]) S. Th. 3 q. 66 a. 10.

[2]) S. Bonav. 4 dist. 6 p. 2 a. 3 q. 1.

[3]) *Funk* (Tübing. Quartalschrift 1883, 41 sq.) demonstrat *catechumenorum* non fuisse 2 vel 3 vel 4 species, uti plurimi existimant, sed *unam* tantum, et eo ipso catechumenatum finem accepisse, quod catechumeni fierent φωτιζόμενοι, μυούμενοι, βαπτιζόμενοι, competentes, electi, baptizandi.

[4]) Cf. Doctr. Apost. 7; Tertull. De bapt. 20; Iustin. M. 1 Apol. 61; Testam. D. N. I. Chr. 2, 6.

[5]) Cf. Peregrinatio S. Silviae, n. 72 et 73; Cyrill. Hierosol. Catech. 5.

[6]) Tertull. De cor. 3.

[7]) Augustin. De symb. 1, 1.

tem aliquam in hominem ex hoc ipso quod subditur originali peccato vel etiam actuali. Unde convenienter ante baptismum expelluntur daemones per exorcismos, ne salutem hominis impediant; quam quidem expulsionem significat exsufflatio. Benedictio autem cum manus impositione praecludit expulso viam ne redire possit. Sal autem in os missum et narium et aurium sputo linitio significat receptionem doctrinae fidei quantum ad aures, et approbationem quantum ad nares, et confessionem quantum ad os. Olei vero inunctio significat aptitudinem hominis ad pugnandum contra daemones.“ [1]) — Qua vero ratione exorcismus efficax sit, ita idem Angelicus declarat: „Quidam dixerunt ea, quae in exorcismo aguntur, nihil efficere, sed solum significare. Sed hoc patet esse falsum per hoc quod Ecclesia in exorcismis imperativis verbis utitur ad expellendam daemonis potestatem, puta cum dicit: Ergo, maledicte diabole, exi ab eo, etc. Et ideo dicendum est est quod aliquem effectum habent, differenter tamen ab ipso baptismo: nam per baptismum datur homini gratia ad plenam remissionem culparum; per ea vero, quae in exorcismo aguntur, excluditur duplex impedimentum salutaris gratiae percipiendae. Quorum unum est impedimentum extrinsecum, prout daemones hominis salutem impedire conantur, et hoc impedimentum excluditur per exsufflationes, quibus potestas daemonis pellitur, quantum scilicet ad hoc quod non praestet impedimentum sacramento suscipiendo. Manet tamen potestas daemonis in homine quantum ad maculam peccati et reatum poenae, quousque peccatum per baptismum tollatur; et secundum hoc Cyprianus dicit: «Scias, diaboli nequitiam posse remanere usque ad aquam salutarem; in baptismo autem omnem nequitiam amittere». Aliud impedimentum est intrinsecum, prout scilicet homo ex infectione originalis peccati habet sensus praeclusos ad percipienda salutis mysteria; unde Rhabanus dicit quod «per salivam typicam et sacerdotis tactum sapientia et virtus divina salutem catechumeni operatur, ut aperiantur ei nares ad percipiendum odorem notitiae Dei, ut aperiantur ei aures ad audiendum mandata Dei, ut aperiantur illi sensus in intimo corde ad respondendum».“ [2]) — Quae in exorcismo aguntur, quamvis sine eis possit quis baptismi effectum consequi, ea non tamen praetermittenda esse patet nisi in necessitatis articulo; „et tunc cessante periculo debent suppleri, ut servetur uniformitas in baptismo; nec frustra supplentur post baptismum, quia, sicut impeditur effectus baptismi antequam percipiatur, ita potest impediri, postquam fuerit perceptus.“ [3])

---

[1]) S. Th. 3 q. 71 a. 2.
[2]) S. Th. l. c. a. 3.
[3]) S. Th. l. c. ad 3.

3. De *usu olei* et *chrismatis*[1]) ita disserit S. Thomas: „Primo baptizandus inungitur oleo sancto et in pectore et in scapulis, quasi athleta Dei, ut Ambrosius dicit sicut pugiles inungi consueverunt. Unde, sicut Innocentius III dicit «baptizandus in pectore inungitur, ut per Spiritus Sancti donum errorem abiiciat et ignorantiam, et fidem rectam suscipiat, quia iustus ex fide vivit; inter scapulas autem inungitur, ut per Spiritus Sancti gratiam excutiat negligentiam et torporem, et bonam operationem exerceat, quia fides sine operibus mortua est, ut per fidei sacramentum sit munditia cogitationum in pectore, et per operis exercitium fortitudo laborum in scapulis, ut per dilectionem operetur.» Post baptismum vero, ut Rhabanus dicit, «statim signatur in cerebro a presbytero cum sacro chrismate, sequente simul et oratione, ut Christi regni particeps fiat, et a Christo Christianus possit vocari»; vel, sicut Ambrosius dicit «unguentum super caput effunditur, quia sapientis sensus in capite eius» in vertice inungitur, ut dicit Innocentius III «ut sit paratus omni petenti de fide reddere rationem».“ [2])

4. *Vestis candida* traditur baptizato „in signum gloriosae resurrectionis, ad quam homines per baptismum regenerantur, et ad significandam puritatem vitae, quam debent post baptismum observare secundum illud Rom. 6: In novitate vitae ambulemus.“ [3])

5. *Cereus accensus* datur in manu baptizati, quo implere doceatur illud Matth. 5, 16: „Sic luceat lux vestra coram hominibus“, et ad exemplum virginum sapientum lampadem suam servare inextinguibilem.

6. In baptismo *nomen* imponitur baptizando. „Quoniam iis qui baptizantur tamquam Dei filiis in Christo regenerandis et in eius militiam adscribendis nomen imponitur, curet parochus ne obscoena, fabulosa, ridicula, aut inanium deorum vel impiorum ethnicorum hominum nomina imponantur, sed potius, quatenus fieri potest, sanctorum, quorum exemplis fideles ad pie vivendum excitentur et patrociniis protegantur“ (Rit. Rom. De bapt.).

SCHOLION. Praeter hos in Ecclesia communiores ritus in aliquibus ecclesiis alii in usu erant: tegebatur caput sacro velamine vel corona ut baptizatus intelligeret, se diademate regio et sacerdotali potiri dignitate; renes cingebantur, lavabantur pedes; lac et mel porrigebatur („quasi modo geniti infantes lac concupiscite“) etc.

---

[1]) Olei non solum chrismatis, sed etiam catechumenorum occurrit mentio in Testam. D. N. I. Chr. 2, 8. — Varias olei significationes pulcherrime explicat S. Gregorius in hom. 2 Noct. 3 Dom. post Pentecosten.

[2]) S. Th. 3 q. 66 a. 10 ad 2.

[3]) S. Th. l. c. ad 3. — Vestis haec alba neophytis quondam in Sabbato Sancto tradita deferri solebat usque ad Dom. 1 post Pascha, cui diei inde nomen Dominicae in Albis factum est.

DE CONFIRMATIONE.

„Per baptismum spiritualiter renascimur, per confirmationem augemur in gratia et corroboramur in fide." (Conc. Flor. Decret. pro Armenis.)

1. *Nomina,* quibus confirmationis sacramentum vocatur, sunt: A materia dicitur *manus impositio* (ἐπίθεσις χειρῶν, χειροθεσία) vel *unctio, chrisma* (μύρον, χρῖσμα); ab effectu, qui est ut sit baptismi complementum, *perfectio, confirmatio* (τελείωσις, βεβαίωσις, σφραγίς).[1]

2. *Figurae* confirmationis, utpote quae sit „sacramentum plenitudinis gratiae", ex sententia S. Thomae in V. T. non fuerunt.[2] Verum dicunt sacramentum hoc adumbratum fuisse in N. T. per manuum impositionem a Christo in parvulis factam et solemnem Spiritus Sancti descensum in die Pentecostes.

Agendum erit 1. de confirmationis existentia, 2. essentia, 3. effectibus, 4. ministro.

Caput I.

De existentia confirmationis.

Probandum est, esse praeter baptismum aliud sacramentum proprie dictum, quantumvis intime nexum cum baptismo, quod confirmatio dicitur.

---

[1]) Vox *confirmationis,* quae fundamentum habet in Scriptura (2 Cor. 1, 21), occurrit apud Ambrosium, qui haec habet (De myst. 7, 42): „Accepisti signaculum spiritale, spiritum sapientiae; signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus et dedit pignus Spiritus in cordibus tuis."

[2]) S. Th. 3 q. 72 a. 1 ad 2.

Thesis 1.

Confirmatio est proprii nominis sacramentum.

Novatiani confirmationis sacramentum neglexisse videntur[1]); quocirca ad Ecclesiam redeuntes confirmari iubebantur.[2]) Primi, qui confirmationem sacramentum omnino reiecerunt, erant *Reformatores.*[3])

Contra Reformatores *Concilium Tridentinum* (Sess. 7) haec definivit: „Si quis dixerit, confirmationem baptizatorum otiosam caeremoniam esse, et non potius verum et proprium sacramentum aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quandam, qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram Ecclesia exponebant: a. s." (can. 1). „Si quis dixerit, iniurios esse Spiritui Sancto eos qui sacro confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt: a. s." (can. 2).

DEMONSTRATUR: Confirmatio *sacramentum* est.

1. Ex *Scriptura* sin minus ex specialibus testimoniis, certe tamen ex tota eius doctrina simul spectata merito colligitur esse sacramentum aliquod, quo Spiritus Sanctus conferatur, a baptismate distinctum.

Christus promisit se suis daturum esse Spiritum Sanctum. Atqui a. hic specialis intelligenda est collatio Spiritus Sancti, quae nondum eo ipso habetur quod quis habet gratiam sanctificantem; nam dandus erit Spiritus Sanctus post Christi glorificationem (Ioan. 7, 39), et ad specialem virtutem sc. testimonii pro fide reddendi (Luc. 24, 49). Atqui b. specialis haec Spiritus Sancti communicatio promittitur non solum Apostolis, sed omnibus fidelibus; nam promittitur iis, qui in Christum credunt (Ioan. 7, 39), et teste Petro

---

[1]) Euseb. Hist. eccl. 6, 43; Theodoret. Haeret. fab. 3, 5.

[2]) Cf. Denzinger, Enchir. 21.

[3]) *Lutherus* (De capt. Babyl.) confirmationem „pro ritu quodam ecclesiastico" habet. *Calvinus* (Inst. 4, 19) confirmationem vocat „abortivam sacramenti larvam". *Melanchthon* aliique confirmationem meram caeremoniam dicunt esse, cui substituendam volunt catechesim publicam et solemnem fidei professionem, quam emittant ii qui iam ex proprio consensu membra Ecclesiae esse incipiunt. Atque haec est illa, quam hodiedum Protestantes observant, „*confirmatio*". „Die Konfirmation ist diejenige feierliche kirchliche Handlung, in der, nach erfolgter Unterweisung und Prüfung, die jungen Christen ihr Taufbekenntniss und Taufgelübde selbständig feierlich aussprechen, durch Handschlag bekräftigen und unter fürbittender Handauflegung feierlich eingesegnet werden, worauf die Bestätigung (Konfirmation) des Taufbundes und Aufnahme in die Gemeinde der Erwachsenen durch den Diener am Wort geschieht" (Deutsche Evang. Kirchenzeitung 10. Febr. 1900).

provocante (Act. 2, 17) ad Ioëlis prophetiam („effundam de Spiritu meo super omnem carnem“), idem Spiritus Sanctus, quo Apostoli in die Pentecostes visibiliter repleti sunt, omnibus est promissus.

Apostoli iis, qui iam baptizati erant, Spiritum Sanctum contulerunt. „Cum autem audissent Apostoli qui erant Ierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Ioannem. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum“ (Act. 8, 14 sq.). „His auditis baptizati sunt in nomine Domini Iesu; et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos“ (Act. 19, 5 sq.). — Iam vero habetur hic a. signum sensibile, impositio sc. manuum, idque signum a baptismo distinctum, quia α. in baptismo non imponuntur manus, β. manus hic dicuntur imponi iam baptizatis, γ. signum hoc adhibitum est non a quibuscunque, quibus ius erat baptismi administrandi, sed ab Apostolis ipsis; b. signum porro gratiam interiorem conferens, cum Spiritum Sanctum ipsum, cuius nomine maxime gratia sanctificans intelligitur, conferre dicatur. Atqui huiusmodi signum sacramentum est.

Hinc plene intelligitur, cur Apostolus christifideles alloquatur: „In quo (sc. Christo) et credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto“ (Eph. 1, 13); et quid sibi velit, cum scribat: „Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo et qui unxit nos Deus, qui et signavit nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris“ (2 Cor. 1, 21 sq.); et cur denique idem Apostolus ad „fundamentum“ spectare dicat doctrinam et baptismi et „impositionis manuum“ (Hebr. 6, 1 sq.). Videlicet: sponte velut menti Apostoli una cum Spiritu Sancto, qui in fidelibus est, notio offerebatur impositionis manuum, unctionis, sigilli, confirmationis.

Verum quidem est, una cum collatione Spiritus Sancti in aliquibus locis citatis, ut Act. 19, 5 sq. sermonem esse de *charismatibus extraordinariis*, v. g. de prophetia; at vero hinc sequitur, una cum Spiritu Sancto aliquando, praesertim primis Ecclesiae temporibus, etiam gratias tales quae et ipsae nomine Spiritus Sancti significari possunt collatas esse; minime vero sequitur, Spiritum Sanctum illum, qui dabatur vi impositionis manuum, aliud non esse quam gratias datas. Et sane: a. nunquam in Scriptura nomine Spiritus Sancti simpliciter et absolute adhibito gratiae gratis datae significantur, nec cum hae in peccatoribus quoque esse possint, in quibus non est Spiritus Sanctus, simpliciter et absolute possunt significari; b. Spiritus Sanctus per illam manuum impositionem omnibus dabatur bap-

tizatis, dona vero illa gratis data non erant communia omnibus, ut patet ex 1 Cor. 12, 30: „Numquid omnes gratiam habent curationum. Numquid omnes linguis loquuntur?" Ergo saltem principaliter nomine Spiritus Sancti locis illis gratia intelligitur gratum faciens; non quidem prima, quae baptismate data erat, sed perfectiva et corroborativa.

2. Ex *Traditione,* quamvis baptismus et confirmatio, cum et natura sua intime uniantur et plerumque simul conferri consueverint, antiquitus non semper clare distinguantur, afferuntur tamen testimonia satis antiqua, quibus colligitur confirmationem habitam fuisse sacramentum a baptismo distinctum.

A Clemente Alexandrino distinguuntur βάπτισμα εὔλογον et μακαρία σφραγίς [1]), ὁ φωτισμός (sc. baptisma) et ὡς τὸ τέλειον φυλακτήριον [2]). Theophilus dicit: „Nulla alia ex re christianorum nomen traximus, quam quod divino oleo perfundimus" [3]); eodem modo Tertullianus nomen christianorum interpretatur. [4]) Irenaeus testatur, etiam Gnosticos eum, qui initiatus erat, opobalsamo inunxisse. [5]) Tertullianus rem clare significat scribens: „Egressi de lavacro perungimur benedicta unctione . . . In nobis carnaliter currit unctio, sed spiritaliter proficit, quomodo et ipsius baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur, spiritualis effectus, quod delictis liberamur. . . Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans et invitans Spiritum Sanctum." [6]) „Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro signatur, ut et anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima Spiritu illuminetur; caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima Deo saginetur." [7]) Cyprianus de Samaritanis haec scribit: „Quia legitimum ecclesiasticum baptismum consecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat; sed tantummodo quod deerat, id a Petro et Ioanne factum est, ut oratione pro eis habita et manu imposita invocaretur et infunderetur super eos Spiritus. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, praepositis Ecclesiae offerantur et per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur et signaculo dominico consumentur." [8]) Clarissime porro Augustinus: „In hoc unguento sacramentum chrismatis vultis interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacramen-

---

1) Clem. Alex. Strom. 2, 3.
2) Clem. Alex. Quis dives 42.
3) Theoph. ad Autol. 1, 12.
4) Tertull. De bapt. 7.
5) Iren. Adv. haer. 1, 20.
6) Tertull. De bapt. 7 et 8.
7) Tertull. De resurr. carn. 8.
8) Cyprian. Epist. 73.

tum est, sicut ipse baptismus.“ [1]) Audiatur demum Cyrillus Hierosolymitanus: „Vobis, postquam ex aquis sacri lavacri ascendistis, datum est chrisma, quod gerit imaginem illius, quo unctus est Christus; hoc autem est Spiritus Sanctus . . . . Vos vero uncti estis unguento, facti participes et consortes Christi . . . Vide, ne nudum et vile suspiceris unguentum hoc esse: nam sicut panis Eucharistiae post invocationem Sancti Spiritus non est communis panis, sed corpus Christi, ita et sanctum istud unguentum non amplius nudum neque, si quis ita appellare malit, commune unguentum est post invocationem, sed Christi donarium (χάρισμα), et Spiritus Sancti praesentia divinitatis eius efficax (ἐνεργητικόν) factum; quod quidem symbolice fronti aliisque sensibus tuis illinitur; ac dum unguento visibili inungitur corpus, sancto et vivifico Spiritu anima sanctificatur.“ [2])

In Testamento D. N. I. Chr. post baptismum et baptismalem unctionem, quae per presbyterum (in mulieribus per viduas) fit, duplex occurrit ritus: manus impositio et consignatio oleo eucharistico per episcopum in baptizato facienda. „Post baptismum cum omnes convenerint in ecclesiam, episcopus manum eis imponens proferat super eos invocationem Spiritus Sancti: Domine Deus, qui . . . . dignos fecisti hosce famulos tuos per Christum tuum, ut mererentur remissionem peccatorum per lavacrum regenerationis . . . dignos illos fac, ut per philanthropiam tuam impleantur Spiritu Sancto . . . Simili modo fundens oleum manumque capiti imponens dicat: Ungendo te ungo in Deo omnipotente, in Christo Iesu et in Spiritu Sancto, ut sis operarius habens fidem perfectam et vas ipsi gratum. Et consignans eum in fronte pacem det ipsi dicens: Deus humilium sit tecum.“ [3])

Ex Conciliis sufficiat audivisse haec: Concilium Eliberitanum (a. 305) postquam statuit, posse laicum in necessitate baptizare, subiungit: „Si supervixerit, ad episcopum eum producat, ut per manus impositionem perfici possit“; et de iis qui a diacono fuerint baptizati decernit: „Episcopus eos per benedictionem perficere debebit.“ Concilium Laodicenum (a. 371) et Novatianos, si convertantur, „sancto chrismate inungi“ iubet, et generatim praescribit: „oportet eos, qui illuminantur, post baptisma inungi supercoelesti chrismate“.

SCHOLION. Cum confirmatio sacramentum sit, cumque „instituere novum sacramentum pertineat ad potestatem excellentiae, quae competit soli

---

[1]) Augustin. C. lit. Petit. l. 2, 104.

[2]) Cyrill. Hierosol. Catech. 21, 1, 2, 3.

[3]) Testam. D. N. I. Chr. lib. 2 de consignatione.

Christo"[1]): manifestum est confirmationem a Christo esse institutam. Atque hoc quidem ex Concilio Tridentino (Sess. 7 c. 1) de fide esse constat; omnia enim N. L. sacramenta a Iesu Christo instituta esse Concilium definivit.

Theologice porro cum post idem Concilium sit certum, non quomodocunque, sed *immediate* ab ipso Christo Domino sacramenta omnia fuisse instituta, certum quoque est confirmationem a Christo Domino immediate institutam fuisse. Verum quidnam, ut institutio sacramenti immediate a Christo facta dicatur, exigitur? Alii cum S. Bonaventura docent eiusmodi institutionem ita posse concipi, ut determinatio specifica a Christo deputata fuerit Ecclesiae; unde Seraphicus ait: „Christus solum initiavit et insinuavit confirmationem manum parvulis imponendo et praedicendo discipulos baptizandos Spiritu Sancto."[2]) Sententia communis praeeunte Angelico tuetur requiri, ut sacramenti et materia et forma in sua specie fuerit a Christo determinata.[3])

Quando vero confirmationis sacramentum fuerit a Christo institutum, non constat. Haec S. Thomas: „Christus instituit hoc sacramentum non exhibendo, sed promittendo, secundum illud Ioan. 16: «Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos». Et hoc ideo, quia in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti, quae non erat danda ante Christi resurrectionem et ascensionem secundum illud Ioan. 7, 39: «Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus»."[4])

Caput II.

De essentia confirmationis.

Thesis 2.

Confirmationis materia est unctio chrismatis per manus impositionem facta, forma sunt verba: „Signo te etc."

Ritus confirmationis conferendae in Ecclesia latina hic est: Episcopus super confirmandos Spiritum Sanctum invocat et extensis manibus orat. Deinde singulorum frontes chrismate inungit dicens: „Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine etc." Tum inunctum leviter in maxilla percutit dicens: „Pax tecum." Dicta demum super confirmatos oratione et benedictione data eosdem dimittit. In Ecclesia graeca minister sacramenti frontem aliaque membra confirmandi per modum crucis inungit dicens: Σφραγὶς δωρεᾶς Πνεύματος ἁγίου. — Iam vero in quibus ex his propria huius sacramenti materia et forma constituta sit, controvertitur.

---

1) S. Th. 3 q. 72 a. 1 ad 1.
2) S. Bonav. Brevil. 6, 4.
3) Cf. tract. de Sacr. in genere th. 7.
4) S. Th. l. c.

Materia confirmationis necessaria et adaequata iuxta alios, Aureolum, Habert, Sirmondum, in sola illa praevia manuum impositione invenitur; iuxta alios, v. g. Tapperum, et in sola manuum impositione et in sola unctione chrismatis; iuxta alios, S. Thomam, Bellarminum etc., in sola chrismatione; iuxta alios denique in utroque ritu simul sumpto, ita tamen ut ea manuum impositio sufficiat quae in ipsa chrismatione includitur. Atque postrema haec sententia, a qua secundum rem ipsam non differt sententia illa in sola chrismatione materiam huius sacramenti ponens, et maiore rationum et auctoritatis fulcitur pondere et modo inter theologos communis est. — *Chrisma* quod vi vocis nihil aliud est quam unguentum, communi Ecclesiae loquendi usu illud significat unguentum, quod ex oleo et balsamo confectum est; oleum vero simpliciter dictum oleum intelligitur olivarum. Oleum olivarum certo est de sacramenti essentia; admixtio balsami probabiliter. Praeterea probabiliter et communiter tenent, de necessitate sacramenti chrisma benedictum esse oportere et quidem iure saltem ordinario ab episcopo [1]); unctionem porro fieri oportere in fronte et in forma crucis.

Forma confirmationis, circa quam et ipsam controversia est, secundum sententiam de materia communem in verbis sita est ab episcopo inter unctionem pronuntiatis; quae verba sunt: „Signo te" vel aequivalentia.

DEMONSTRATUR: 1. *Materia* confirmationis est chrismatio per impositionem manus facta.

1. *Unctio chrismatis* requiritur.

Scriptura illis locis 2 Cor. 1, 21; 1 Ioan. 2, 20 sq., quibus maxime ex Patrum interpretatione de confirmatione sermo est, de unctione loquitur. Patres, ut audivimus, confirmationem nomine ipso unctionis vel chrismatis appellant et huic actui propriam huius sacramenti virtutem tribuunt; sic praeprimis clare Tertullianus. Tum Latinorum Ritualia tum Graecorum Euchologia vetustissima chrisma ut materiam confirmationis exhibent. Eugenius IV (Decret. pro Armenis) confirmationis materiam docet esse „chrisma confectum ex oleo et balsamo per episcopum benedicto". Concilium Tridentinum (Sess. 7 can. 2) definivit: „Si quis dixerit, iniuriosos esse Spiritui Sancto eos, qui sacro confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt: a. s."

[1]) In epistola a Pseudo-Isidoro Fabiano Papae tributa praecipitur, ut *quotannis in Coena Domini chrisma conficiatur:* „in illa enim die Dominus Iesus chrisma conficere docuit". Eundem ritum eadem die observatum fuisse testatur Auctor sermonis de unctione chrismatis (inter Opp. Cypriani). Concilium Meldense (a. 845) statuit, „ut nemo sacrum chrisma nisi in quinta feria maioris hebdomadae conficere praesumat".

Unctionem chrismatis *congruentem* esse, sic probat S. Thomas: „In hoc sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti ad robur spirituale, quod competit perfectae aetati. Homo autem, cum ad perfectam aetatem pervenerit, incipit iam communicare actiones suas ad alios; antea vero quasi singulariter sibi ipsi vivit. Gratia vero Spiritus Sancti in oleo designatur: et ideo oleum competit materiae huius sacramenti. Admiscetur autem balsamum propter fragrantiam odoris, quae redundat ad alios; unde Apostolus dicit 2 Cor. 2, 15: «Christi bonus odor sumus Deo». Et licet multa alia sint odorifera, tamen praecipue accipitur balsamum propter hoc, quod habet praecipuum odorem et quia etiam incorruptionem praestat; unde Eccli. 24, 21 dicitur: «Quasi balsamum non mixtum odor meus».“ [1])

Cur vero in *fronte* fieri debeat chrismatio, S. Thomas sic explicat: „Inter omnia loca corporis humani maxime frons manifesta est, quae quasi nunquam obtegitur. Et ideo linitur confirmatus chrismate in fronte, ut in manifesto demonstret se esse christianum, sicut et Apostoli post acceptum Spiritum Sanctum se manifestaverunt qui prius in coenaculo latebant. Secundo quia aliquis impeditur a libera confessione nominis Christi propter duo, sc. propter timorem et propter verecundiam; utriusque autem horum signum maxime manifestatur in fronte, . . . unde verecundati erubescunt, timentes autem pallescunt. Et ideo in fronte signatur chrismate, ut neque propter timorem neque propter erubescentiam nomen Christi confiteri praetermittat.“ [2])

2. *Manus impositio* aliqua requiritur.

Teste Scriptura Apostoli per manuum impositionem Spiritum Sanctum conferebant. A Tertulliano, Cypriano, Augustino etc. sacramentum confirmationis manuum impositio vocatur. In Ecclesia occidentali usque ad medium aevum, ubi de confirmatione sermo est, praecipue semper occurrit manuum impositio; nec ignota ea erat in Ecclesia orientali. [3])

3. *Quae in chrismatione includitur* manus impositio sufficit.

---

[1]) S. Th. 3 q. 72 a. 2.

[2]) S. Th. l. c. a. 9.

[3]) „Die ersten Iahrhunderte kennen eine von der Taufe verschiedene und doch mit ihr verbundene sakramentale Handlung, die vom Bischofe an dem Neophyten verrichtet, in Salbung und Handauflegung bestand. Den historischen Zeugnissen conform, wurde im Orient die Salbung, im Occident die Handauflegung in Vordergrund gestellt, aber beide Kirchen, die morgenländische wie die abendländische, bedienten sich beider Acte.“ Probst, Sacram. § 45.

Apud Graecos, qui certe valide confirmare censendi sunt[1]), specialis manuum impositio in ritu confirmationis administrandae vix occurrit. Ipsum Pontificale Romanum videtur supponere, primam illam manuum impositionem ad materiam sacramenti non necessario spectare, cum ea iam peracta dicat: „Pontifex confirmat genuflexos . . . inquirit singillatim de nomine cuiuslibet confirmandi.“ Hinc Hugo Victorinus: „Christianus unctione chrismatis per impositionem manus in fronte signatur“ [2]); et Innocentius III: „Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quae alio nomine dicitur confirmatio.“ [3])

2. *Forma* confirmationis sunt verba: „Signo te etc.“ vel aequivalentia.

Sponte id consequitur ex iis quae de materia huius sacramenti probata sunt. Praeterea hanc formam exhibent ordines tum romani tum graeci. Eugenius IV denique (Decr. pro Armenis) statuit: „Forma est: Signo te etc.“

Hanc formam *congruentem* esse, sic ostendit S. Thomas: „In hoc sacramento tria sunt necessaria, quae continentur in forma praedicta. Quorum primum est causa conferens plenitudinem roboris spiritualis, quae est sancta Trinitas, quae exprimitur cum dicitur: In nomine Patris etc. Secundum est ipsum robur spirituale quod homini confertur per sacramentum materiae visibilis ad salutem, quod quidem tangitur cum dicitur: Confirmo te chrismate salutis. Tertium est signum quod pugnatori datur, sicut et in pugna corporali milites insigniis ducum insigniuntur; et quantum ad hoc dicitur: Consigno te signo crucis, in quo scilicet Rex noster triumphavit, ut dicitur Coloss. 2.“ [4])

SCHOLION. Iuxta S. Thomam Christus ipse ex potestate excellentiae contulit *Apostolis* rem huius sacramenti, i. e. Spiritus Sancti plenitudinem, sine sacramento, non tamen sine signo aliquo sensibili. Cuius *signi* sensum sic Angelicus perpulchre explicat: „Quod sensibiliter Spiritus Sanctus super eos descendit in specie ignis, ad eandem significationem refertur ad quam refertur oleum, nisi quod ignis habet vim activam, oleum autem habet vim passivam, in quantum est materia et fomentum ignis. Et hoc satis competebat; nam per Apostolos gratia Spiritus Sancti erat ad alios derivanda. Super Apostolos etiam Spiritus Sanctus descendit in figura linguae, quod ad

---

[1]) Cf. Bened. XIV Encycl. ‚Ex quo primum‘: „Nemini fas est asserere in Ecclesia graeca non adesse sacramentum confirmationis.“

[2]) Hugo Vict. De sacram. 2 p. 7, 2.

[3]) Decret. 1 tit. 15 de sacra unct. 7.

[4]) S. Th. 3 q. 72 a. 4. — Sub verbis „Pax tecum“ *alapa* datur, quae vel originem duxit ex osculo pacis, vel ex more quo media aetate equites solebant constitui. Cf. ‚Katholik‘ 1869, I, 55 sq.

idem significandum refertur quod significat balsamum, nisi quod lingua per locutionem est communicativa ad alterum, balsamum vero per odorem, quia scilicet Apostoli replebantur Spiritu Sancto ut fidei doctores, alii autem fideles ut operatores eorum quae pertinent ad aedificationem fidelium. Similiter etiam ad impositionem manus Apostolorum et etiam ad eorum praedicationem descendebat plenitudo Spiritus Sancti super fideles sub visibilibus signis sicut et a principio descenderat super Apostolos. Unde Petrus dicit Act. 11, 15: «Cum coepissem loqui, cecidit Spiritus Sanctus super eos, sicut et in nos in initio». Et ideo non erat necessaria sensibilis materia sacramentalis, ubi sensibilia signa miraculose exhibebantur divinitus. Utebantur tamen Apostoli communiter chrismate in exhibitione sacramenti, quando huiusmodi visibilia signa non exhibebantur.“ [1])

Caput III.

De effectibus confirmationis.

Thesis 3.

Effectus proprius confirmationis est 1. gratiae augmentum ad fidei robur, 2. character, quo baptizatus in Christi militem consignatur.

Confirmatio, quamvis sacramentum sit a baptismo distinctum, nihilominus cum baptismo nexum habet intimum et eo spectat, ut quae in baptismate accepta est gratia ac vita supernaturalis, perficiatur ac consummetur. Finis vero specialis huius augmenti gratiae in confirmatione dati est, ut ait Eugenius IV (Decret. pro Armenis), „Spiritus Sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut videlicet christianus audacter Christi confiteatur nomen.“ Atque huc etiam character spectat, qui in confirmatione imprimitur.

DEMONSTRATUR: 1. In confirmatione *augetur gratia* in *baptismo* accepta *ad robur fidei.*

1. In *Scriptura* Spiritus Sanctus quamvis iam in baptismo conferatur, tamen speciali modo dandus exhibetur per confirmationem (Act. 8, 16 sq.; 19, 1 sq.); qui quidem Spiritus Sanctus ibi datur, „sicut datus est Apostolis in die Pentecostes“ (Eugen. IV). Atqui nomine Spiritus Sancti, qui baptizatis speciali ratione detur, intelligitur gratiae augmentum cum connotatione eorum quae speciali modo Spiritui Sancto tribui solent. Atqui haec specialia, ubi de Apostolis sermo est, in Scriptura significantur esse: „virtus ex alto“,

---

[1]) S. Th. l. c. a. 2 ad 1.

qua Apostoli indui debebant (Luc. 24, 49), et „virtus“, ex qua Apostoli Christo „testes“ esse poterant (Act. 1, 8). Quae quidem ut etiam symbolice exhiberentur, Spiritus Sanctus in die Pentecostes super Apostolos descendit sub figura linguarum quasi ignearum (Act. 2, 3): linguae nimirum symbolum sunt praedicationis et testimonii viva voce reddendi; ignis signum est mundationis, lucis, ardoris. Hinc merito Catechismus Romanus: „Quodsi pastores voluerint divinam huius sacramenti efficaciam ostendere, satis erit, quid ipsis Apostolis evenerit explicare. Illi enim ante passionem vel sub ipsam passionis horam adeo infirmi et remissi fuerunt, ut, cum Dominus comprehensus est, statim se in fugam coniecerint, Petrus vero, qui Ecclesiae petra et fundamentum designatus erat et summam constantiam excelsique animi magnitudinem prae se tulerat, unius mulierculae voce perterritus se Iesu Christi discipulum esse negaverit, ac post resurrectionem omnes propter metum Iudaeorum inclusi domi se continuerint. At vero in die Pentecostes tanta Spiritus Sancti virtute omnes repleti sunt, ut, dum evangelium, quod eis commissum erat, non solum in Iudaeorum regione, sed in universo orbe audacter et libere disseminarent, nihilque sibi felicius accidere posse existimaverint quam quod digni haberentur, qui pro Christi nomine contumeliam, vincula, tormenta, cruces perferrent.“

2. *Patres* idem de confirmatione docent eam maxime cum *baptismo* comparantes. Cum baptismo potius effectum tribuunt remissionis peccatorum, Spiritum Sanctum praecipue in confirmatione conferri volunt: „Non quod in aquis Spiritum Sanctum consequamur, sed in aqua emundati sub angelo Spiritui Sancto praeparamur“ [1]. „Qui peccatis in baptismo expositis sanctificatus est et in novum hominem spiritaliter reformatus, ad accipiendum Spiritum Sanctum idoneus factus est.“ [2] Hinc vita in baptismo accepta nondum perfecta esse significatur: „Post fontem superest ut perfectio fiat, quando ad invocationem sacerdotis Spiritus Sanctus infunditur.“ [3] „Quod deerat, id a Petro et Ioanne factum est, ut oratione pro eis habita et manu imposita invocaretur et infunderetur Spiritus Sanctus; quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in ecclesia baptizantur praepositis ecclesiae offerantur et per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur et signaculo dominico consummentur.“ [4] Qui Spiritus Sanctus in confirmatione datus est

[1] Tertull. De bapt. 6.
[2] Cyprian. Epist. 74, 5.
[3] Auctor libr. de sacram. 3, 2.
[4] Cyprian. Epist. 73, 9.

veluti anima Adamo formato indita: „Non per manus impositionem quis nascitur, quando accipit Spiritum Sanctum; sed in baptismo, ut Spiritum iam natus accipiat, sicut in primo homine Adam factum est: ante eum Deus plasmavit, tunc insufflavit in faciem eius flatum vitae.“ [1]) Cum homo per baptismum iam fiat Dei templum, per confirmationem demum „super templum Spiritus Sanctus infundi“ creditur. [2]) Hinc porro cum iam per baptismum efficiamur christiani, „quicunque unguento sacri chrismatis delibuti sunt, sacerdotes effecti sunt“, ad instar sacerdotum V. T. [3]) Imo vero per confirmationem solam homo sensu plenissimo fit christianus: „Hoc sancto chrismate digni habiti vocamini christiani, veram efficientes appellationem in ipsa regeneratione; antequam enim haec vobis gratia collata esset, hoc nomine proprie digni non eratis, sed eo contendebatis ut essetis christiani.“ [4])

Qui vero in his *speciales* significentur confirmationis effectus, a Patribus iisdem docetur. Est videlicet imprimis specialis cum Deo restituta amicitia atque filiatio: „Donum gratiae Spiritus per olei imaginem designatur, ut non solum purgationem consequi possit is qui convertitur a peccato, sed et Spiritu Sancto repleri, quo et recipere priorem stolam et annulum possit et per omnia reconciliatus Patri in locum filii reparari.“ [5]) Est porro specialis in rebus fidei illuminatio: „Oleo lux et verae scientiae ignis accenditur.“ [6]) Est gratiae custodia: „Ungi necesse est eum qui baptizatus est, ut accepto chrismate i. e. unctione esse unctus Dei et habere in se gratiam Christi possit.“ [7]) Est munimentum in bonis operibus: „Ut iam uncti sint corpori Ecclesiae nunquam separandi operibus alienis.“ [8]) Est denique virtus, „ut baptizatus roboretur per Spiritum Sanctum ad praedicandum aliis idem donum, quod ipse in baptismate consecutus est.“ [9]) — Cf. in Pontificali Romano ritum benedicendi chrismatis et confirmationis administrandae, ubi Deus rogatur, ut in confirmandos emittat „septiformem Spiritum Sanctum, — sapientiae et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiae et pietatis, timoris. [10])

---

[1]) Cyprian. Epist. 74, 7.
[2]) Cyprian. Epist. 74, 5.
[3]) Origen. In Levit. Hom. 9, 9.
[4]) Cyrill. Hierosol. Cat. myst. 3, 5.
[5]) Origen. In Levit. Hom. 8, 11.
[6]) Origen. l. c.
[7]) Cyprian. Epist. 70, 2.
[8]) Hippolyt. Can. Arab.
[9]) Rhab. Maur. De instit. cler. 1, 30.
[10]) De donis Spiritus Sancti cfr. tract. de Gratia.

2. In confirmatione imprimitur *character*, quo baptizatus in Christi *militem* consignatur.

Res probata est, ubi generatim de charactere sacramentorum dictum est. Rei congruentiam sic probat S. Thomas: „Sicut baptismus est quaedam spiritualis regeneratio in vitam christianam, ita etiam confirmatio est quoddam spirituale augmentum promovens hominem in spiritualem aetatem perfectam. Manifestum est autem ex similitudine corporalis vitae, quod alia est actio hominis statim nati et alia actio quae competit ei, cum ad perfectam aetatem pervenerit. Et ideo per sacramentum confirmationis datur homini potestas spiritualis ad quasdam alias actiones sacras, praeter illas ad quas datur ei potestas in baptismo. Nam in baptismo accipit homo potestatem ad ea agenda quae ad propriam pertinent salutem, prout scilicet secundum seipsum vivit; sed in confirmatione accipit homo potestatem ad agendum ea quae pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei, sicut patet exemplo Apostolorum, qui antequam plenitudinem Spiritus Sancti acciperent, erant in coenaculo perseverantes in oratione, postmodum vero egressi non verebantur publice fidem fateri etiam coram inimicis fidei christianae. Et ideo manifestum est quod in sacramento confirmationis imprimitur character.“ [1])

Hinc est, quod confirmationis sacramentum *iterari* nequit. „Sanctum chrisma collatum et altaris honor avelli nequeunt“ (Conc. Tolet. a. 653). „Nobis visum est, eandem confirmationem sicut nec baptismum iterari minime debere“ (Conc. Cabil. a. 813).

SCHOLION. *Per accidens* sacramentum confirmationis gratiam *primam* conferre potest. „Per gratiam collatam in hoc sacramento consequitur poenitens pleniorem remissionem peccati; et si aliquis adultus in peccato existens, cuius conscientiam non habet, vel si etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc sacramento consequetur remissionem peccatorum.“ [2])

COROLLARIUM **1.** Quid de *necessitate* confirmationis suscipiendae?

Ex ipsa natura confirmationis aliquam patet esse eius necessitatem. „Per hoc sacramentum promovetur homo spiritualiter in aetatem perfectam. Hoc autem est de intentione naturae ut omnis, qui corporaliter nascitur, ad perfectam aetatem perveniat; sed hoc quandoque impeditur propter corruptibilitatem corporis, quod morte praevenitur. Multo autem magis de intentione Dei est omnia ad perfectionem perducere, ex cuius imitatione hoc natura participat. Anima autem, ad quam pertinet et spiritualis nativitas et spiritualis aetatis perfectio, immortalis est, et potest sicut tempore senectutis spiritualem nativitatem consequi, ita tempore iuventutis vel pueritiae

---

1) S. Th. 3 q. 72 a. 5.

2) S. Th. l. c. a. 7 ad 2.

consequi perfectam aetatem, quia huiusmodi corporales aetates animae non praeiudicant. Et ideo hoc sacramentum debet omnibus exhiberi."[1])

At vero necessitas haec non est ut salus simpliciter obtineatur, sed ut melius obtineatur. „Omnia sacramenta, ita idem S. Thomas, sunt aliqualiter necessaria ad salutem. Sed quaedam sunt sine quibus non est salus; quaedam vero sunt quae cooperantur ad perfectionem salutis: et hoc modo confirmatio est de necessitate salutis, quamvis sine ea possit esse salus, dum tamen non praetermittatur ex contemptu sacramenti."[2]) — Ad illud vero, quod habet Hugo Victorinus: „Omnino periculosum esset, si ab hac vita sine confirmatione migrare contingeret", haec idem Angelicus animadvertit: „Non quia damnaretur, nisi forte propter contemptum, sed quia detrimentum perfectionis pateretur: unde etiam pueri confirmati decedentes maiorem gloriam consequuntur, sicut et hic maiorem obtinent gratiam."[3])

2. Tum ex dictis tum ex praxi Ecclesiae consequitur etiam *infantes* valide confirmari posse et, si confirmentur, sacramenti percipere gratiam. Verum ut praeparatio aliqua ad hoc sacramentum locum habere possit, Catechismus Romanus praescripsit annos discretionis, i. e. saltem septennium, exspectandos esse. At certe non nimis differenda est confirmationis susceptio. Imo Leo XIII litteris de die 22 iun. 1897 magnopere laudat consuetudinem ab episcopo Massiliensi inductam, ut pueri, antequam ad Eucharistiam accedant, confirmationis sacramentum suscipiant.

Caput IV.

De ministro confirmationis.

Thesis. 4.

Confirmationis minister 1. ordinarius est episcopus, 2. extraordinarius presbyter.

Minister confirmationis distinguitur duplex: *ordinarius*, qui sc. vi ordinis sui ad hoc confirmationis sacramentum potestatem habet completam; *extraordinarius*, qui vi ordinis conficiendi huius sacramenti potestatem non habet nisi inchoatam, quae dispensatione legitima compleatur. — *Photius* et *Hussitae* omnes presbyteros asseruerunt esse confirmationis ministros ordinarios. Post *Concilium Florentinum* ordinarium ministrum confirmationis episcopum esse solum est indubium. Imo post *Concilium Tridentinum* hoc de fide est; definitum enim est (Sess. 7 can. 3): „Si quis dixerit, sanctae confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum: a. s." Inter *catholicos* theologos solum de extraordinario quaeritur ministro;

1) S. Th. l. c. a. 8.
2) S. Th. l. c. a. 1 ad 3.
3) S. Th. l. c. a. 8 ad 4.

utrum sc. ex dispensatione Summi Pontificis presbyter quicunque sacramentum hoc valide possit conferre. Negant Durandus et Estius, affirmant cum S. Thoma reliqui fere omnes.

DEMONSTRATUR: **1.** *Ordinarius* minister confirmationis est *solus episcopus.*

1. Ex *Scriptura* id probatur. „De solis Apostolis legitur, ita Concilium Florentinum, quorum vicem tenent episcopi, quod per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apostolorum lectio manifestat.“ Accedit quod et praedicatio evangelii et administratio baptismi et eucharistiae etiam aliis quam Apostolis competebat, dum collatio Spiritus Sancti Apostolis solis tribuitur.

2. *Traditio* id confirmat. Cyprianus testatur, quod secundum Act. 8 factum legitur sua aetate id observari, cum baptizati confirmandi Ecclesiae praepositis offerantur.[1] Hieronymus narrat, ad eos, qui a presbyteris vel diaconis baptizati erant, episcopos manum imposituros excurrisse.[2] Innocentius I provocans tum ad Act. 8 tum ad ecclesiasticam consuetudinem docet, non ab alio quam ab episcopo infantes consignari licere.[3] Chrysostomus ait, collationem Spiritus Sancti fuisse privilegium (δῶρον ἐξαίρετον) Apostolorum, atque adeo ad Ecclesiae coryphaeos spectare ut confirment.[4]

3. *Ex ratione theologica* idem suadetur. „In quolibet opere ultima consummatio supremae arti aut virtuti reservatur, sicut praeparatio materiae pertinet ad inferiores artifices, superior autem dat formam. Supremus autem est ad quem pertinet usus, qui est finis artificiatorum; unde epistola, quae a notario scribitur, a domino signatur. Fideles autem Christi sunt quoddam divinum opus secundum illud 1 Cor. 3, 9: Dei aedificatio estis. Sunt etiam quasi quaedam epistola Spiritu Dei scripta, sicut dicitur 2 Cor. 3, 3. Hoc autem confirmationis sacramentum est quasi ultima consummatio sacramenti baptismi, ita scilicet quod per baptismum aedificatur homo in domum spiritualem, et conscribitur quasi quaedam spiritualis epistola; sed per sacramentum confirmationis quasi domus aedificata dedicatur in templum Spiritus Sancti et quasi epistola conscripta signatur signo crucis. Et ideo collatio huius sacramenti episcopis reservatur, qui obtinent summam potestatem in Ecclesia; sicut et in primitiva Ecclesia per impositionem manus Apostolorum,

---

[1] Cyprian. Epist. 73, 9.
[2] Hieronym. Adv. Lucif. 8.
[3] Innoc. I Ad Dec. 3.
[4] Chrysost. in Act. hom. 18, 3.

quorum vicem gerunt episcopi, plenitudo Spiritus Sancti dabatur, ut habetur Act. 8.“ [1])

2. *Extraordinarius* minister confirmationis est quilibet sacerdos.

Patet ex consuetudine Ecclesiae tum Graecae tum Latinae. „Legitur, ita Concilium Florentinum, aliquando per Apostolicae Sedis dispensationem ex rationabili et urgente admodum causa simplicem sacerdotem chrismate per episcopum confecto hoc administrasse confirmationis sacramentum.“ Sic v. g. Gregorius M. a. 594 ad Ianuarium Calaritanum scripsit: „Ubi episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizandos chrismate tangere debeant, concedimus.“ [2])

Aliqua huius rei explicatio accipiatur a S. Thoma: „Omnis operatio in corpus mysticum sacramentalis, per quam gratia datur, dependet ab operatione sacramentali super corpus Christi verum; et ideo solus sacerdos potest absolvere in foro poenitentiali et baptizare ex officio. Et ideo dicendum quod promovere ad illas perfectiones, quae non respiciunt corpus Domini verum, sed solum corpus mysticum, potest a Papa, qui habet plenitudinem pontificalis potestatis, committi sacerdoti, qui habet actum summum super corpus Christi verum; non autem diacono vel alicui inferiori.“ [3])

At vero haec potestas etiam presbyterum delegandi ad confirmationem conferendam non est aliorum episcoporum, sed solius Romani Pontificis; quia vel est, ut ait S. Thomas, ex sola plenitudine potestatis, quae est in solo Papa [4]), vel quia, ut habet Benedictus XIV, „Sedes Apostolica id iuris sibi unice reservavit.“ [5])

SCHOLION. In confirmationis sacramento suscipiendo *patrini* requiruntur, quamvis nec ad valorem sacramenti nec tam necessario quam in baptismo. Quo tempore baptismus et confirmatio simul conferebantur, unus idemque patrinus erat. Sed quando seorsim sacramentum utrumque conferri coepit, congruum erat etiam in confirmatione peculiarem patrinum adhiberi. „Sicut aliquis de novo natus indiget instructore in his quae pertinent ad conservationem vitae, ita illi, qui assumuntur ad pugnam, indigent eruditoribus, a quibus instruantur de his quae pertinent ad modum certaminis; et ideo in bellis materialibus constituuntur duces et centuriones, per quos alii gubernentur: et propter hoc etiam ille, qui accipit hoc sacramentum, ab alio tenetur quasi per alium in pugna spirituali erudiendus. Similiter etiam, qui per hoc sacramentum accedit, sustentatur quasi adhuc spiritualiter imbecillis et puer.“ [6])

---

[1]) S. Th. 3 q. 72 a. 11.
[2]) Gregor. M. Epist. 4, 26.
[3]) S. Th. 4 dist. 7 q. 3 a. 1. — Cf. plura in ‚Zeitschr. für kath. Theologie‘ 1882, 567 sq.
[4]) Bened. XIV De synodo 7, 8.
[5]) S. Th. 3 q. 72 a. 11 ad 1.
[6]) S. Th. l. c. a. 10.

DE SS. EUCHARISTIA.

„Ad illud dominici corporis et sanguinis transeamus venerabile sacramentum, quod quidem tantum formidabile est ad loquendum, quantum non terrenum, sed coeleste est mysterium, non humanae aestimationi comparabile sed admirabile, non disputandum sed metuendum. De quo silere potius aestimaveram quam temeraria disputatione indigne aliquid definire, quia coelestis altitudo mysterii plane non valet officio linguae corruptibilis exponi." Fulbertus Carn. Ep. 5.

1. *Nomen,* quo hoc mysterium insignitur, praecipuum est *Eucharistia* (εὐχαριστία). [1]) Quod nomen significat tum *bonam gratiam,* tum *gratiarum actionem.* Est *bona gratia,* quia speciali modo ibi invenitur et ratio *boni* et ratio *gratiae:* ratio *boni,* siquidem bonum sui est communicativum, hoc vero sacramento Deus ipse se nobis intime communicat; ratio *gratiae,* cum et contineat illum, qui omnis gratiae origo est et finis, et modo perfectissimo gratiam efficiat, Christo sc. nos uniens, fidem augens, spem corroborans, caritatem dilatans, venialia remittens. Est *gratiarum actio,* quia hoc sacramentum et Christus instituit gratias agens et nobis gratiarum actionis sacrificium est excellentissimum ac mysterium gratissimis iugiter recolendum animis. [2]) — A Graecis etiam εὐλογία vocatur, i. e. benedictio seu consecratio, secundum illud: τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας ὃ εὐλογοῦμεν (1 Cor. 10, 16).

---

[1]) Iam in *Doctrina Apostolorum* (9, 5) nomen εὐχαριστία occurrit non solum pro ritu, verum etiam pro ipso eucharistico cibo. *Iustinus M.* (Apol. 1, 66) haec habet: ἡ τροφὴ αὕτη καλεῖται παρ'ἡμῖν εὐχαριστία.

[2]) „In genere *gratiae* est hoc sacramentum propter sex causas: quia non est nisi a gratia et non nisi gratia esse potest; quia non datur nisi a gratissimo; quia non nisi gratissimis administratur; quia gratiam operatur; quia est gratia super gratiam; quod omnis gratiae est contentivum". Albert. M. De Euch. dist. 1.

De *aliis* huius mysterii nominibus haec habet Catechismus Romanus: „Vocatur *communio;* quod verbum ex illo Apostoli loco sumptum esse liquet, ubi ait: «Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?» Nam, ut Damascenus explanavit, hoc sacramentum Christo nos copulat, atque eius carnis et deitatis participes efficit, nosque inter nos in eodem Christo conciliat ac coniungit et veluti unum corpus coagmentat. Ex quo factum est, ut sacramentum etiam *pacis* et *caritatis* diceretur; ut intelligeremus, quam indigni sint christiano nomine, qui inimicitias exercent, odiaque, dissidia et discordias, ut teterrimas fidelium pestes, omnino exterminandas esse: cum praesertim quotidiano religionis nostrae sacrificio nihil nos studiosius servare quam pacem et caritatem profiteamur. Sed *viaticum* etiam frequenter a sacris scriptoribus appellatur: tum quia spiritualis cibus est, quo in huius vitae peregrinatione sustentamur; tum quia viam nobis ad aeternam gloriam et felicitatem munit. Quare ex veteri Ecclesiae catholicae instituto servari videmus, ut nemo fidelium sine hoc sacramento e vita excedat. Ac vetustissimi quidem Patres, Apostoli auctoritatem secuti, *coenae* etiam nomine sacram Eucharistiam interdum vocarunt, quod in illo novissimae coenae salutari mysterio a Christo Domino sit instituta."

2. *Finis* Eucharistiae instituendae multiplex assignatur a Concilio Tridentino (Sess. 13 cap. 2): „Salvator noster sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum, et in illius sumptione colere nos sui memoriam praecepit suamque annuntiare mortem. Sumi autem voluit sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius, et tamquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur. Pignus praeterea id esse voluit futurae nostrae gloriae et perpetuae felicitatis, adeoque symbolum unius illius corporis, cuius ipse caput existit cuique nos tamquam membra arctissima fidei et caritatis connexione adstrictos esse voluit, ut id ipsum omnes diceremus nec essent in nobis schismata." Tandem idem Concilium (Sess. 22 cap. 1) Christum corpus et sanguinem in coena Deo Patri obtulisse ait, „ut dilectae sponsae suae Ecclesiae visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur, eiusque memoria in finem usque saeculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur."

Quae omnia S. Thomas brevissime sic complectitur[1]: „Causa institutionis est triplex: memoria Salvatoris, sacrificium altaris, cibus hominis . . . «Hoc facite in meam commemorationem»: ecce prima causa; «quod pro vobis tradetur»: ecce secunda causa; «accipite et comedite»: ecce tertia causa."

Duplici igitur sub ratione Eucharistiam spectare oportet: ut medium hominum sanctificandorum et ut medium colendi Dei, aliis verbis ut *sacramentum* et ut *sacrificium*. Cum vero, quod hoc sacramento continetur et sacrificio hoc offertur, sit ipsum corpus Christi, prius de corporis Christi in Eucharistia *praesentia* agendum erit: quae quidem quaestio maximi est momenti et totius tractationis fundamentum.

[1]) S. Th. Opusc. de ven. Sacr.

Caput I.

De reali Christi praesentia.

Duo hac in re consideranda erunt: primum realis praesentia *ipsa*, deinde *modus* eius peculiaris, scilicet tum modus quo Christus *constituitur* praesens, tum modus quo praesens *perseverat*.

Articulus I.

De ipsa reali praesentia.

De Christi in Eucharistia praesentia coeptum est primum disputari saeculo 9. Verum quaestio non de re ipsa, sed de praesentiae potius modo agebatur; de qua quaestione infra dicetur. Solus *Scotus Erigena* (c. 800) rem ipsam negavisse videtur, docens Eucharistiam „figuram, pignus, similitudinem corporis Christi" esse, ac statuens quandam Christi glorificati „ubiquitatem". — Saeculo 11 instauratus est hic Erigenae error a *Berengario Turonensi*, saepius ambigue, clare in libro „de sacra coena" (c. 1073).[1])

Aperte praesentiam realem impugnaverunt saeculo 16 qui *Sacramentarii* vocantur, inter quos *Zwinglius* in Eucharistia solum aliquod Christi signum, *Oecolampadius* figuram, *Calvinus* virtutem esse voluerunt.

Clare doctrinam suam definivit *Ecclesia* Synodis adversus Berengarium habitis Vercellensi et Romana (1050), Turonensi (1054), Romana (1059 et 1078), decreto pro Armenis edito in Concilio Florentino et in Concilio Constantiensi adversus Wicleffum, clarissime denique adversus Sacramentarios in Concilio Tridentino.

Concilium Tridentinum Sess. 13 can. 1 haec definit: „Si quis negaverit, in sanctissimae Eucharistiae sacramento contineri *vere*,

---

1) Cfr. Hefele, Conciliengesch. 4 § 543 sq.; Schnitzer, Berengar von Tours.

realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo ut in *signo*, aut *figura*, aut *virtute:* a. s."

Quae doctrina probabitur 1. ex verbis promissionis [th. 1], 2. ex verbis institutionis [th. 2], 3. ex divina Traditione [th. 3].

Thesis 1.

Praesentia realis probatur verbis promissionis.

Verba haec promissionis leguntur Ioan. 6, 48 sq. Christus per maris fluctus ambulando naturam suam humanam spatii legibus non necessario subiectam et panibus per miraculum multiplicatis in corporum substantias sibi potestatem esse ostenderat. Sic praeparatis Iudaeorum mentibus et excitato in eorum animis desiderio cibi „qui permanet in vitam aeternam" quique „de coelo descendit et dat vitam mundo", cibum promittit se eis daturum non alium a se, sed *seipsum*. Idque dupliciter: primum (v. 35—47) *generalius* se proponit cibum a Patre iam datum, quatenus nimirum obiectum est fidei, spei, caritatis; deinde (v. 48 sq.) ut cibum *sensu proprio* ab ipso Christo hominibus fide sibi addictis dandum in futuro, quem quidem cibum declarat verum esse suum *corpus* ac *sanguinem* vere proprieque *manducandum* ac *bibendum*. Verba Christi, quibus altera hac ratione seipsum exhibet cibum et potum et in quibus tota sita est vis argumenti, sunt haec: „Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum; et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita [1]) . . . Amen, amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis qui de coelo descendit: non sicut manducaverunt patres vestri manna et mortui sunt: qui manducat hunc panem, vivet in aeternum."

---

[1]) Quibus verbis Christus non quidem eo solo modo se suam carnem daturum esse affirmat, quatenus pro mundi vita sit moriturus, sed eandem in cibum datum iri carnem, quae in morte offerenda sit. Plures codices ac versiones (ΓΔ Go. Cop. Arm. Syr.) et Patres (Clem. Orig. Chrysost. Cyr. Alex.) legunt: σὰρξ ἥν ἐγὼ δώσω ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς.

Iam vero his verbis Christus verum suum corpus verumque sanguinem promisit se daturum manducandum et bibendum, si ea non improprie, sed sensu intelligenda sunt proprio et immediato. Atqui ita Christi verba intelligenda esse probabitur.

Non defuerunt theologi aliqui catholici, inter quos Nicolaus Cusanus et Caietanus, qui ne ex cap. 6 Ioannis praeceptum communionis sub utraque specie colligi posse videretur, Christum in eo non de Eucharistia, sed de manducatione per fidem spirituali loqui, asserere non vererentur. Quos ne condemnaret, noluit Concilium Tridentinum expresse definire, verba Ioan. 6 de Eucharistia intelligenda esse.[1] At nihilominus et ipsum Concilium Tridentinum sensum hunc satis perspicue innuit (Sess. 13 cap. 2; sess. 21 cap. 1), et argumentum theologicum est certissimum, ita ut Maldonatus illorum theologorum opinionem „temerariam“ vocare non dubitet.[2]

DEMONSTRATUR: Christi verba promittentis carnem suam manducandam sensu *proprio* intelligenda sunt. Quod probatur:

Textus quilibet sensu intelligendus est proprio, quousque translatus non probatur necessarius.[3] Atqui illorum Christi verborum sensus translatus non solum non probatur necessarius, sed prorsus reprobatur. Quod patet:

1. Ex *claritate* verborum.

Sensus proprius omnino est *clarissimus*. „Si Christus, ita Maldonatus (in h. l.), de sacramento Eucharistiae agere voluisset illudque omnino depingere, quibus clarioribus verbis uti potuisset? Cur carnem et sanguinem, cur esum et potum distinxit? Nisi quia de carne et sanguine suis ad modum cibi et potus specie panis et vini dandis loquebatur? . . . Cum sacramentum paulo post Eucharistiae instituerit, ubi tam aperte, tam proprie manducamus et bibimus, non intelligo, cuius sit iudicii atque prudentiae, relictis quae clara, quae propria, quae facilia sunt, obscura, metaphorica, difficilia consectari.“

2. Ex *repugnantia* sensus metaphorici.

---

[1]) Cfr. Pallavicini, Hist. Conc. Trid. 17, 11; Theiner, Acta authentica Conc. Trid. 1 p. 517 sq.; 2 p. 46 sq.

[2]) Verba Christi apud Ioan. 6 ad Eucharistiam referenda esse, ex *Protestantibus* docent Calixt, Scheibel, Olshausen, Köstlin, Delitzsch, Kahnis, Stier, Keil.

[3]) „Il ne nous faut pas plus demander pourquoi nous nous attachons au sens propre et littéral, qu' à un voyageur pourquoi il suit le grand chemin. C'est à ceux qui ont recours aux sens figurés, et qui prennent des sentiers détournés à rendre raison de ce qu'ils font.“ Bossuet, Expos. de la doctr. cath. 10.

a. Quae ad hunc sensum probandum ex aliis Scripturae locis afferuntur (quemadmodum illud Prov. 9, 5: „Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis“; Eccli. 24 29: „Qui edunt me, adhuc esurient, et qui bibunt me adhuc sitient“) nihil probant, tum quia ibi non est sermo de carne manducanda et sanguine bibendo, tum quia cum de re spirituali agatur ibi sensus metaphoricus est evidens.

b. Locutionis „bibere sanguinem“ alicuius apud Iudaeos a sanguine abhorrentes nullus est sensus metaphoricus. Alterius vero locutionis „manducare carnem“ quamquam est alibi aliquis sensus translatus, tamen qui solus in usu biblico occurrit, hic omnino est absonus. Non enim habet significationem nisi in partem malam, ut sc. significet iniuriis vel persecutionibus aliquem petere (quemadmodum intelligendum est illud Ps. 26, 2: „Dum appropiant super me nocentes ut edant carnes meas“, et Iob 19, 22: „Quare persequimini me sicut Deus et carnibus meis saturamini“; cf. etiam Ps. 13, 4; Ez. 39, 17, 18; Mich. 3, 3; Gal. 5, 15).[1] At vero Christi verbis, cum carnem suam manducari iubeat eamque manducantibus vitam aeternam promittat, hunc sensum subesse non posse manifestum est.

3. Ex modo *intelligendi audientium* et modo *agendi ipsius Christi*.

a. *Iudaei* panibus a Christo multiplicatis satiati et cibum proprie dictum iterum quaerebant („Quaeritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus et saturati estis“ v. 26) et Christi verba de vera eius carne vere manducanda re vera intellexerunt; id quod patet tum ex omnium interrogatione: „Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?“ (v. 53), tum ex ipsorum discipulorum illo responso: „Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?“

b. *Christus* ipse, quoties verba sua ex auditorum ignorantia praepostere intelligebantur, errorem eos dedocere solebat. Quemadmodum e. g. Matth. 16, 6 sq. „fermentum Pharisaeorum“ eorum „doctrinam“ interpretatur, Ioan. 3, 3 sq. regenerationem eam esse explicat, quae sit „ex aqua et Spiritu Sancto“, Ioan. 4, 32 sq. „cibum“ suum dicit esse „facere voluntatem Patris“; quemadmodum et Christus et

[1]) Quod legitur Iob 31, 31 iuxta Vulgatam editionem: „Quis det de carnibus eius ut saturemur?“ — in textu hebraico sic habet: „Quis dabit (sc. aliquem), qui de carne (sc. victu) eius non sit saturatus?“ Ergo ad rem nostram hic locus non facit. Quodsi sacra liturgia textum Vulgatae de amore flagrantissimo interpretatur et ad Eucharistiam accommodat, hic sensus non est nisi derivatus ex verbis Christi ad litteram intellectis.

evangelista Ioan. 11, 11 „somnum“ Lazari esse mortem significant intelligendum. Atqui idem Christus hoc loco, in hypothesi quod illi male, intellexerant, audientium errorem, quem utpote inculpabilem prorsus et gravissimum corrigere debuit, non solum non emendavit, sed confirmavit efficacissimo quo poterat modo: a. sollemniter idem affirmando („Amen, amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis“); b. sexies eandem repetendo locutionem; c. exigendo fidem in verba sua prout ab audientibus fuerant intellecta; d. ad fidem hanc facilius conciliandam provocando ad suam divinam originem et gloriam futuram („Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius?“); e. ipsis denique Apostolis ut a se discederent permittendo, si credere recusavissent.

Diximus Christum sensum, quo verba sua intelligebantur, non correxisse. Quamquam enim postea addidit illud: „Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam“ (v. 64), his tamen verbis minime existimari poterit translatum voluisse subiicere sensum iis quae prius protulerat. Nam nec ipsius Christi, qui eousque tam clare tamque copiose locutus erat, ea poterat esse mens, ut obscurius ac veluti obiter dictis prius a se dicta vellet explicare sensu metaphorico, nec auditores metaphorice intellexerunt, siquidem etiam post eiusmodi explicationem „abierunt retro“ (v. 67). Sensus vero huius explicationis is est, ut Christi verba doceantur intelligenda sensu, non quidem translato, sed sublimiore quam quo a Capharnaitis intelligebantur: sc. vel, utpote quae supra rationem sint, non intellectu naturali pensanda, sed fide credenda; vel intelligenda sensu non carnali, ac si Christi caro cruda in quo tunc erat statu comedenda esset; vel denique etiam quatenus caro ipsius non a seipsa, sed a spiritu i. e. inhabitante divinitate habere intelligitur vitae tribuendae virtutem. „Istud «caro non prodest quidquam» non de ipsius carne dictum est, sed de carnali intelligentia.“ [1]) „O Domine, magister bone, quomodo caro non prodest quidquam, cum tu dixeris: nisi quis manducaverit . . . An vita aeterna non prodest quidquam? . . . Non prodest quomodo illi intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur; sicut dictum est, «scientia inflat» sine caritate . . . Nam si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret.“ [2]) „Corpus Dei corpus est spirituale; corpus Christi corpus est divini spiritus, quia spiritus Christus.“ [3])

---

[1]) Chrysost. In Ioan. hom. 46.
[2]) Augustin. In Ioan. tract. 27.
[3]) Ambros. De myster. 9.

COROLLARIUM. *Necessitas*, quae ex Christi verbis colligitur *sumptionis* Eucharistiae, non est absoluta, sed imprimis, cum ex praecepto Christi inferatur, iis solis imposita, qui praecepti sunt capaces i. e. iis qui usum iam habent rationis, deinde quemadmodum et ex ratione cibi sequitur et ex claris Christi verbis („ut non moriatur"), non est necessitas ad vitam spiritualem obtinendam, sed conservandam.

Necessitas porro sumptionis *sub utraque specie* ex promissionis verbis quamquam colligitur aliqua, sc. quae est Ecclesiae, in qua oporteat ut sint qui sub utraque specie et conficiant et sumant Eucharistiam, non tamen deduci potest necessitas, quae omnibus et singulis incumbat, quemadmodum a Calixtinis saec. 15 inferebatur. Mandatum enim Christi fructui percipiendo commensurari dicendum est; at vero fructus hic totus, sc. Christus integer, sub utravis specie sumitur. Id quod ceteroquin ipse Christus luculenter docuit, manducationem carnis et potionem sanguinis explicans dicendo: „qui manducat me".

SCHOLION. *Patrum* aliqua testimonia pro sensu verborum Christi obvio intelligendo thesi 3 proponentur. Ad nonnulla vero a Patribus difficilius dicta rite interpretanda advertendum est, neminem eorum esse qui affirmet Christi verba de Eucharistia non esse accipienda, eos vero, qui alteram sermonis Christi partem interpretantes Eucharistiae mentionem explicitam non faciunt, eam supponendo, de fide, spe, caritate seu unione ad Christum spirituali disserere, utpote vel dispositionibus ad fructuosam Eucharistiae susceptionem necessariis vel etiam susceptionis huius fructu. Quando vero Augustinus Christi verba dicit „figurata", proprium habet ac reiicit sensum illum Capharnaitarum, secundum quem Christus „facinus vel flagitium videtur iubere".

Thesis 2.

Praesentia realis probatur verbis institutionis.

Anno fere post Eucharistiam promissam elapso Christus Dominus in ultima coena „finitis paschae veteris solemniis, quae in commemorationem antiquae de Aegypto liberationis agebantur, transiit ad novum quod in suae redemptionis memoriam Ecclesia frequentare desiderat, ut videlicet pro carne agni vel sanguine suae carnis sanguinisque sacramentum in panis ac vini figura substituens ipsum se esse monstraret, cui iuravit Dominus: tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech" [1]). Novi huius instituti et factum et verba sic narrant Scripturae:

Ἐσθιόντων δὲ αὐτῶν λαβὼν ὁ Ἰησοῦς ἄρτον καὶ εὐλογήσας ἔκλασεν καὶ δοὺς τοῖς μαθηταῖς εἶπεν· λάβετε φάγετε· τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου. καὶ λαβὼν ποτήριον καὶ εὐχαριστήσας ἔδωκεν αὐτοῖς λέγων· πίετε ἐξ

[1]) Beda, Expos. in Luc.

αὐτοῦ πάντες· τοῦτο γάρ ἐστιν τὸ αἷμά μου τῆς (καινῆς) διαθήκης τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυννόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Matth. 26, 26 sq.

Καὶ ἐσθιόντων αὐτῶν λαβὼν ὁ Ἰησοῦς ἄρτον εὐλογήσας ἔκλασεν καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς καὶ εἶπεν· λάβετε· τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου. καὶ λαβὼν ποτήριον εὐχαριστήσας ἔδωκεν αὐτοῖς, καὶ ἔπιον ἐξ αὐτοῦ πάντες. καὶ εἶπεν αὐτοῖς· τοῦτό ἐστιν τὸ αἷμά μου τῆς διαθήκης τὸ ἐκχυννόμενον ὑπὲρ πολλῶν. Marc. 14, 22 sq.

Καὶ λαβὼν ἄρτον εὐχαριστήσας ἔκλασεν καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς λέγων· τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον· τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. ὡσαύτως καὶ τὸ ποτήριον μετὰ τὸ δειπνῆσαι λέγων· τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυννόμενον. Luc. 22, 19 sq.

Ὁ κύριος ἐν τῇ νυκτὶ ᾗ παρεδίδοτο ἔλαβεν ἄρτον, καὶ εὐχαριστήσας ἔκλασεν καὶ εἶπεν· τοῦτό μου ἐστὶν τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν (κλώμενον)· τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. ὡσαύτως καὶ τὸ ποτήριον μετὰ τὸ δειπνῆσαι λέγων· τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐστὶν ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι· τοῦτο ποιεῖτε, ὁσάκις ἐὰν πίνητε, εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. ὁσάκις γὰρ ἐὰν ἐσθίητε τὸν ἄρτον τοῦτον καὶ τὸ ποτήριον πίνητε, τὸν θάνατον τοῦ κυρίου καταγγέλλετε, ἄχρι οὗ ἔλθῃ. 1 Cor. 11, 23 sq.

In quibus institutionis verbis tradendis patet maxime inter se consentire Matthaeum et Marcum, Paulum vero proxime accedere ad Lucam; discrimen porro, quod est, non esse discrimen sensus, qui idem est, sed verborum. Si vero quaeratur quae prae aliis censenda sint ipsa Christi fuisse verba, verosimile est, ea nobis relata esse a Matthaeo, qui coenae ipse interfuit. Verba igitur institutionis sunt: „Accipite et comedite, hoc est corpus meum“; „bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus.“

Realem Christi in Eucharistia praesentiam his verbis clare enuntiari sic definivit Concilium Tridentinum (Sess. 13 cap. 1): „Maiores nostri omnes, quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt, hoc tam admirabile sacramentum in ultima coena Redemptorem nostrum instituisse, cum post panis vinique benedictionem se suum ipsius corpus illis praebere ac suum sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est; quae verba a sanctis Evangelistis commemorata et a divo Paulo postea repetita, cum propriam illam et apertissimam significationem prae se ferant, secundum quam a Patribus intellecta sunt, indignissimum sane flagitium est, ea a quibusdam contentiosis et pravis hominibus ad fictitios et imaginarios tropos, quibus veritas carnis et sanguinis Christi negatur, contra universum Ecclesiae sensum detorqueri, quae tamquam columna et firmamentum veritatis haec ab impiis hominibus excogitata com-

menta velut satanica detestata est grato semper et memore animo praestantissimum hoc Christi beneficium agnoscens."

Iam vero „propriam illam et apertissimam significationem" institutionis verba prae se ferre merito dicentur, nisi sensus eorum translatus evidenter demonstratus fuerit necessarius. Atqui tantum abest, ut in verbis Christi Eucharistiam instituentis sensus translatus demonstretur, ut omnia potius sensum proprium exigant.

DEMONSTRATUR: Verba institutionis sensu *proprio* intelligenda sunt. Quod probatur:

1. Ex verborum *perspicuitate*.

Sunt enim, fatente Schlüsselburgio Lutherano, „Christi verba tam clara, ut nullus angelus e coelis, nullus homo in terris possit clarius loqui." [1]) Quae claritas tanta est, ut sola semper ratio existimaretur sufficientissima credendi realem Christi praesentiam. Unde Patres: „Ipse dixit, hoc est corpus meum; quis igitur audeat dubitare et dicere: non est corpus eius?"

Contra vero sensus verborum Christi translatus fatente Eichhornio „aenigmaticus" est, id quod vel inde maxime elucet, quod eorum, qui eum sensum adstruunt, explicationes et numero plurimae et inter se minime convenientes sunt et verbis ipsis aperte vim inferunt. „Expositiones adversariorum, ita Bellarminus [2]), plurimae sunt, ita ut fere numerari non possint. Lutherus in libro ‚Quod verba coenae adhuc firmiter stent' scribit decem ferme suo tempore fuisse Sacramentariorum opiniones ac sectas. Nuper etiam anno 1577 prodiit libellus, in quo ducentae numerantur haereticorum vel expositiones vel depravationes horum paucorum verborum: hoc est corpus meum." [3])

---

[1]) Apud Erberman in Vind. Bellarm. ad cap. 3 de Euch.

[2]) Bellarm. De Euch. 1, 8.

[3]) „Nur in einem Punkte ist dieser disharmonische Chor von Exegeten einig, darin nämlich, dass den Christen schlechterdings der Glaube an eine wirkliche Gegenwart Jesu, einen wahren Genuss seines Leibes entwunden werden müsse, ein Glaube, in welchem die frommen Christen aller Jahrhunderte ihren höchsten Trost und ihre Seligkeit gefunden haben." Döllinger, Die Lehre von der Eucharistie in den 3 ersten Jahrhunderten. Einleitung.

Lutherus ipse Sacramentarios in Christi verbis explicandis minime consentientes exagitat sugillatque, et invitus fatetur verba illa esse clarissima. „Es sind nur dreij wort: Das ist mein Leib. Da gibt einer dem wörtlin «Das» eine nasen und reissets von dem Brot, das mans so solle deuten: Nemet, esset, Das ist mein Leib, gerade als wenn ich spreche: Nim und isse: hie sitzt Hans mit der rotten joppen. Der ander nimet das wörtlin «Ist»; das soll im also viel heissen als das wort «Bedeut». Der Dritte sagt «Das ist mein Leib» heisset so viel als: das ist ein figur meins Leibs, setzen solche eigene trewme on allen grund der Schrifft." (Sermon D. Mart. Luth. vom Sacrament wider die Schwermergeister, 1526.)

2. Ex *vi genuina* verborum.

Quando videlicet sermonis alicuius termini neque ex se neque ex usu loquendi recepto neque ex aliunde iam nota institutione neque ex contextu sermonis relativum quid vel signum dicunt, absolute sunt intelligendi, et quid res sit, non vero quid significet, exprimunt. Atqui eiusmodi sunt verba institutionis.

Symbolicam in Christi verbis significationem venantur Protestantes, eamque multiplicem. *Richter* rem ita concipit: Quod repraesento hoc pane frangendo et manducando, est corpus meum quod pro vobis in morte frangam et cuius fructum vobis tradam.[1]) *Weiss* sic rem explicat: Vidit Iesus in vino calici infuso sangui-

---

„Das bekenne ich, wo D. Carlstad oder jemand anders für fünff jaren mich hette möcht berichten, das im Sacrament nichts denn Brot und Wein were, der hette mir einen grossen dienst gethan. Ich hab wol so harte anfechtunge da erlitten und mich gerungen und gewunden, das ich gerne eraus gewesen were, weil ich wol sahe, das ich damit dem Bapsthumb hette den den grösten stos kund geben. Ich habe auch zween gehabt, die geschickter davon zu mir geschrieben haben, denn D. Carlstad, und nicht also die wort gemartert nach eigenem dünkel. Aber ich bin gefangen, kan nicht eraus, der text ist zu gewaltig da, und wil sich mit worten nicht lassen aus dem Sinne reissen. Ja, wens noch heutes tages möcht geschehen, das jemand mit bestendigem grund beweiset, das schlecht Brod und Wein da were, man dürffte mich nicht so antasten mit grim . . . Aber wie D. Carlstadt davon schwermet, ficht mich so wenig an, das mein meinung nur deste sterker dadurch wird.“ (Ein brieff an die Christen in Strassburg, 1525.)

„So ist das die summa davon, das wir die helle dürre Schrift für uns haben, die also lautet: Nemet, esset, das ist mein leib, und uns nicht not ist noch sol aufgedrungen werden, über solchem text Schrift zu führen (wiewol wirs reichlich thun können), sondern sie sollen Schrifft auffbringen, die also lauten: das bedeut mein Leib, oder das ist meins Leibs zeichen . . . Sintemal wenn wir gleich alle Brillen, die in der welt sind, auffsetzten, so fünden wir in keinem Evangelisten geschrieben: «Nemet, esset, das ist meins leibs zeichen, oder das bedeut mein Leib». Aber das finden wir wol on alle Brillen, also das auch iunge Kinder lesen köndten: «Nemet hin, esset, das ist mein Leib». . . . Aber weil hie die macht daran ligt, ob das wort «ist» so viel in der Schrifft gelten müsse als das wort «bedeutet“, so ist der Zwingel schüldig, solches aus der Schrift zu beweisen: . . Desselbigen gleichen ist Ecolampad auch schüldig aus der Schrift zu beweisen, das dis wort «Leib» so viel gelten müsse als das wort «Leibszeichen». Thut er es nicht, so . . . bleibt unser Text «das ist mein Leib», stehen wie ein Fels. Sie sind auch schüldig zu beweisen, das es hie beim Abendmal auch so müsse sein, das «Leib» «Leibzeichen» sey. Und hülffe sie gar nichts, wenn gleich die gantze Schrifft an andern örtern eitel Leibzeichen auffbrecht, und brechts nicht auch an diesen ort im Abendmal auff. Denn wir haddern itzt nicht fürnemlich, ob etwa in der Schrifft «Leib» «Leibszeichen» heisse, sondern obs an diesem ort des Abendmals so heisse.“ (Das diese wort Christi «das ist mein Leib» noch feststehen, 1527.)

[1]) Richter, Studien u. Krit. 1863, p. 233.

nem suum mox effundendum, et quia hac effusione sanguinis novum oritur foedus, calicem ipsum symbolice declarat novum hoc foedus esse.[1] *Iuelicher* existimat, Christum coenam celebrando nihil aliud spectasse quam ut parabolam discipulis suis proponeret, qua nimirum significaret, quemadmodum panis ut nutriat consumi debeat, sic Christi corpus in salutem nostram esse destruendum, et quemadmodum vinum bibatur, sic eius sanguinem, ut sit sanguis testamenti, esse effundendum.[2] *Spitta* Christi coenam, quam prius voluit esse paschalem[3], postea vulgarem statuit esse, a Christo ideo celebratam, ut sub eius figura discipulorum mentibus novi foederis veluti nobilior coena in coelo consummanda repraesentaretur.[4] *E. Haupt* verborum Christi sensum hunc esse definit: Persona mea subiectum est virium vitae superioris, quae vita sic a vobis participari vestraque fieri debet, quemadmodum cibus corporeus manducatione fit vester; atque hoc maxime quantum ad mortem imminentem.[5] *Wellhausen* ex usu apud Arabes recepto, quo qui eadem mensa utuntur in carnis et sanguinis communionem inter se recipi censeantur, evincere nititur, coena dominica et Christi verbis nihil nisi solam animorum unionem significari.[6]

Atqui explicationes hae omnes tum ipso suo dissensu produntur falsae tum maxime, si ad Christi actiones et verba comparentur, apparent esse prorsus ineptae. Neque enim actiones a Christo selectae symbolicae sunt in seipsis neque verbis, quibus utitur, ad symboli rationem evehuntur. Actiones enim, panem sc. in manus sumere, eum frangere, aliis porrigere, calicem bibendum aliis dare, sunt ita usitatae ac quotidianae, ut eas videns nemo symbola suspicari possit. Verum quidem est, Eucharistiam et hic exhiberi et esse symbolum mortis Christi in cruce novique foederis et signum rei sacrae seu gratiae sc. sacramentum, sed utramque ei rationem competere et intelligi posse solum quatenus non panis et vinum, sed, prouti verbis Christi significatur, ipsum Christi corpus ac sanguis praesens esse credatur. Verba autem Christi non solum illam panis ac vini rationem symbolicam non ostendunt, sed excludunt prorsus.

Quodsi obiicitur, verbum ἐστίν saepe sensum habere signi, respondendum est, hunc sensum nisi secundarium non esse, qui supponendus

---

[1]) Weiss in Luc. c. 22.

[2]) Iülicher, Gesch. der Abendmahlsfeier in der ält. Kirche, 1892.

[3]) Spitta, Zeitschrift für prot. Theol. 1886; Zur Reform. des evang. Kultus 1891.

[4]) Spitta, Zur Gesch. u. Litterat. des Urchristent. I, 1893.

[5]) E. Haupt, Ueber die urspr. Form u. Bed. der Abendmahlsworte, 1893.

[6]) Wellhausen, Skizzen u. Vorarbeiten III, 1887, 119 sq.

minime est, nisi quando subiectum vel ex sua natura vel ex nota institutione vel ex sermonis indole signi rationem habet. Quod v. g. obtinet in his: „Septem boves pulchrae septem ubertatis anni sunt“ (Gen. 41, 26). „Hae quatuor bestiae quatuor sunt regna“ (Dan. 7, 17). „Ager est mundus“ (Matth. 13). „Haec (Sara et Agar) sunt duo testamenta“ (Gal. 4, 24); ubi ceteroquin expresse additur: „quae sunt per allegoriam dicta“. „Petra autem erat Christus“ (1 Cor. 10, 4); ubi Apostolus typos recenset et praeterea addit: „haec autem in figura facta sunt nostri“. [1])

Locutiones denique aliae Scripturarum, in quibus verbum ‚est‘ idem dicit ac ‚significat‘, quaeque nostro textui similes esse videntur, quales sunt illud: „Hoc (circumcisio) est pactum meum“ (Gen. 17, 10); Agnus paschalis „est Phase (id est transitus) Domini“ (Exod. 12, 11)[2]), hae, inquam, locutiones non sunt parallelae, ut verba eucharistica et ipsa inde ostendantur posse nedum debere sumi sensu signi. Nam non sunt realiter parallela loca citata, quia non agitur in iis de eadem re. Neque verbaliter sunt parallela, quia in duobus locis citatis subiectum est caeremonia, quae natura sua signi rationem habet, praedicatum vero ne substantia quidem est. Imo negari potest, in locis citatis verbum ‚est‘ idem esse ac ‚significat‘. In utroque sc. loco verbum ‚est‘ suam ontologicam retinet significationem: in altero circumcisio dicitur pactum Domini observandum, i. e. praeceptum; in altero totus ritus vocatur Phase. [3])

Absurdum vero est quod dicunt, Syros, cum non habeant verbum ‚significandi‘, loco eius usos fuisse verbo ‚esse‘. Nam et Christi verba non syriace, sed graece nobis relata sunt, et Syri, etsi non habeant vocabulum, rem tamen ut possint exprimere oportet, et plus quam quadraginta modi enumerantur a Cardinali Wiseman, quibus Syri ad conceptum signi exprimendum uti possunt, et ipsi auctores Syri, ut infra videbimus, praesentiam realem ex verborum ‚est‘ et ‚significat‘ discrimine demonstrant.

Ad pronomen τοῦτο quod spectat, illius vis propria est, ut confusum significet conceptum alicuius substantiae eamque declaret esse praesentem, ita ut sensus sit: hoc quod vobis porrigo, est corpus

[1]) Ceterum hoc in textu verosimile est, non esse sermonem de petra materiali, sed nomine ad antitypum translato de petra, quae ontologice sit Christus; vocatur enim petra „spiritalis consequens eos“.

[2]) Hoc argumentum de Phase Domini Zwinglius narrat in somniis sibi fuisse suppeditatum a monitore quodam, cuius color utrum ater fuerit an albus se expergefactum dicit nihil meminisse.

[3]) Nomen „pascha“ (פֶּסַח phase) ipsi festo diei tributum fuisse, patet ex Iosepho (Antiqu. 14, 2): τῆς τῶν ἀζύμων ἑορτῆς ἣν φάσκα λέγομεν.

meum. Neque autem id verum erit, nisi illo pronomine enuntiatione absoluta id quod monstratur ac porrigitur iam non panis supponitur, sed corpus Christi.[1])

3. Ex *forma grammatica* verborum.

In textu videlicet graeco legitur τοῦτό ἐστι τὸ σῶμα, τὸ αἷμά μου. Atqui haec emphasis, quam Patres reddunt vertendo „*ipsum*, vel *proprium* meum corpus", sensum improprium evidenter excludit.[2])

Discrimen quod in textu Matthaei et Marci ex una parte, in textu Lucae et Pauli ex parte altera esse videtur, non est nisi grammaticum. Quod scilicet porrigitur, cum verbis Matthaei et Marci („hic est sanguis novi testamenti") enuntiatur directe, effectu posito in obliquo, apud Lucam et Paulum („novum testamentum in meo sanguine") exhibetur in obliquo, effectu posito in recto. Neque vero ideo, quod Christi institutione testamentum ac foedus condi significatur, verba eius tropice interpretari licet. Imo si ratio habeatur veteris foederis, quemadmodum verbis „Hic sanguis foederis quod Deus pepigit vobiscum" (Exod. 24, 8) non figura sanguinis, sed verus sanguis intelligitur, sic in verbis Christi non sanguinis figura, sed sanguis verus intelligi debet.

4. Ex *modo relationis*.

Tres etenim Evangelistae et Paulus Apostolus verba Christi simpliciter narrant, quin ullo modo innuant, ea figurate esse accipienda. Atqui si figurate essent accipienda, id declarare debuissent. Nam et sensus figuratus foret, fatentibus adversariis, obscurissimus, et in rebus minoris momenti multoque minus obscuris id facere solent: „Nullam parabolam non aut ab ipso invenies edisseratam aut a commentatore evangelii praeluminatam aut ultro coniectandam. Quod si nec parabolae obumbrant evangelii lucem, tanto abest, ut sententiae et definitiones, quarum aperta natura est, aliter, quam sonant, sapiant."[3]) Cf. Matth. 16, 12; 17, 13; Ioan. 2, 21; 3, 5; 4, 34; 7, 39; 8, 34; 21, 23.

---

[1]) De sensu pronominis ‚hoc' theologi dissentire inter se videntur. S. Thomas enim eo designari censet *substantiam in communi*, Alexander Halensis et S. Bonaventura *panem convertendum*, Scotus *corpus Christi*. Attamen haec facile compones, si dixeris, pronomen ‚hoc' *significare*, ut semper, rem praesentem, *demonstrare* vero hic, praedicato nondum enuntiato, panem, praedicato enuntiato, corpus Christi, seu, ut logici loquuntur, *supponere* pro pane in statu transeunte, pro corpore Christi in statu permanente.

[2]) „Quelle simplicité, quelle netteté dans ces paroles! Il ne laisse rien à deviner, à gloser; et, s'il y faut quelque glose, c'est seulement en remarquant que, selon la force de l'original, il faudrait traduire: ceci est mon corps, mon propre corps, le même corps qui est donné pour vous etc." Bossuet, Méd. sur l'évang. 22 j.

[3]) Tertull. De resurr. carn. 33.

Neque ullo modo inde panis perseverare dici poterit, quod facta consecratione Paulus adhuc de „pane“ loquitur. Non enim definit esse panem, sed panem vocat, eumque propriae rationis; dicit enim „hunc panem“ et „panem quem frangimus“. Merito autem Eucharistia vocatur panis. „Corpus Christi vocatur panis, vel quia ex pane conficitur, seu quia intuentium oculis, cum caro sit, panis videtur, seu quod corporali et visibili pani similitudine quadam coniungitur — nam sicut iste materialis panis discrete sumptus humanam carnem nutrit et sustentat, spirituale et invisibile corpus Christi animam digne sumentis alit et vegetat.“ [1])

Quodsi porro apud Matthaeum (v. 29) et Marcum (v. 25) prolatis iam verbis eucharisticis Christus quod erat in calice, „genimen vitis“ i. e. vinum appellat, id vel eodem sensu explicandum erit, quo diximus a Paulo vocari panem, sc. tum ratione materiae tum ratione apparentiae tum ratione analogiae, vel potius, quemadmodum ex Luca res ex ordine temporis narrante colligitur, illa verba referri dicenda sunt non ad calicem eucharisticum, sed alium datum ante Eucharistiae institutionem. [2])

5. Ex *declaratione addita.*

„Corpus“ et „sanguis“ scilicet ita distinctius declarantur: τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον (Lucas), κλώμενον (Paulus) [3]); τὸ ποτήριον (metonymice res continens pro re contenta) τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον (Lucas) εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν (Matthaeus). Quibus verbis idem porrigitur manducandum et bibendum quod exhibetur pro nobis in sacrificium offerendum. Atqui quod pro nobis in sacrificium offerebatur, non est figura vel signum corporis, sed ipsum verum corpus et verus sanguis Christi, qui „semetipsum dedit pro nobis“ (Tit. 2, 14; Eph. 5, 2). „Hic, inquit, est sanguis meus, qui fundendus est, non alius iste et alius ille, sed unus idemque et iste et ille. Cras igitur fundetur ex hoc meo latere, quem modo bibitis et videtis in calice.“ [4])

6. Ex *explicatione et deductione Pauli 1 Cor. 11.*

Iam 10, 15 sq. epulis sacrificalibus ethnicorum eucharisticam opponens coenam Apostolus dixerat: „Calix benedictionis, cui bene-

---

[1]) Lanfrancus, De Euchar. sacram. versus finem.

[2]) Christum ipsum Eucharistiam sumpsisse Chrysostomum (in Matth. hom. 82 al. 83) secuti affirmant multi. Ratio eorum potissima est, „quia Christus ea quae ab aliis observanda instituit ipse primitus observavit“ (S. Th. 3 q. 81 a. 1).

[3]) In codicibus antiquioribus desideratur illud κλώμενον, ita ut non habeatur nisi lectio eliptica τὸ ὑπὲρ ὑμῶν. Verum sensus idem est, et participium saltem optima eius erit interpretatio. Cf. Cornely in h. l.

[4]) Bruno Ast. in Matth. 26.

dicimus, nonne *communicatio sanguinis Christi est?* Et panis, quem frangimus, nonne *participatio corporis Domini est?*" Ubi animadvertatur, Apostolum non usum esse vocabulo μετοχῆς (participationis), sed, quod monet iam Chrysostomus, κοινωνίας (unionis), ac praeterea eum non dicere hanc unionem corporis et sanguinis Christi significari vel produci manducatione, sed hanc eam esse (ἐστίν). Ergo Christus ipse in Eucharistia praesens est.

Idem porro Apostolus, ubi 11, 23 sq. quae a Domino edoctus [1]) de Eucharistia tradit, haec habet: „*Itaque* quicunque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini *indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* Probet autem seipsum homo [2]), et sic de pane illo edat et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, *iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini.*" Quibus verbis crimen gravissimum indigna corporis manducatio esse asseritur. Atqui frustuli panis, utcunque significatione sacri, manducatio indigna tantum ac tale crimen esse dici non poterit. „Quodsi, ut haeretici dictitant, nihil aliud in sacramento venerandum esset praeter memoriam et signum passionis Christi, quid opus erat tam gravibus verbis fideles hortari, ut seipsos probarent? Gravi enim illa iudicii voce declaravit Apostolus, nefarium aliquod scelus ab eo admitti, qui impure sumens corpus Domini, quod in Eucharistia occulte latet, ab alio ciborum genere non distinguit." [3])

6. Ex personarum et rerum *adiunctis.*

Considerentur *Apostoli.* Erant viri simplicissimae fidei miraculisque quotidianis assueti; verba praeterea promissionis (Ioan. 6) sensu obvio de carne Christi manducanda intellexerant atque adeo carnem sensu proprio dandam exspectare debebant. Atqui viri huiusmodi verbis Domini clarissimis tropum subesse suspicari non poterant.

Consideretur ipse *Christus* loquens. Quae dicit, sunt verba *patris* iamiam morituri, filios suos alloquentis suumque testamentum condentis (in quibus circumstantiis nemo utetur tropis obscuris, imaginem v. g. lapidis pretiosi legans pro ipso lapide pretioso); *mediatoris* aeternum foedus statuentis; summi *pontificis* sanctissimi et veracissimi, falsum dogma et omnem idololatriam maximo habentis

---

[1]) Verbis, quibus Paulus sermonem exorditur „ego accepi a Domino" interpretes plerique Paulum immediate a Christo significari accepisse dicunt quae Corinthios de Eucharistia docuit. Cf. Cornely in h. l.

[2]) „Ecclesiastica consuetudo declarat, eam *probationem* necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat." Conc. Trid. Sess. 13 cap. 7; cf. can. 11.

[3]) Catech. Rom.

odio; *salvatoris* nostrae salutis zelantissimi, potentissimi, et maximum nobis bonum, omnium suorum mirabilium memoriale, facere volentis; *Dei* denique sapientissimi, praevidentis verba sua ab omnibus per multa saltem saecula christiani nominis hominibus et deinceps quoque ab iis qui, ut par est, fide humili ipsi credant, quin verba ipsius ad ratiunculae suae captum accommodent, intellectum semper iri ad litteram. „Quis mortalium haec Christi verba clara et simplicia non credens simpliciter ante Christi tribunal audeat stare? Quid enim respondebit Christo quaerenti: «Cur mihi non credidisti? cur me mentitum esse dixisti? affirmavi ego veritas: hoc est corpus meum; tu negasti dicens: non est corpus, sed figura corporis». Catholicus autem securus accedet, etsi per impossibile foret deceptus; diceret enim confidenter: «Si deceptus sum, a temetipso, aeterna veritate, deceptus sum; ideo quippe deceptus fui, quia tibi, o Christe, veritas ipsa, simpliciter credidi dicenti: hoc est corpus meum, et quia Ecclesiae, sponsae tuae, verba tua litteraliter intelligenti credidi simpliciter; Christo credidi, Ecclesiae Christi credidi: Christus autem veritas est, Ecclesia vero Christi columna veritatis; securus credo, et in fide catholica permaneo».“ [1])

SCHOLION. Quaeritur, *quando* Eucharistia fuerit instituta. Ex concordi quattuor evangelistarum narratione certum est, feria quinta vespere coenam fuisse a Christo celebratam. Controversia est de die mensis. Ex synopticorum relatione dies 14 mensis Nisan dicendus est fuisse, quo die agnus paschalis immolari (cf. Ex. 12, 6; Num. 9, 3) et quo fermentatum e domibus removeri et ad vesperam panis azymus adhiberi (Ex. 12, 18) debebat, unde dies azymus primus dicebatur (Matth. 26, 17). Nec obstat, quod teste Ioanne (18, 28) ipso die, quo Christus mortem obiit, pharisaei narrantur pascha manducasse. [2])

Christus porro Eucharistiam instituit, cum coena paschali rite peracta adhuc mensae cum Apostolis accumberet „coenantibus“ (Matth. et Marc.); „postquam coenavit“ (Luc. et Paul.). [3]) Coena autem paschali peracta et agno immolato voluit corpus suum dare manducandum, ut cum *typo* coniungeretur *veritas*.

Institutionem Eucharistiae *convenienter* factam esse in ultima coena, S. Thomas [4]) ait probari: „1. ratione continentiae huius sacramenti; continetur enim ipse Christus in Eucharistia sicut in sacramento; et ideo, quando ipse Christus in propria specie a discipulis discessurus erat, in sacramentali specie *seipsum eis reliquit*, sicut in absentia imperatoris exhibetur veneranda eius imago . . .; 2. quia sine fide passionis Christi nunqam potuit esse salus . . .,

---

[1]) Piconius in 11 cap. 1 Cor.

[2]) Cf. de hac quaestione Knabenbauer in Matth. c. 26.

[3]) Quomodo liturgia nostra ex coena paschali ortum habuerit, cf. Bickell, ‚Zeitschr. f. kath. Theol.‘ 1880, 90 sq.

[4]) S. Th. 3 q. 73 a. 5.

oportuit omni tempore apud homines esse aliquid *repraesentativum dominicae passionis* . . .; 3. quia ea quae ultimo dicuntur, maxime ab amicis recedentibus, magis memoriae commendantur, praesertim quia tunc magis inflammatur affectus ad amicos, ea vero, ad quae magis afficimur, profundius animo imprimuntur . . ., ut *in maiori veneratione* haberetur, Dominus in ultimo discessu suo a discipulis hoc sacramentum instituit; et hoc est quod Augustinus dicit[1]): «Salvator quo vehementius commendaret mysterii huius altitudinem, ultimum hoc voluit altius infigere cordibus et memoriae discipulorum, a quibus per passionem digressurus erat.»"

Thesis 3.

Praesentia realis Traditione Ecclesiae demonstratur.

Ad Traditionis testimonium provocat, ut audivimus, ipsum Concilium Tridentinum. Testimonium est vere splendidissimum atque eiusmodi, ut, etiamsi s. Litterae silerent, solum abunde sufficeret, ut quod fides catholica tenet, Christum in Eucharistia esse vere praesentem, divinitus revelatum esse clare intelligatur.[2]) „Interroga uni-

---

[1]) Augustin. Epist. 54 al. 118, 6.

[2]) „Tutius verbis Salvatoris insistemus, qui cum panem et vinum accepisset, dixit: hoc est corpus meum. Et pia antiquitas in hoc sacramento semper magnum mysterium agnovit, super humanae mentis captum; quod sane nullum est, si pro re signum datur. Et vero omnes totius orbis ecclesias, exceptis quae reformatae, et infra reformatos novando descenderunt, dicuntur, hodie realem corporis Christi praesentiam agnoscere nuper viri egregii adeo liquide evicerunt, (— loquitur de opere „de la perpétuité de la foi", edito 3 voluminibus ab Arnauld et Nicole, aucto postea 2 voluminibus a Renaudot —) ut fatendum sit, vel hoc esse probatum, vel nihil unquam circa remotarum gentium sententias probari sperandum." Leibnitzius, Systema theolog. 47.

Lutherus ipse testatur, veritatem praesentiae realis, praeterquam quod clare in Scriptura enuntietur, ab Ecclesia, quae in rebus huiusmodi nesciat errare, semper et ubique fide firma creditam fuisse. Haec enim habet (Wider etliche Rottengeister. An den Herrn Albrechten, Marggrafen zu Brandenburg, in Preussen etc., 1532): „Es ist dieser Artikel nicht eine lere oder aufsatz ausser der Schrifft von Menschen ertichtet, sondern klerlich im Evangelio durch helle, reine ungezweivelte wort Christi gestiffet und gegründet, und von anfang der Christlichen Kirchen in aller Welt bis auff diese stund eintrechtiglich gegleubet und gehalten. Wie das ausweisen der lieben Veter Bücher und Schrifft, beide Griechischer und Lateinischer sprache. Dazu der teglich brauch und das werk mit der erfahrung, bis auff diese stund. Welches zeugnis der gantzen heiligen Christlichen Kirchen (wenn wir schon nichts mehr hetten) sol uns allein genugsam sein bey diesem Artikel zu bleiben, und darüber keinen Rottengeist zu hören, noch zu leiden. Denn es fehrlich ist und erschrecklich, etwas zu hören oder zu gleuben wider das eintrechtig zeugnis, Glauben und lere der gantzen heiligen Christlichen Kirchen, so von anfang her, nu uber funffzehn Jar in aller Welt eintrechtig-

versos, qui latinae linguae notitiam perceperunt, interroga Graecos, Armenios, seu cuiuslibet nationis quoscunque christianos: uno ore hanc fidem se testabuntur habere.“ [1]) Ex innumeris Traditionis quae afferri possent testimoniis seligamus praecipua eaque vetustiora. Ac primo quidem ipsa proponemus testimonia, deinde ad quaedam doctrinae capita ea revocabimus.

DEMONSTRATUR ex Traditione realis praesentia.

1. *Testimonia* praecipua sunt:

1. *Liturgiae sacrae,* quibus publica Ecclesiae fides enuntiatur. „Obsecrationum sacerdotalium sacramenta respiciamus, quae ab Apostolis tradita in toto mundo atque in omni ecclesia catholica uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuat supplicandi.“ [2])

---

lich gehalten hat. Wenns ein new Artikel were, und nicht von anfang der heiligen Christlichen Kirchen, oder were nicht bey allen Kirchen, noch bey der gantzen Christenheit, in aller Welt so eintrechtiglich gehalten, were es nicht so fehrlich noch schrecklich davon zu zweiveln oder zu disputiren, ob er recht sey. Nu er aber von anfang her, und so weit die gantze Christenheit ist, eintrechtiglich gehalten ist, Wer nu daran zweivelt, der thut ebenso viel, als gleubt er kein Christliche Kirche, und verdampt damit nicht allein die gantze heilige Christliche Kirche, als eine verdampte Ketzerin, sondern auch Christum selbs mit allen Aposteln und Propheten, die diesen Artikel, da wir sprechen (Ich gleube eine heilige Christliche Kirche) gegründet haben, und gewaltig bezeuget, nemlich Christus Matth. 28. Sihe, ich bin bey euch bis an der Welt ende. Unde S. Paulus I. Tim. 3. Die Kirche Gottes ist eine Seule und Grundfeste der wahrheit. Auch zeugt ir eigen Opinio wider sie selbs, das sie widereinander uber dem Text so uneinig sind, und schier sieben oder achterley, so viel Text, so viel Rotten sind, machen und können nichts gewisses leren, noch irgent ein armes Gewissen bestendiglich berichten. Derhalben vermane ich, und bitte E. F. G. wolt solche Leute meiden, und sie im Lande ja nicht leiden, nach dem rat S. Pauli, und des heiligen Geists droben angezeiget, Denn E. F. G. müssen bedencken, wo sie solche Rottengeister würden zulassen und leiden, so sie es doch wehren und verkomen können, würden sie ire Gewissen grewlich beschweren, und vieleicht nimermehr wider stillen können, Nicht allein der Seelen halben, die dadurch verfüret und verdampt würden, welche E. F. G. wol hette können erhalten, Sondern auch der gantzen heiligen Kirchen halben, wider welcher, so lang hergebrachten und allenthalben gehalten glauben, und eintrechtigt zeugnis etwas zu leren gestatten, so mans wol köndte wehren, ein untreglich last ist des gewissens. Ich wolt lieber nicht allein aller Rottengeister, sondern aller Keiser, König und Fürsten weisheit und recht, wider mich lassen zeugen, denn ein Jota oder ein Tüttel der ganzen heiligen Christlichen Kirchen wider mich hören oder sehen. Denn es ist ja nicht so zu schertzen mit Artikeln des Glaubet von anfang her, und so weit die Christenheit ist, eintrechtiglich gehalten, Wie man schertzen mag mit Bepstlichen oder Keiserlichen Rechten oder andern Menschlichen Tradition der Veter oder Concilien.“

[1]) Lanfrancus, C. Bereng. lib. ult.

[2]) Coelestin. I ad Gallos episc. 11.

Liturgia *S. Marci:* Dicit sacerdos: corpus et sanguis Emmanuelis Dei nostri hoc est vere, amen; respondet populus: credo, credo, credo et confiteor usque ad ultimum spiritum, quod sit ipsa caro vivifica unigeniti Filii tui Domini Dei et Salvatoris N. I. Chr.; accepit ipsam ex S. Domina, Deipara et semper Virgine Maria.

Similia habent Liturgiae *S. Basilii, S. Gregorii, S. Dionysii Areop., Aethiopum,* in quarum ultima ad consecrationis verba populus respondet: Amen, amen, amen; credimus et certi sumus; laudamus te, Domine Deus noster, hoc est vere, et ita credimus, corpus tuum.

Liturgia *S. Ioannis Chrysostomi:* Dicit sacerdos: emitte spiritum tuum in nos et in haec dona proposita; fac quidem panem hunc pretiosum corpus Christi tui; respondet diaconus: amen; prosequitur sacerdos: quod autem est in hoc calice fac pretiosum sanguinem Christi tui; respondet diaconus: amen; sacerdos: transmutans Spiritu tuo Sancto; diaconus: amen, amen, amen; sacerdos: frangitur et dividitur Agnus Dei, Filius Patris, qui frangitur, at non comminuitur, qui semper comeditur et non consumitur, sed participantes sanctificat.

Liturgia *Gothica:* Ut operante virtute panem mutatum in carnem, poculum versum in sanguinem, illum sumamus in calicem, qui de te fluxit in cruce ex latere.

Similia habent sacramentarium *Gelasianum* et *Ambrosianum.*[1]

2. *Patres Orientales.*

Doctrina duodecim Apostolorum c. 9, postquam de baptismi sacramento, ieiuniis, oratione dominica dictum est, de Eucharistia haec habet: „Ad gratiarum actionem quod attinet, sic gratias agite (περὶ δὲ τῆς εὐχαριστίας οὕτως εὐχαριστήσατε): Primum[2] de calice (περὶ τοῦ ποτηρίου): gratias agimus tibi (εὐχαριστοῦμεν), Pater noster, pro sancta vite David pueri tui, quam indicasti nobis per Iesum puerum tuum; gloria tibi in saecula. De pane fracto autem (περὶ δὲ τοῦ κλάσματος): gratias tibi agimus, Pater noster, pro vita et scientia quam indicasti nobis per Iesum puerum tuum; gloria tibi in saecula. Sicut hic panis fractus (τὸ κλάσμα) dispersus erat supra montes et collectus factus est unus, ita colligatur Ecclesia tua a finibus terrae in regnum tuum, quoniam tua est gloria et virtus per Iesum Christum in saecula. Nemo autem edat neque bibat a vestra gratiarum

[1] Cf. Renaudot, Liturg. Orient.; Assemanni, Codex liturg. Eccl. univ.

[2] Quae sequuntur, non consecrationis sunt verba, sed formulae orationum in sacra coena adhibendae; sic Paulus quoque 1 Cor. 10, 16) primum ponit τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας. Postea verbis „nemo edat neque bibat" ordo institutionis ponitur et consecrationis.

actione (ἀπὸ τῆς εὐχαριστίας ὑμῶν) nisi qui baptizati sunt in nomine Iesu; de hoc etenim dixit Dominus: Ne date sanctum canibus.“ [1])

Ignatius M. ad Smyrn. 7: „(Docetae) ab *Eucharistia* et oratione abstinent (εὐχαριστίας καὶ προσευχῆς ἀπέχονται), eo quod non confitentur, Eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri Iesu Christi, eam quae pro nobis passa est et quam Pater sua bonitate suscitavit. Qui ergo contradicunt huic dono altercantes moriuntur; utile autem esset eis diligere (ἀγαπᾶν = ἀγάπην ποιεῖν) ut et resurgerent.“ *Idem* ad Ephes. 20: „Unum panem frangentes, qui est pharmacum immortalitatis, antidotum non moriendi sed vivendi in Iesu Christo semper.“ [2]) *Idem* ad Philadeph. 4: „Studete una Eucharistia uti; una enim caro Domini nostri Iesu Christi et unus calix in unionem sanguinis eius, unum altare ut unus episcopus cum presbyterio et diaconis, conservis meis.“ [3])

Iustinus M., Apol. 1, 65, solis christianis uti licere ait illo cibo, qui „εὐχαριστία“ dicitur, et pergit: „Neque enim ut communem panem neque ut communem potum ista sumimus; sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Iesus Christus Salvator noster et carnem et sanguinem habuit pro nostra salute, ita etiam illam alimoniam, ex qua sanguis et carnes nostrae per conversionem (κατὰ μεταβολήν) [4]) aluntur, edocti sumus esse incarnati illius Iesu et carnem et sanguinem, postquam ea per precem verba eius continentem facta

---

[1]) Vestigia hic iam apparent cautionis illius rigorisque loquendi, qui disciplina arcani dicitur et de quo saepissime Patres. — Quid sit illa sancta vitis David, ipse Christus significat dicens: „ego sum vitis“, et clarius explicant Patres: (Χριστὸς) ὁ τὸν οἶνον, τὸ αἷμα τῆς ἀμπέλου τῆς Δαβὶδ, ἐκχέας ἡμῶν ἐπὶ τὰς τετρωμένας ψυχάς (Clemens Alex. ‚Quis div. salv.‘ 29).

[2]) „Haec de Eucharistia doctrina, orta e sermone Domini Ioan. 6, ab Irenaeo repetitur 4, 18; 5, 2 sq.“ Theod. Zahn in h. l.

[3]) Quando vero idem Ignatius „fidem“ „carnem Domini“ et „caritatem“ eius „sanguinem“ (Trall. 8) ipsumque „evangelium“ „sanguinem Iesu“ (Phil. 5) vocat, et ipse rationem imaginis a se exhiberi significat et hanc imaginem veritati Eucharistiae inniti. „Am wenigsten darf man mit Dorner, Höfling und Steitz eine rein symbolische Erklärung von Smyrn. 7, 1 darauf gründen, dass Philad. 5, 1 auch das Evangelium als «Fleisch Iesu» bezeichnet und Trall. 8, 1 der Glaube σὰρξ κυρίου, die Liebe als αἷμα Ἰησοῦ Χριστοῦ genannt sei . . . Der Glaube ist die σάρξ κυρίου, weil er Gott im Fleische ergreift, ohne die σὰρξ κυρίου nicht wäre; die Liebe ist αἷμα Ἰησοῦ Χριστοῦ, weil Christi Blut uns in die Nachfolge seiner Liebe zieht. Rein «symbolisch» ist die Anschauung des Ignatius vom Abendmahl gewiss nicht.“ Realencyklop. Loofs in 3 ed. 1896 sub voce „Abendmahl“ p. 40.

[4]) „Mit Weizsäcker, Engelhardt u. a. ist das κατὰ μεταβολήν dahin zu denken, dass durch die Eucharistie unser Fleich und Blut so genährt werden, dass sie dadurch eine μεταβολή erfahren, nämlich εἰς τὸ ἄφθαρτον εἶναι.“ Loofs l. c. p. 41.

est Eucharistia. Nam Apostoli in commentariis ab ipsis scriptis, quae vocantur evangelia, ita sibi mandasse Iesum tradiderunt, eum scilicet accepto pane cum gratias egisset dixisse: hoc facite in meam commemorationem, hoc est corpus meum . . . hic est sanguis meus."

Irenaeus, Adv. haer. 4, 17 sq.: „Quomodo dicunt (Gnostici), carnem in corruptionem devenire et non percipere vitam, quae corpore Domini et sanguine alitur? Ergo aut sententiam mutent, aut abstineant offerendo . . . Quemadmodum qui est a terra panis percipiens invocationem Dei iam non communis panis est, sed Eucharistia, duabus rebus constans terrena et coelesti [1]): sic et corpora nostra percipientia Eucharistiam iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia."

Macarius Magnes, Fragm. ex lib. 3 apol. evang.: „Dixit: hoc est corpus meum; non enim figura corporis est neque figura sanguinis, ut quidam stupida mente nugati sunt, sed secundum veritatem sanguis et corpus Christi." „Quod vero non sit hoc ξένον καὶ φρικῶδες, i. e. inauditum et horrendum, considerare licet puerum infantem, quo modo, nisi manducet carnem et sanguinem matris, non vivit: natura enim sanguinis est secundum veritatem lac." [2])

Ephrem Syrus (Assem. Bibl. Or. tom. 1): „Si Seraphim cum tremore ei adstant, quis audebit sedens manducare eum? . . De pane facere corpus non potest sacerdos, sed alius, qui est Spiritus Sanctus."

Cyrillus Hieros., Catech. mystag. 4: „Cum igitur ipse revelaverit et dixerit de pane illo: hoc meum est corpus, quis audebit adhuc ambigere? Et cum ipse asseveraverit et dixerit: hic meus est sanguis, quis unquam dubitaverit aiens non esse eius sanguinem?" „Ne igitur velut simplici pani et vino adtendas; corpus enim et sanguis Christi est secundum Domini asseverationem. Nam etiamsi illud tibi sensus exhibeat, attamen fides te certum reddat. Ne iudices rem ex gustu, sed ex fide indubitanter certus esto, te corpore et sanguine Christi dignatum fuisse." „Haec edoctus et plena imbutus fide, quod qui videtur panis (ὁ φαινόμενος ἄρτος) panis non est, etiamsi gustu ita sentiatur, sed corpus Christi; et quod videtur vinum etc.; confirma cor tuum etc." „Aquam olim in vinum, quod sanguini affine est, in Cana Galilaeae transmutavit, et non erit

---

[1]) Quae duae res sunt vel corpus ac sanguis Christi et accidentia panis ac vini, vel natura Christi divina et humana.

[2]) Haec ratio esse videtur, cur christiani a Clemente Alex. (Paedag. 1, 6) γαλακτοφάγοι vocentur, et cur tum apud Patres tum in picturis coemeteriorum Urbis subterraneorum cibus eucharisticus saepe exhibeatur sub symbolo lactis.

dignus, cui credamus, cum vinum in sanguinem transmutavit? Ad nuptias corporales vocatus stupendum hoc miraculum patravit, et non eum multo magis filiis thalami nuptialis corpus suum et sanguinem fruendum donasse confitebimur? Quare cum plena fidei persuasione sumamus ut corpus et sanguinem Christi. In figura enim panis datur tibi corpus et in figura vini datur tibi sanguis, ut sumpto corpore et sanguine Christi et concorporalis et consanguineus (σύσσωμος καὶ σύναιμος αὐτοῦ) efficiaris."

Gregorius Naz., Ep. ad Amphilochium: „O Dei cultor sanctissime, ne cuncteris et orare et legatione fungi (πρεσβεύειν, 2 Cor. 5, 20) pro nobis, quando verbo Verbum attraxeris, quando incruenta sectione secaveris corpus et sanguinem dominicum, vocem adhibens pro gladio."

Caesarius, Dialog. 3 interrog. 169: „Credimus nihilominus (quamvis sc. sensus aliud renuntiare videantur) divino sermoni, et quidem non simile aut aequale, sed proprie et vere ipsum esse divinum corpus, quod in divina mensa sacrificatur et populo prorsus sine sui divisione distribuitur et sine sui deficientia participatur."

Gregorius Nyss., Or. catech. c. 37: „Cum ostensum sit, nostrum corpus non posse fieri immortale nisi per communionem cum immortali (paulo ante dixerat: nisi per esum et potum visceribus nostris misceatur) fiat particeps incorruptionis, oportet considerare, quomodo fieri potuerit, ut unum illud corpus, quod tam multis fidelium millibus in universo orbe terrarum semper distribuitur, totum sit in unoquoque singillatim et ipsum in se totum maneat . . . Recte ergo fide credo, etiam nunc panem, dum verbo Dei sanctificatur, transmutari in corpus Dei Verbi (τὸν τῷ λόγῳ τοῦ θεοῦ ἁγιαζόμενον ἄρτον εἰς σῶμα τοῦ θεοῦ λόγου μεταποιεῖσθαι) . . . . Panis sanctificatur verbo Dei et oratione, non per esum et potum transiens in corpus Verbi, sed uno momento in corpus Verbi transmutatus, sicut ab ipso Verbo pronuntiatum est: hoc est corpus meum . . . . Se ipsum per carnem inserit omnibus fidelibus . . . virtute benedictionis in illud (corpus) transelementans eorum quae apparent naturam (τῇ τῆς εὐλογίας δυνάμει πρὸς ἐκεῖνο μεταστοιχειώσας τῶν φαινομένων τὴν φύσιν)."

Ioannes Chrys., Hom. 60 et 61 ad pop. Antioch. (cf. Brev. Rom. 2 Noct. Sabb., Dom., fer. 2 infra oct. Corp. Chr.) — De prod. Iudae hom. 1: „Hoc est corpus meum, ait. Hoc verbum transmutat (μεταῤῥυθμίζει) proposita. Et sicut vox illa, quae dicit crescite et multiplicamini et replete terram, semel quidem dicta est, sed per omne tempus fit in re ipsa, humanae naturae tribuens vim generandi: ita et haec vox semel dicta ab illo tempore usque ad

hodiernum diem et usque ad adventum eius per singulas mensas in ecclesiis operatur victimam consummatam." — Hom. de coem.: „Cum eum, qui crucifixus est, etiam nos visuri simus ut Agnum mactatum et immolatum, moneo ut cum tremore accedamus. An nescitis, quomodo angeli adstiterint sepulchro corpus non amplius habenti? . . . Nos qui non ad sepulchrum vacuum adstituri sumus, sed ad ipsam mensam, in qua Agnus positus est, cum tumultu accedemus? . . . Quando sacerdos stat ante mensam manus ad coelum extendens et invocans Spiritum Sanctum, ut adveniat et proposita dona contingat, magna quies, magnum silentium! Quando Spiritus tribuit gratiam, quando descendit, quando dona proposita contingit, quando vides ovem mactatam et consummatam: tunc tumultum excitas?" Hom. 9 de poenit. (inter opp. Chrys.) „Numquid si sordes in tuis manibus haberes, auderes contingere fimbriam regis terreni? Non certe auderes. Nec respicias, quasi panis esset, nec censeas vinum esse . . . Sicut cera igni admota nihil suae substantiae reliquum facit, nihil ex ea remanet; ita et hic crede mysteria consummari corporis substantia. Propterea etiam accedentes ne censeatis divinum corpus vos ab homine accipere, sed putate ab ipsis Seraphim ignita forcipe, quam Isaias vidit, vos accipere corpus divinum; et quasi labiis divino impolluto lateri admotis sic suscipiamus salutarem sanguinem." [1])

Cyrillus Alex., In Ioan. c. 17 (cf. Brev. Rom. 3 Noct. in oct. Corp. Chr.): „Animadvertere operae pretium est, Christum non dicere, se dumtaxat in nobis futurum secundum relationem aliquam affectualem, sed et per participationem physicam. Ut enim, si quis ceram alteri cerae coniungens igne simul liquefecerit, unum aliquid ex ambobus efficit: ita per corporis Christi et pretiosi sanguinis participationem ipse quidem in nobis, nos autem rursum in ipso simul unimur."

Maruthas Tangrit. (Assem. Bibl. Or. t. 1): „Quoties ad corpus et sanguinem accedimus, sic credimus nos corpus amplecti et fieri de carne eius et ossibus eius, sicut scriptum est. Nam etiam Christus illud non appellavit typum aut figuram, sed dixit: vere hoc est corpus meum, et hic est sanguis meus."

Isaac Antioch., Carm. 6 de fide: „Vidi mixtum craterem et pro vino repletum sanguine et pro pane positum ab ea (Fide) corpus in media mensa. Vidi sanguinem et expavi, vidi corpus et

[1]) *Ioannes Chrysostomus* merito nuncupatur *Doctor Eucharistiae.* Prae reliquis enim Patribus ipse universum dogma Eucharistiae clare et accurate exposuit atque defendit. Testimonia eius permulta diligenter collecta et apte digesta cf. apud *A. Naegele,* Die Eucharistielehre des h. Ioh. Chrysostomus.

stupor apprehendit me. Innuit mihi: comede et quiesce, bibe, puer, et ne scruteris . . . Ostendit mihi corpus mactatum, et ponens ex eo in labiis meis placide mihi dixit: vide, quid comedas. Porrexit mihi calamum Spiritus et postulavit a me ut manum apponerem; accepi, scripsi et confessus sum: hoc esse Dei corpus. Ita deinde calicem accepi et bibi, et perculit me ex calice odor eiusdem corporis, quod manducaveram. Et quod de corpore dixeram, ipsum esse Dei corpus, id etiam dixi de calice, hunc esse sanguinem Salvatoris nostri."

Iacobus Sarug., Serm. 66 de pass. Dom.: „Ab illo temporis puncto, quo accepit panem et dixit illud corpus suum, non erat panis, sed corpus eius, et hoc edebant admirantes. Edebant corpus eius, qui cum ipsis in mensa accubabat, et bibebant sanguinem eius, cuius simul audiebant vocem doctrinae . . . Quis rebellis sit, ut dicat nunc, non esse corpus? Ipse dixit: hoc est corpus meum; et quis verum non fateatur? Si quis hoc non credat verum, non est discipulus apostolatus; apostoli enim crediderunt et viventem ac secum accumbentem comederunt."

Anastasius Sin., Hodeg. 23: „Absit, ut dicamus, sacram communionem esse tantum figuram corporis Christi aut simplicem panem, sed vere ipsum corpus et sanguinem Christi Filii Dei suscipimus incarnati et nati ex s. Dei genitrice semper Virgine Maria . . . sic credimus et sic confitemur iuxta dictum ipsius Christi. Dixit: hoc est corpus meum; non dixit: hoc est figura corporis mei."

Ioannes Damasc., De Fide orthod. 4, 13: „Cur potens non sit panem efficiendi corpus suum atque vinum et aquam sanguinem suum? In principio dixit: producat terra herbam virentem . . . dixit perinde Deus: hoc est corpus meum, et hic est sanguis meus, et hoc facite in meam commemorationem; atque id omnipotente eius praecepto fit, donec veniat . . . Sicut omnia fecit Deus virtute Spiritus Sancti, ita et nunc virtus Spiritus operatur, quae supra naturam sunt et capi non possunt nisi sola fide. Quomodo fiet istud, aiebat sancta Virgo, quoniam virum non cognosco? . . . Et tu nunc interrogas, quomodo panis fit corpus Christi atque vinum et aqua sanguis Christi? Dico tibi et ego: Spiritus Sanctus supervenit et efficit haec, quae rationem et mentis conceptum superant . . . Est revera corpus unitum divinitati, natum ex sancta Virgine corpus, non quod in coelos assumptum corpus descendat ex coelo, sed quod panis ipse et vinum transmutantur in corpus et sanguinem Dei. Si autem quaeras modum quo fiat, sufficiat tibi audivisse, id fieri per Spiritum Sanctum, sicut etiam per Spiritum Sanctum ex s. Dei genitrice Dominus sibi ipsi et in se ipso carnem substan-

tiavit. Et ultra nihil cognoscimus, nisi quod verbum Dei verax est et efficax et omnipotens, modus autem est incomprehensibilis. Haud male etiam illud dici potest, quod sicut naturaliter panis per comestionem atque vinum et aqua per potionem in corpus et sanguinem manducantis transmutantur et non fiunt aliud corpus praeter corpus eius ante praeexistens, ita panis propositionis atque vinum et aqua per invocationem et adventum Spiritus Sancti supernaturaliter transmutantur in corpus Christi et sanguinem, et non sunt duo, sed unum idemque . . . Non panis et vinum est figura corporis et sanguinis Christi, absit! sed ipsum corpus Domini divinitate donatum; cum Dominus ipse dixerit, non: hoc est figura corporis mei, sed: hoc est corpus meum, et non: figura sanguinis mei, sed: sanguis meus . . . Si vero nonnulli panem et vinum vocarunt antitypa corporis et sanguinis Domini, ut deifer Basilius, non hoc post consecrationem, sed ante consecrationem dixerunt, ipsa oblata ita appellantes . . . Attamen (etiam post consecrationem) antitypa futurorum dicuntur, non quasi vero corpus et sanguis non essent, sed quia nunc quidem per ipsa participes sumus divinitatis Christi, tunc vero intellectualiter per solam visionem."

Concilium VII, Act. 6: „Nusquam Dominus vel Apostoli aut Patres sacrificium incruentum per sacerdotem oblatum dixerunt imaginem, sed ipsum corpus et ipsum sanguinem. Et ante consecrationis quidem consummationem quibusdam SS. Patrum pie visum est nominare antitypa . . . post consecrationem vero corpus proprie et sanguis Christi dicuntur et sunt et creduntur." „Imaginem dicere corpus et sanguinem Domini est stultitiae, et praeter inscitiam habet impietatem. Deinde dimisso mendacio tangunt (iconoclastae) parum quid veritatis, divinum corpus fieri dicentes; at si est imago corporis, non potest esse ipsum corpus divinum."

3. *Patres latini.*

Tertullianus, De resurr. carn. 8: „Caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima Deo saginetur; non possunt ergo separari in mercede quas opera coniungit." *Idem* de idololatr. 7 redarguens artifices christianos idola fabricantes, „zelus, inquit, fidei ingemit, christianum eas manus admovere corpori Domini, quae daemoniis corpora confecerunt . . . Semel Iudaei Christo manus intulerunt, isti quotidie corpus eius lacessunt; o manus praecidendae!"

Cyprianus, Ep. ad Corn.: „Communicatio a nobis danda est, ut quos excitamus et hortamur ad proelium non inermes et nudos relinquamus; sed protectione sanguinis et corporis Christi muniamus . . . munimento dominicae saturitatis armemus; nam quomodo

9*

docemus aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus?“

Hilarius Pict., De Trin. 8, 13 sq.: „Si vere Verbum caro factum est, et vere nos Verbum carnem cibo dominico sumimus, quomodo non naturaliter in nobis manere existimandus est, qui et naturam carnis nostrae iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit et naturam carnis suae ad naturam divinitatis sub sacramento nobis communicandae carnis admiscuit? . . . Ipse ait: caro mea vere est esca etc. De veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim et ipsius Domini professione et fide nostra vere caro est et vere sanguis est. Et haec accepta atque hausta id efficiunt, ut et nos in Christo et Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est? Contingat plane his verum non esse, qui Christum Iesum verum Deum esse denegant.“

Ambrosius, De myster. 9: „Sermo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quae sunt in id mutare, quod non erant? Non enim minus est novas rebus dare, quam mutare naturas . . . Ipse clamat Dominus Iesus: hoc est corpus meum. Ante benedictionem verborum coelestium alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis: amen, hoc est, verum est. Quod os loquitur, mens interna fateatur; quod sermo sonat, affectus sentiat.“

Auctor libr. de sacram. 4, 4: „Panis iste panis est ante verba sacramentorum; ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.“

Augustinus, Enarr. 1 in Ps. 33, in verba „et ferebatur in manibus suis“ ita loquitur: „Hoc quomodo posset fieri in homine, quis intelligat? Quis enim portatur in manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum literam, non invenimus, in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait: hoc est corpus meum; ferebat enim illud corpus in manibus suis.“ Ep. ad Ian.: „Numquid propterea calumniandum est universae Ecclesiae, quod a ieiunis semper accipiatur (Eucharistia)? Et hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti sacramenti in os Christiani prius dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi; nam ideo per universum orbem mos iste servatur.“

Gaudentius Brix., Serm. 2 in Exod.: „Ipse naturarum creator et Dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus, quia et potest et promisit, efficit proprium corpus, et qui de aqua vinum fecit, facit et de vino sanguinem suum“ . . . Deinde in illud: „non

relinquetis ex eo usque in mane, et os non confringetis ex eo; quae autem superfuerunt ex eo usque in mane igne cremabuntur“: „Hoc est, si qua mysteriorum superaverint in mane illius futurae resurrectionis manifestanda . . . haec igni cremanda sunt, i. e. divino tradenda spiritui, ut ea, quorum rationem modo non capimus, ardentis fidei spiritu consumantur. Ne terrenum putes, quod coeleste effectum est per eum, qui transit in illud et fecit illud suum corpus et sanguinem . . . Credamus quaeso, cui credidimus; nescit mendacium Veritas . . . ut pariter universa, quemadmodum tradita sunt, credamus, non infringentes os ipsius illud solidissimum: hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Si quid autem superfuerit etiam nunc in uniuscuiusque sensu, quod expositione ista non ceperit, ardore fidei concremetur.“

2. Patrum de reali praesentia testimonia ad haec *doctrinae* capita reducuntur.

1. Patres ut realem probent praesentiam, ad *Christi verba* tum promissionis tum maxime institutionis provocant. Sic Ignatius, Iustinus, Cyrillus Hierosol., Nyssenus, Maruthas, Iacobus Sarug., Anastasius Sin., Hilarius, Gaudentius, Damascenus.

2. Docent in Eucharistia contineri *ipsum* corpus, *vere* corpus, *proprie* corpus, corpus *vivum* illudque corpus, quod de Maria Virgine est *natum* et *cruci affixum* et quod ad dexteram Patris sedet. Sic Liturgiae, Cyrillus Hierosol., Nyssenus, Patres syri etc.

3. Monent, *non* esse solum corporis *figuram* vel *imaginem*. Sic Macarius Magnes, Chrysostomus, Maruthas etc.

4. Dicunt *non* esse panem *communem*, imo non esse *panem* quamvis sensibus videatur; nec proinde sensibus esse attendendum. Sic Iustinus, Cyrillus Hierosol., Ambrosius, Iacobus Sarug., Chrysostomus.

5. Profitentur Christum *non* sumi solum *fide* vel *spiritualiter*, sed *vere, physice, corporaliter*. Sic Macarius Magnes, Nyssenus, Hilarius, Cyrillus Hierosol., Ephrem, Chrysostomus.

6. Ostendunt panem *fieri* corpus Christi, et *transire, mutari* in corpus Christi. Sic Iustinus, Ephrem, Nyssenus, Ambrosius, Chrysostomus etc.

7. Mirantur *mysteria* quae in Eucharistia continentur. Sic Nyssenus, Augustinus etc.

8. Eucharistiam aliis *miraculis* illustrant, conversione sc. aquae in vinum, incarnatione, creatione. Sic Cyrillus Hierosol., Damascenus.

9. Reali Christi praesentia ut principio utuntur ad *alias fidei veritates demonstrandas*, v. g. carnis resurrectionis et incarnationis

contra Docetas, Gnosticos, Arianos, Nestorianos, Eutychianos, Pelagianos. Sic Ignatius, Irenaeus, Tertullianus, Cyrillus Alex., Hilarius, Augustinus.

10. Hortantur, ut summa in Eucharistia Christus habeatur et sumatur *reverentia.* Sic Isaac Antioch., Chrysostomus, Augustinus, Gaudentius.

SCHOLION. Habemus ergo in dogma realis praesentiae consensum omnium temporum et ecclesiarum plenissimum. Iam vero in huiusmodi consensu, praesertim cum de tanto dogmate agatur, si qui Patres a fide communi dissentire fortasse videantur, fieri nullo modo potest, ut dissensus sit verus; planeque est evidens, obscuriora, si quae sunt, eorundem effata luce splendidissima eorum, quae clarissima sunt, esse illustranda.

1. *Generatim* vero triplex afferri potest ratio, unde factum sit, ut, quemadmodum in aliis rebus, hac quoque in re gravissima Patres „minus caute" nonnunquam et „innocenter" (Hieronym.) sint locuti.

a. Ratio est *disciplina arcani,* quae, si unquam, in re certe tam sancta atque periculo, ne irrideatur et profanetur, tantopere exposita maximam loquendi prudentiam cautionemque postulabat.

Hinc illud frequentissimum „norunt initiati"; hinc Theodoretus: „Obscure de mysteriis divinis loquimur propter non initiatos"[1]); hinc Origenes: „Novit, qui mysteriis imbutus est, et carnem et sanguinem Verbi Dei: non ergo immoremur in his, quae scientibus nota sunt et ignorantibus patere non possunt."[2])

b. Adversariis nondum litigantibus *non erat, cur* Patres de hoc dogmate ad fideles verba facientes de distinctione et proprietate verborum anxie servanda adeo essent solliciti. „Quia ab initio s. Ecclesiae usque ad nostra paene tempora haec ab omnibus quaestio intacta relicta est, SS. Patres quod non impugnabatur, non defendebant, nisi quod aliquando in tractatibus suis hoc inde proferebant, quod res postulabat, quae in manibus habebatur. Quod quia quaestionibus non respondebat, quae nondum erant, parum modo sufficere videtur ad eas cum exurgunt compescendas. Contra quas quia tunc non vigilabat intentio eorum, plurima de sacramentis sanctis in scriptis suis reliquerunt, quae suo loco, suo sensu bene dicta, ab eis, qui contendere vel errare amant, eruta de locis suis aliud per se videntur sonare quam ibi sonent, unde sumpta sunt, et quam senserit qui scripsit. Sed et multa de eadem re ab eis relicta sunt, quae bene dicta, sed obscurius utpote ab eis qui ut homines venturas omnes errorum calumnias non poterant praevidere, male intellecta materiam errandi vel contendendi perditis videntur praestare."[3])

c. Familiare erat et consuetum Patribus populum instruentibus, supposito sensu immediato et litterali, sensum sectari *mysticum* et *allegoricum*: „Per totam sacram et a Deo inspiratam Scripturam praecipuus intelligentiae scopus eo spectat, ut tradat mystica atque divina, servata vicissim obvia quo-

---

1) Theodoret. In Num. 15.

2) Origen. In Lev. 9.

3) Guil. Abb. De corp. et sang. Dom. 11.

que intelligentia historiae."[1]) „Domini quippe facta non sunt tantummodo facta, sed signa. Si ergo signa sunt, praeter id quod mira sunt, aliquid profecto significant; quorum factorum significationem invenire aliquando est operosius quam ea legere vel audire."[2])

2. *Speciatim* porro ut quae ex Patrum obscurius et liberius dictis a Sacramentariis obiiciuntur probe intelligantur et, sicut oportet, cum fide universali componantur, bene animadvertantur haec:

a. Iuxta communem loquendi morem Patres nonnunquam de *re ipsa* enuntiare videntur, quae proprie de rei *phaenomenis* i. e. de speciebus sacramentalibus dicenda forent: ita v. g. corpus Christi in Eucharistia videri, tangi, frangi, dentibus teri dicunt, Eucharistiam signum, symbolum, typum corporis Christi, imo panem et vinum vocant[3]); imo saepe specierum realitati insistunt, tum contra Gnosticos, qui quidquid materiae est ut malum traducebant, tum contra Monophysitas, qui ad haeresim suam de humana Christi natura absorpta illustrandam panis absorptionem in Eucharistia adstruebant. Huc referendum videtur, quod dicit Tertullianus[4]): „Acceptum panem et distributum discipulis (quem antea dixerat a Ieremia propheta figuratum fuisse) corpus illum suum fecit, hoc est corpus meum, dicendo, id est figura corporis mei. Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus."[5])

b. Distinctione facta *triplicis existendi modi* seu *status*, scilicet connaturalis, sacramentalis, gloriosi, alium prae alio existendi modum Patres nonnunquam spiritualem et verum, alium typicum vel symbolicum appellant. Qua ratione explicabis quae habet Hieronymus: „Dupliciter sanguis Christi et caro intelligitur, vel spiritualis illa atque divina, de qua ipse dixit: caro mea vere est cibus . . ., vel caro et sanguis, quae crucifixa est et qui militis effusus est lancea"[6]); et Augustinus: „Spiritualiter intelligite quod locutus sum: non hoc corpus quod videtis (in hoc sc. statu) manducaturi estis et bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent; sacramentum aliquod vobis commendavi."[7])

Saeculo 9 celebris inter doctores catholicos plene de re ipsa consentientes ex consideratione triplicis illius status exorta est controversia. Paschasius Radbertus docuit, idem in Eucharistia esse corpus Christi, quod natum est

---

[1]) Euseb. Dem. ev. 9.

[2]) Augustin. In Ioan. tr. 49, 2.

[3]) „Wir verstehen heute unter Symbol eine Sache, die das nicht ist, was sie bedeutet; damals (tempore Patrum) verstand man unter Symbol eine Sache, die das in irgend einem Sinne wirklich ist, was sie bedeutet." A. Harnack, Dogmengesch. 1, 397.

[4]) Tertull. C. Marc. 4, 40.

[5]) Alii hunc locum ita interpretantur, ut Tertullianus corpus Christi sacramentale, i. e. consideratum ut est cum speciebus, figuram dicat corporis in statu connaturali. Alii rem per ὑπέρβατον explicant, ita ut, quemadmodum idem Tertullianus alibi (C. Prax. 27) dicit: „Christus mortuus est, i. e. unctus", sic hoc loco intelligendus sit dicere: hoc, i. e. figura corporis mei (sc. quod apud Ieremiam figura corporis mei erat), est corpus meum.

[6]) Hieronym. In Eph. 1, 7.

[7]) Augustin. In Ps. 98.

ex Maria Virgine; Ratramnus, Rhabanus, alii non simpliciter idem dicendum esse defenderunt. Est sane idem secundum substantiam, non tamen secundum species visibiles seu modum existendi; est, ut verbis utamur anonymi Gemblacensis, idem „naturaliter", non vero „specialiter".

c. Reali praesentia supposita, corpus Christi in Eucharistia contentum Patres saepe in relatione considerant cum eius *corpore mystico* quae est Ecclesia, cuius unitas illo significatur et perficitur. Ita Augustinus: „Potestis dicere mihi: praecepisti, ut credamus, expone, ut intelligamus . . . Corpus ergo Christi si vis intelligere, audi Apostolum dicentem fidelibus: vos autem estis corpus Christi et membra . . . ergo mysterium vestrum in mensa dominica positum est, mysterium vestrum accipitis." [1])

d. *Manducandi modum triplicem* distinguentes, sc. Capharnaiticum, sacramentalem, spiritualem, modum hunc manducandi spiritualem, quem commendant, eum esse intelligunt, qui sacramentalis simul sit et fructuosus vel quo etiam citra sacramentum unio cum Christo, quae est sacramenti finis, obtineatur. Considerant nimirum Patres, ut verbis utamur Fulgentii, non solum *veritatis mysteria*, sed et *mysterii veritatem.* Hinc intelligitur, quomodo Augustinus „carnem, inquit, et sanguinem Christi non edamus tantum in sacramento, quod et multi mali, sed usque ad spiritus participationem manducemus et bibamus" [2]); et „tunc vita erit unicuique corpus et sanguis Christi, si quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur, spiritualiter bibatur" [3]); et quo sensu peccatores neget manducare Christi corpus; hinc intelligitur, quid sibi velit Fulgentius, quando „tunc, ait, unumquemque fidelium corporis et sanguinis dominici participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab illo panis calicisve consortio, etiamsi, antequam panem illum comedat et calicem bibat, de hoc saeculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat." [4])

Merito igitur Erasmus: „Quorsum proficit haereticis tot veterum orthodoxorum citatio? Utcunque torquent, involvunt ac fucant illorum dicta, nullum locum adducunt, qui palam loquatur ibi non esse corpus et sanguinem Domini. Hortantur ad spiritualem communicationem corporis et sanguinis Domini: quid mirum, si hoc commendant, quod in utriusque sumptione potius est, et quod nisi accedat, perniciem adfert sumptio carnalis?" [5])

---

[1]) Augustin. Serm. 272.
[2]) Augustin. In Ioan. tr. 27.
[3]) Augustin. Serm. 131.
[4]) Fulgent. Serm. 272.
[5]) Erasm. Conr. Pelicano 1526.

Articulus II.

De modo praesentiae realis.

Sectio I.

De modo quo Christus praesens constituitur.

„Qui Ecclesiae rationibus expugnati iam quidem negare nequeunt, substantiam corporis Christi cibo inesse dominico, panem tamen et vinum per verba Salvatoris in carnem eius et sanguinem verti nequaquam credentes, sed *Christum pani et vino commiscentes* tamquam subtiliori ratione haeresim alteram condiderunt . . . . . qui nequiores nequissimis fratres suos umbraticos (asserentes umbram dumtaxat et figuram corporis Christi in sacramento) prae se iustificaverunt . . . Reclamante natura, reclamantibus Scripturis sacris, nullo sanctorum Patrum testimonio, nullo divino oraculo, nullo miraculo fulti munitam undique catholicam pietatem bestialiter obstinati ob hoc tantum oppugnare videntur, ne ab ea victi esse videantur.“ [1])

Error hic *impanationis* dicitur. Haeretici vero illi erant *Berengarius* eiusque asseclae. In quo eiusmodi coniunctionem substantiae panis et corporis Christi ipse Berengarius posuerit, non liquet. Inter eos, qui eum secuti sunt, alii utriusque substantiae habitudinem esse solum accidentalem atque unionem quasi localem, alii unionem hypostaticam, alii partem tantum sive integrantem sive essentialem (formam vel materiam) converti asseruerunt, alii aliter rem explicaverunt.

Lutherus, qui „transsubstantiationem utpote subtilitatem sophisticam nihil se curare et quod panis adsit et maneat optime cum Scriptura congruere“ dicit, et Formula Concordiae Lutheri doctrinam distinctius exprimens dicendo „*sub* pane, *cum* pane, *in* pane adesse et exhiberi corpus Christi“, *modum* eiusmodi praesentiae declarant ex absurda illa corporis Christi ubiquitate, quam per unionem cum Verbo ipsum assecutum esse putant, et quam verbis consecrationis pani eucharistico ita dicunt alligatam ut Christus, cum sit ipse ubique, in Eucharistia sola sit „definitive“, „efficaciter“, „utiliter“. [2])

Pistorienses, cum omnem panis et vini substantiam remanentibus solis speciebus cessare concedebant, circa *modum,* quo illud fiat,

---

[1]) Guitmundus, De corp. et sang. Dom. 3.
[2]) Cf. tract. de Verbo incarn. th. 6.

utpote „quaestionem scholasticam", nihil sollicitos nos esse oportere nihilque a parochis populum fidelem docendum esse monuerunt.

Contra hos omnes *Ecclesia* non solum dogma realis praesentiae, sed una cum dogmate modum etiam, quo Christus praesens constituatur, in revelatione contineri, pluries sollemniter est professa.

Professio fidei a Berengario emissa in Concilio Romano a. 1079 sic habet: „Ego Berengarius corde credo et ore confiteor, panem et vinum, quae ponuntur in altari, per mysterium sacrae orationis et verba nostri Redemptoris substantialiter converti in veram et propriam ac vivificatricem carnem et sanguinem Domini nostri Iesu Christi et post consecrationem esse verum Christi corpus."

Concilium Lateranense IV definivit: „Iesu Christi corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem potestate divina."

Concilium Lugdunense II, Constantiense, Florentinum similia habent.

Concilium Tridentinum (Sess. 13 can. 2): „Si quis dixerit, in SS. Eucharistiae sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine D. N. I. Chr.; negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem catholica Ecclesia transsubstantiationem aptissime appellat: a. s."

Pius VI in Bulla ‚Auctorem fidei': „Doctrina Synodi (Pistoriensis) . . . quatenus per inconsultam istiusmodi suspiciosamque omissionem notitia subtrahitur tum articuli ad fidem pertinentis tum etiam vocis ab Ecclesia consecratae ad illius tuendam professionem adversus haereses, tenditque adeo ad eius oblivionem inducendam, quasi ageretur de quaestione mere scholastica: perniciosa, derogans expositioni veritatis catholicae circa dogma transsubstantiationis, favens haereticis."

Quae doctrina probabitur ostendendo *substantiam* panis vinique converti [th. 4]; deinde declarando, quidnam de *speciebus* dicendum sit [th. 5].

Thesis 4.

Substantia panis et vini in Eucharistia non permanet, sed in corpus et sanguinem Christi convertitur.

Thesis duas habet partes, in quarum priore substantiae panis et vini *desitio*, altera eiusdem substantiae in corpus Christi *conversio*

affirmatur. Quoniam vero iisdem fere argumentis utrumque demonstratur, thesim probantes utrumque simul complectemur, ita tamen ut ob scopum polemicum partem priorem ante oculos potissimum habeamus.

Controversia est inter theologos, utrum potentia absoluta *potuisset* Christus ita Eucharistiam instituere, ut praesens constitueretur manente substantia panis. Veteres scholastici negant, id fieri potuisse. Inter recentiores multorum sententia hoc non repugnare concedit. Verum nobis est imprimis quaestio *facti*, quomodo scilicet Christus Eucharistiam *instituerit;* qua in quaestione plenus semper erat doctorum catholicorum consensus. Quod priusquam demonstretur, transsubstantiationis *conceptus* explicandus erit.

Conversio, prout ab omnibus intelligitur, ad genus *mutationis* pertinet, quae transitum ab uno statu ad alium significat. Definiri solet conversio *transitus unius rei in aliam secundum aliquam rationem entis*. Ad conversionis conceptum haec igitur requiruntur, et sufficiunt:

Opus est, a. ut duo sint termini *positivi*, quorum saltem secundum aliquid sui alter desinit esse, altero in eius locum succedente. Prior vocatur terminus *a quo*, alter terminus *ad quem;* uterque, si spectetur tota illa res quae convertitur vel quae ex conversione exurgit, vocatur terminus *totalis*, si tantum ratio entis, quae desinit vel quae succedit, terminus *formalis* dicitur. Sic e. g. in conversione cibi in sanguinem terminus formalis a quo est forma substantialis cibi, terminus formalis ad quem est forma substantialis sanguinis. Oportet, b. ut *nexus* sit et dependentia quaedam termini utriusque, ita ut alter succedat non solum post alterum desinentem, sed vi huius desitionis, idque non quidem necessario ex natura ipsa utriusque termini sese excludentis, sed ratione actionis quae conversio dicitur. Requiri c. videtur, ut actio qua fiat conversio, quamvis terminus formalis ad quem in alio statu fortasse iam praeextiterit, non sit tamen eiusdem mera adductio, sed *productioni aequivaleat*. Exigunt nonnulli, d. ut utriusque termini maneat tertium aliquod commune et quidem, si de conversione maxime propria agatur, ut tertium hoc sit aliquid reale.

Ratio porro *entis*, secundum quam fit conversio, poterit esse vel accidens vel substantia. Si est accidens, conversio erit *accidentalis*, et transfiguratio dici solet, qualis est v. g. conversio ligni in statuam; si substantia, conversio *substantialis* erit, qualis esse censetur v. g. conversio ligni in cinerem, cibi in sanguinem nostrum. Conversio substantialis, si totalis est, sc. totius alicuius

substantiae in aliam substantiam, nomine aptissimo *transsubstantiatio* appellatur. [1])

Atque eiusmodi est conversio, quae in hoc nostro mysterio locum habet. Est vero haec conversio propriae omnino rationis. Unde a Concilio Tridentino *mirabilis* et *singularis* vocatur. Eo sc. quod tota substantia convertitur, a quacunque differt conversione naturali. Quocirca transsubstantiationis analogicum solum poterimus habere conceptum; imo monente S. Thoma „intellectus difficilius ei assentitur quam creationi quae est ex omnino non existente“ [2]). Vocabulum vero ipsum transsubstantiationis primum adhibitum est a theologis contra Berengarianos, deinde Conciliorum decretis velut tessera fidei catholicae sancitum et consecratum est.

Qua *certitudine*, quae in thesi affirmantur, sint tenenda, patet hisce Suaresii verbis: „Si quis confiteatur praesentiam corporis Christi et absentiam panis, neget tamen veram conversionem unius in aliud, in haeresim labitur, quia Ecclesia catholica non solum duo priora, sed etiam hoc tertium definit ac docet . . . . . Si quis tamen confitendo rem totam vocem transsubstantiationis abiiceret ut ineptam et barbaram, in re ipsa non existimo esse haereticum, quia usus vocis per se non pertinet ad obiectum fidei; esset tamen valde temerarius, scandalosus, ac pias aures offenderet, ac denique in externo foro habendus esset vehementer de haeresi suspectus.“ [3])

DEMONSTRATUR: Substantia panis et vini *convertitur* in corpus et sanguinem Christi.

1. Ex *ratione theologica*, i. e. ex *ipsa praesentia reali*, Catechismus Romanus S. Thomam [4]) secutus sic argumentatur:

„Si est verum Christi corpus sub panis et vini specie post consecrationem, omnino necesse est, cum ibi antea non esset, hoc vel loci mutatione vel creatione vel alterius rei in ipsum conversione factum esse. At vero fieri non posse constat, ut corpus Christi in sacramento sit, quod ex uno in alium locum venerit; ita enim fieret, ut a coeli sedibus abesset, quoniam nihil movetur nisi locum deserat, a quo movetur. Creari autem corpus Christi minus credibile est, ac ne in cogitationem hoc cadere potest. Relinquitur ergo ut in sacramento sit corpus Domini, quod panis in ipsum convertatur. Quare nulla panis substantia remaneat necesse est.“

---

[1]) Vox transsubstantiationis primum reperitur apud *Hildebertum Turonensem* († 1134) Sermo 93.

[2]) S. Th. 4 dist. 11 q. 1 a. 3 q. 3.

[3]) Suarez, Disp. 50 sect. 1.

[4]) S. Th. 3 q. 75 a. 2 et 3.

2. Ex *Scriptura,* sc. ex verbis institutionis: „hoc est corpus meum“.

Christus enim accipiendo panem et dicendo „hoc est corpus meum“ non solum affirmat, id quod manibus tenebat esse corpus suum, sed simul quoque affirmat non esse amplius panem. Si enim maneret substantia panis, cum panis nec ex sua natura nec ex praecognita institutione spectari posset ut quid ad aliud continendum destinatum, ex modo communi loquendi fallax ac falsum fuisset dicere illud quod manibus tenebat esse corpus Christi.

Atqui, si quod erat panis non iam est panis, sed corpus Christi, panis conversus est in corpus Christi. Nam cum verbum Christi necessario sit verum, et verum non sit idem esse panem et non esse panem, sed corpus Christi, oportet verbum Christi efficiat, ut quod erat panis non iam sit panis, sed corpus Christi, i. e. ut panem convertat in corpus Christi. [1]) — Neque dicatur, per metonymiam saepe continens exhiberi pro contento, e. g. hoc est aurum vel vinum, quando proprie dicendum foret, haec est crumena continens aurum, hoc est dolium continens vinum. Hic enim modus dicendi locum habere solum poterit, quando res contenta et res continens ut tales prius cognoscuntur. Panis autem nullo modo ut corpus Christi continens cognoscitur. — Neque provocari potest ad illud „Verbum caro factum est“, ubi sane Verbi conversio non exprimitur. Paritas enim inter utramque propositionem nulla est. Nam in altera propositione hypostasis secundum formalem rationem hypostaseos, quae iam habet naturam eamque propter infinitam perfectionem mutationis incapacem, assumpsisse alteram naturam exhibetur; in altera propositione substantia materialis dicitur fieri alia natura substantialis.

Hinc merito Concilium Tridentinum (Sess. 13 cap. 4) verbis institutionis dogma transsubstantiationis contineri et enuntiari agnovit et explicite declaravit: „Quoniam Christus Redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit: ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta haec Synodus declarat, per consecrationem panis et vini conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis Christi

---

[1]) Hac argumentandi ratione Lutherus (De capt. Babyl.) et Chemnitius (2 p. Exam. sess. 13) nobis exprobrant Aristotelem iudicem constitui rerum tam sublimium. At respondet Bellarminus (3, 19): „Si Aristotelem iudicem vocaremus in quaestione dialectica seu philosophica, qualis est haec de natura enuntiationis affirmativae, non deberet Lutherus id tantopere aegre ferre. Sed non hic opus habemus Aristotele, cum sensus communis sufficiat.“

Domini nostri et totius substantiae vini in substantiam sanguinis eius." [1])

3. Ex *Traditione* transsubstantiatio probatur, idque tum ex antiquitate consensus absoluta, tum ex antiquitate relativa seu argumento praescriptionis. [2])

1. Ex *antiquitate absoluta.*

Liturgias et Patres una cum dogmate praesentiae realis dogma quoque conversionis substantiae panis in corpus Christi docere manifestum est consideranti rationem, qua loqui solent tum de termino a quo, tum de termino ad quem, tum de actu ipso, quo fit conversio.

a. *Terminus a quo.* Docent panem, qui ante consecrationem erat verus panis, consecratione facta non esse amplius verum panem, sed tantummodo videri esse panem, quantumvis sensus aliud renuntient; esse vero corpus Christi. Cf. supra Cyrillum, Sarugensem, Isaacum Antiochenum, Ambrosium, Auctorem sacr.

b. *Terminus ad quem.* Docent panem, ideoque substantiam aliquam, fieri corpus Christi, converti in corpus Christi reale et sub-

---

[1]) Transsubstantiationem ex verbis institutionis obvie intellectis recte deduci ex ipsis *Protestantibus* agnoverunt haud pauci: „Wie lutherische Theologen selbst zugeben, hält sich der lutherische Lehrbegriff durchaus nicht an den streng buchstäblichen Sinn der Einsetzungsworte, welcher eine absolute Gleichsetzung zwischen dem domonstrativen Subjekt und den Praedicaten annimmt. Luther und die ihm anhangenden Theologen sahen wohl ein, dass die Festhaltung des rein buchstäblichen Sinnes schnurstracks zu der katholischen Lehre führe. In der That steckt in der buchstäblichen Erklärung die ganze katholische Theorie und Praxis in Beziehung auf das Sacrament des Altars, nicht bloss die Wandlung der Elemente, die Anbetung der Hostie, die Kelchentziehung, sondern auch das versöhnende Opfer der Messe, welches gemäss dem strengen Wortsinne des Textes während des Abendmahles dargebracht würde." Herzog, Realencycl. ed. 2 vol. 1 p. 39.

[2]) „Pia *antiquitas* aperte satis declaravit panem mutari in corpus Christi, vinum in sanguinem; passimque hic veteres agnoscunt μετασχηματισμόν, μετουσιασμόν, quem Latini transsubstantiationem recte verterunt, et definitum est totam substantiam panis et vini transire in totam substantiam corporis et sanguinis Christi. Et quemadmodum igitur alias, ita hic quoque *explicanda est Scriptura ex Traditione, quam custos Ecclesia ad nos usque transmisit.*" Leibnitzius, Syst. theolog. 48.

Iam ex his Leibnitzii dictis iudicium facere poteris istius non minus inscitae quam audacis assertionis recentium scriptorum: „Dass die römische Brodverwandlungslehre erst später geworden und nicht urchristlich und altkirchlich ist, ist eine unbestreitbare Thatsache" (Luthardt, Apolog. Vorträge, Anmerkungen zum 9 Vortrag). „Paschasius Radbertus spricht zum erstenmal in der Kirche ohne Schwanken aus, der sakramentale Leib ist der von Maria geborene; und zwar geschieht dadurch eine Verwandlung, die nur das Sinnenfällige unverwandelt lässt." „Eine traditionelle Lehre hatte man hier überhaupt nicht; konnte doch für die Thatsache der Transsubstantiation selbst ein Beweis aus älterer Zeit nicht erbracht werden." (Harnack, Dogmengesch. 3, 378, 491).

stantiale, i. e. nequaquam in rem, quae quomodocunque contineat corpus Christi ideoque nonnisi sensu improprio corpus Christi dici possit, sed in corpus Christi sensu proprio sumptum, converti proinde in substantiam proprie dictam adeoque secundum substantialem entis rationem. Ita fere omnes, quos in thesi 3 citavimus.

c. *Actus conversionis.* Docent verba Christi super panem dicta tantae esse efficaciae, ut panis in corpus Christi transmutetur, ut de pane vel ex pane corpus Christi fiat vel efficiatur. Docent porro panem, qui naturaliter comestione mutatur in corpus humanum, per virtutem Spiritus Sancti uno momento transmutari in corpus Christi praeexistens; provocant denique ad miracula maxima, ut aquam a Christo Domino in vinum mutatam, opus creationis, mysterium incarnationis: quae omnia clare ostendunt, Patres ipsum actum, quo Christus fit praesens, habuisse ut actum efficacissimum et productioni prorsus analogum. Cf. supra Liturgias, Cyrillum, Nyssenum, Ambrosium, Damascenum. — Quando vero Patres ad declarandum hoc mysterium mutationes afferunt accidentales, v. g. aquam baptismi et chrisma consecratum, hominem gratia sanctificatum et in angelum transmutatum, non est mens eorum, ut rem plene explicent, sed ut aliquo modo illustrent. In comparationibus videlicet allatis, cum terminus formalis ad quem non sit nisi qualitas quamvis nomine substantivo enuntiata, sponte comparationem esse tantum analogam apparet. — Ubi vero Patres Eucharistiam „carboni ignito“ comparant, non panis substantiam per lignum intelligunt, sed, quemadmodum generatim, sic in statu etiam sacramentali carbonem ignitum dicunt totum Christum, ignem habentes symbolum divinitatis, lignum humanitatis.

2. Ex *antiquitate relativa.*

Quando aliquo tompore universalis in doctrinam aliquam tamquam fide credendam pacifice obtinet consensus, neque *historice,* neque multo minus *theologice,* i. e. ex principiis indubiis de Ecclesiae inerrantia, fieri ullo modo potest, quin istiusmodi doctrina in deposito revelationis contineatur, atque adeo oportet ut Ecclesiae ab Apostolis sit transmissa. Atqui tempore, quo error Berengarianus primum exoriebatur, universalis erat in Ecclesia consensus in dogma transsubstantiationis tamquam fide credendum. Id quod probatur:

a. Ex superius citato *Guitmundo,* qui, errorem contrarium paucissimorum schismaticorum esse dicit manifestissimum, et „Berengariana, inquit, portio non fundatur exultatione universae terrae, neque enim eis vel una civitatula vel una villula concessit“; professione praeterea ipsius *Berengarii* et decretis *Conciliorum.*

b. Ex disertis testimoniis omnium *eius temporis doctorum*. Non audiamus nisi principes. [1])

Scotus: „Ecclesia, quae non errat in his, quae sunt fidei vel morum, ... tenet non ibi manere substantiam panis et vini . . . . Dicit Papa cum toto Concilio generali: Firmiter credimus, ibi corpus et sanguinem sub speciebus panis et vini transsubstantiatione facta contineri.“ [2])

S. Bonaventura: „Quorundam fuit positio, quod non est ibi aliqua conversio, sed ad invocationem verborum sine conversione fit divina virtute, ut corpus Christi sit ibi. Sed haec positio contraria est auctoritati sanctorum et rationi . . . . . Ergo haec positio est improbanda et neminem habet ex doctoribus defensorem. Imo communiter (i. e. communi consensu) tenet Ecclesia, quod est ibi conversio panis in corpus Christi, non inquam in partem corporis, sed in totum.“ [3])

S. Thomas: „Positio, quam quidam posuerunt, post consecrationem substantiam panis et vini manere . . . . . vitanda est tamquam haeretica. [4])

Innocentius III, idem qui in Concilio Lateranensi doctrinam transsubstantiationis inter articulos fidei inseruit: „Quod panis fuerat, cum Christus accepit, corpus suum erat, cum dedit. Panis itaque mutatus erat in corpus ipsius et similiter vinum in sanguinem . . . . Materia panis et vini mutatur in substantiam carnis et sanguinis, nec adiicitur aliquid corpori, sed transsubstantiatur in corpus . . . . Post consecrationem accidens est sine subiecto, quoniam exsistit per se. Transit enim substantia, sed remanent accidentia . . . . Nec est alius ibi panis nisi caro Christi, quae nomine panis aliquando designatur.“ [5])

c. Ex consensione ecclesiarum etiam *orientalium*, quamvis iam dudum eo tempore ab unitate Ecclesiae Romanae avulsarum.

Ex doctoribus Graecis unum audiamus Theophylactum (versus annum 1100): „Dicens: «hoc est corpus meum», ostendit, quod panis sanctificatus in altari est ipsum corpus et non figura; non enim dixit: hoc est figura, sed: hoc est corpus meum. Ineffabili enim operatione transmutatur, etiamsi nobis appareat panis. Quo-

---

[1]) Hos seligendos esse putamus, quia Pusey Anglicanus, qui usque ad saeculum 15 dogma transsubstantiationis fuisse opinionem omnino liberam contendit, eos ipsos ad partes suas trahere conatur.

[2]) Scotus, 4 dist. 11 q. 3 sch. 2.

[3]) S. Bonav. 4 dist. 11 p. 1 a. 1 q. 1.

[4]) S. Th. 3 q. 75 a. 2.

[5]) Innoc. III, De sacr. missae 4, 7 sq.

niam enim infirmi sumus et non sustinuissemus crudam carnem eamque hominis carnem comedere, propterea panis quidem nobis videtur, in rei autem veritate caro est.“ [1])

Praeter definitionem Lugdunensem, cui Graeci subscripserunt, hunc consensum luculenter manifestat censura, qua Patriarcha Constantinopolitanus confixit Confessionem Augustanam ipsi a Protestantibus Tuebingensibus a. 1574 oblatam, ubi ad art. 10 ‚de coena Domini‘ haec leguntur: „Multa in hac parte de vobis referuntur, quae nobis nullo pacto probari possunt. Ecclesiae igitur sanctae illud iudicium est: in sacra coena post consecrationem et benedictionem panem in illud ipsum corpus Iesu Christi, vinum autem in illum sanguinem virtute Spiritus Sancti transire ac immutari.“

Manifestat porro illum consensum ‚Confessio orthodoxae fidei‘ adversus Cyrillum Lucarim ab omnibus schismatis Graeci et Russiaci episcopis a. 1643 et 1672 approbata, in qua haec habentur: „Quo tempore sacra munera sacerdos consecrat, ita omnino secum statuere debet, quod substantia ipsa panis et substantia vini transmutatur in substantiam corporis et sanguinis Christi opera Spiritus Sancti, cuius invocationem tunc peragit rogans, ut mysterium ipse perficiat, et dicens: Mitte Spiritum Sanctum etc. Quippe pronuntiatis his verbis *transsubstantiatio* (ἡ μετουσίωσις) statim fit, *transmutaturque* panis in verum corpus Christi et vinum in verum sanguinem, manentibus *tantummodo* speciebus quae apparent.“

COROLLARIUM. Ex dictis colligitur, falsos esse omnes illos mysterii huius explicandi modos, secundum quos non *tota substantia* panis et vini in Christi carnem et sanguinem converti statuitur. Huc spectat sententia illa quae *Durando* tribuitur, iuxta quam materia panis remanet per Christi animam informanda; illa quae, quamvis immerito (ut probat Gerberon) [2]), a nonnullis dicitur fuisse *Ruperti Tuitiensis*, iuxta quam panis a Verbo assumitur unione hypostatica; illa opinio *Ioannis Parisiensis* (saec. 13) et *recentioris* alicuius scriptoris, iuxta quam panis absque alia sui mutatione eo ipso quod sustentetur a corpore Christi desinit esse substantia; quae quidem opinio a Congregatione S. Inquisitionis die 7 iulii 1875 declarata est „tolerari non posse“; huc denique pertinet *Rosminii* propositio 29 damnata die 14 dec. 1887, quae sic legitur: „A catholica doctrina, quae sola est veritas, minime alienam putamus hanc coniecturam: in eucharistico sacramento substantia panis et vini fit vera caro et verus sanguis Christi, quando Christus eam facit terminum sui principii sentientis, ipsamque sua vita vivificat, eo ferme modo quo panis et vinum vere transsubstantiatur in nostram carnem et sanguinem, quia fit terminus nostri principii sentientis.“

---

[1]) Theophyl. in Matth. 26.
[2]) Apud Migne P. L. 167, 36 sq.

SCHOLION **1.** Ex eo, quem novimus verum dogmatis sensum, theologi catholici analogicum aliquem quaerunt ulteriorem transsubstantiationis conceptum.[1]) „Magna quaestio est, inquit Lessius; sed mirum non est, mysteria divina ingeniis humanis antecellere; generali tamen quadam ratione id potest utcunque intelligi.“ [2])

Quod substantiam *panis et vini* attinet, ita idem Lessius: „Has substantias credimus funditus perire et veluti annihilari, quamvis non soleamus dicere eas annihilari, eo quod haec desitio ex intentione divina non sistat in nihilo, sed dirigatur ad positionem corporis Christi.“ Circa *corpus Christi*, quod fit praesens, Scotus et Bellarminus putant id fieri actione *adductiva* tantummodo, qua Christus corpori suo in coelis existenti et „ubi“ coeleste retinenti conferat novum „ubi“, nempe sub speciebus panis, ratione cuius dicatur corpus illud adductum huc absque actione ulla productiva illius. Sed parum placet haec sententia, maxime quia istiusmodi adductio non videtur posse appellari conversio substantialis. „Verius igitur, sic Lessius, mihi semper visum, Christi corpus poni sub speciebus per actionem productivam, quam *replicationem* vel *reproductionem* vel collationem eiusdem esse substantialis appellare possumus, per quam idem esse, quod habet in coelo, confertur et quodammodo reproducitur sub speciebus, etsi cum alio essendi modo. Quod autem Deo istud sit possibile, dubitari non potest. Si enim quod periit Deus restituere potest et idem omnino reproducere: cur non possit secundo producere id quod mansit?“ [3])

2. Mirabilis huius conversionis *analogias* et *similitudines* iam plures audivimus allatas a Patribus. Audiatur praeterea Albertus M. probans „a potestate minori“ substantiam panis virtute divina posse in corpus Christi converti: „Providentia Dei mutationes rerum tribus modis fieri voluit, praeter quas verbo suo facit: arte, natura, gratia. Ars hominis unam substantiam mutat in alteram, ut patet in vitrifice, qui vilem cinerem in praeclarum et nobile mutat vitrum . . . Natura mutat unam substantiam in alteram, sicut in vite aqua mutatur in vinum, et opere apum succus florum perfecta natura mutatur in favum mellis; similiter in nobis ipsis panis, quem manducamus, quotidie per naturam mutatur in carnem, et gramina comesta a brutis convertuntur in carnem et sanguinem, et sic de similibus pluribus in natura . . . Gratia hominis mutat substantiam unam in alteram: hinc

---

[1]) Aequo acrius, ni fallimur, in hos doctores invehitur cl. *P. Billot* (in S. Th. q. 74—77 § 2) exprobrans eis, quod non tam conversionem unius substantiae in aliam statuant quam annihilationem prioris substantiae et subrogationem alterius in eius locum atque adeo, ut ipsi videtur, nexum internum inter utrumque nullum. Admittunt sane doctores catholici omnes conversionem vi cuius et substantia desinat panis et praesens fiat corpus Christi, nec in hac re a veteribus recentiores ullo modo dissentiunt; sed id solum recentiores spectant, ut conversionis illius quaerant analysin accuratiorem aliquam ac veluti per partes clariorem intellectum.

[2]) Lessius, De perfect. div. 12, 16.

[3]) Lessius, l. c. — Cf. quae de hac re profunde disputat cl. *Fr. Schmid* in ephem. Oenipont. 1894, 108 sq.

Moyses per gratiam specialem mutavit virgam in serpentem[1]) et aquam in sanguinem . . . Ergo multo magis virtus verbi Christi mutare potest panem in corpus eius et vinum in sanguinem.“[2])

Pulcherrima praeprimis est transsubstantiationis analogia, quam Patres agnoscunt in *interiore nostrum in Deum transformatione* per ipsam Eucharistiam maxime perficienda. De qua ita Caesarius Arelatensis: „Invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui verbi sui secreta potestate convertit dicens: accipite etc. Ergo ad nutum praecipientis Domini repente ex nihilo substiterunt excelsa coelorum, profunda fluctuum, vasta terrarum: pari potentia in spiritualibus sacramentis verbi praecipit virtus, et rei servit effectus. Quanta itaque celebranda beneficia vis divina benedictionis operetur, quomodo tibi novum et impossibile esse non debeat, quod in Christi substantiam terrena et mortalia commutantur, teipsum, qui iam Christo es regeneratus, interroga. Dudum alienus a vita, peregrinus a misericordia, a salutis via intrinsecus exulabas. Subito initiatus Christi legibus et salutaribus mysteriis innovatus, in corpus Ecclesiae non videndo sed credendo transisti et de filio perditionis adoptivus Dei fieri occulta puritate meruisti. In mensura visibili permanens, maior factus es teipso. Cum ipse atque idem esses, multo aliter fidei processibus extitisti. In exteriore nihil additum est, et totum in interiore mutatum est. At hic homo Christi filius effectus, et Christus in hominis mente formatus est. Sicut ergo sine corporali sensu, praeterita vilitate deposita, subito novam indutus es dignitatem et sicut hoc, quod in te Deus laesa curavit, infecta diluit, maculata detersit, non oculis sed sensibus tuis sunt credita: ita cum reverendum altare cibis satiandus ascendis, sacrum Dei tui corpus et sanguinem fide respice, honore mirare, mente continge, cordis manu suscipe et maxime interiori haustu assume.“[3])

3. At quaecunque sit huius mysterii explicatio, oportet sedulo teneatur quod monet Catechismus Romanus: „Difficillima est omnino huius mysterii (transsubstantiationis) explicatio; sed tamen conabuntur pastores iis, qui magis in divinarum rerum cognitione profecerunt (nam qui adhuc imbecilliores sunt, verendum esset, ne rei magnitudine opprimerentur), conabuntur, inquam, tradere huius admirabilis conversionis modum. Quae ita fit, ut tota panis substantia divina virtute in totam corporis Christi substantiam totaque vini substantia in totam sanguinis Christi substantiam sine ulla Domini nostri mutatione convertatur; neque enim Christus aut generatur, aut mutatur, aut augescit, sed in sua substantia totus permanet . . . Sed illud saepissime a sanctis Patribus repetitum fideles admonendi sunt, ne curiosius inquirant,

---

[1]) „Virgam tenebat Moyses et proiecit in terram, et facta est serpens: et sic videmus prophetica gratia mutatam esse. Quodsi tantum valuit benedictio humana ut naturam converteret, quid dicemus de ipsa consecratione divina, ubi ipsa verba Salvatoris operantur? Si ergo quaeras, quomodo potest quod est fieri corpus Christi, respondeo: consecratione, quae fit Christi sermone.“ Ambrosius cit. ab Alberto M.

[2]) Albert. M. Sermo de Euch. 11.

[3]) Caes. Arel. Hom. 7 de Pasch.

quo pacto ea mutatio fieri possit; nec enim percipi a nobis potest nec in naturalibus mutationibus aut in ipsa rerum creatione eius rei exemplum aliquod habemus. Verum quid hoc sit, fide cognoscendum est; quo modo fiat, curiosius non inquirendum."

Thesis 5.

Species panis et vini 1. permanent sine subiecto, et sunt 2. aliquid obiectivum reale.

Vocabulum *speciei* (— spicio), sicut graecum εἶδος, quando substantiae opponitur, proprie significat id quo substantia aliqua oculis vel etiam aliis sensibus manifestatur; usu vero inde derivato affectiones designat illas quas in sensibus vel etiam in anima obiectum producit, quaeque dici solent species intentionales. Species ad genus *accidentium* spectant: vocantur species accidentia illa, quae sensibilia sunt et prout relationem exprimunt ad perceptionem nostram. *Accidens* porro opponitur substantiae, et definitur ens entis seu ens quod alterius est seu in altero inhaeret ut in subiecto. Distinguunt accidentia in *modalia*, i. e. modos, qui nihil aliud sunt quam ipsa substantia aliter vel aliter se habens, qualis est v. g. motus situsque corporum, et *realia* vel *absoluta*, quae, licet et ipsa ordinata sint ut substantiae inhaereant, sunt tamen realiter ab ea distincta, ita ut virtute saltem divina a substantia separari queant, cuiusmodi dicunt esse corporum quantitatem et (iuxta S. Thomam) animae potentias.

Quaestio haec de accidentibus eucharisticis formaliter *theologica* est. Accidentia enim nisi praeter naturae ordinem absque subiecto ut aliquid reale obiectivum existere non possunt, quod factum sola revelatione divina potest constare. Solvenda igitur est haec quaestio principiis, quae scientiae theologicae sunt propria. Cum vero quaestio de accidentibus ipsis in se consideratis deque intima ipsorum natura per se ad philosophos spectet, philosophi quoque catholici erit, eucharisticarum specierum naturam intimius scrutari. Verum in huiusmodi indagatione philosopho magnopere cavendum erit, ne obliviscatur, „catholicis naturalium disciplinarum cultoribus divinam revelationem velut rectricem stellam prae oculis habendam esse, qua praelucente sibi a syrtibus et erroribus caveant" [1]. De speciebus eucharisticis duo in thesi quaeruntur, quid non sint et quid sint. Ad primum quaesitum respondetur: species panis et vini permanent *sine subiecto;* id quod *de fide* est, quemadmodum ex definitionibus supra allatis sponte colligitur. Ad alterum quaesitum respondetur:

---

[1]) Pius IX ad archiep. Monach. 21 dec. 1863.

species hae sacramentales sunt aliquid *obiectivum reale,* i. e. non sunt vel merae sensuum affectiones subiectivae vel operatio tantum divina ex illo loco, quo prius panis et vini erat substantia, quemadmodum Cartesium secuti aliqui rem concipere posse sibi videbantur; atque hoc alterum quidem ut *theologice certum* defendimus.

DEMONSTRATUR: **1.** Species panis et vini permanent *sine subiecto.*

1. Ex *auctoritate* magisterii ecclesiastici.

Concilium *Constantiense* in Wicleffi doctrina damnavit praeter propositonem, iuxta quam substantia panis remaneat in sacramento altaris, hanc alteram: „Accidentia panis non manent sine subiecto.“ Concilium *Coloniense* (a. 1536) haec habet: „Quid panis et vini species aliud sunt post consecrationem quam species sacramentales et accidentia sine subiecto?“ *Catechismus Romanus* de doctrina, quod accidentia „supra omnem naturae ordinem ipsa se, nulla re nisa, sustentent“, haec testatur: „Haec perpetua et constans fuit catholicae Ecclesiae doctrina; quae etiam facile eorum testimoniorum auctoritate confirmari poterit, quibus antea planum factum est, nullam residere in Eucharistia panis aut vini substantiam.“

2. Ex *ratione theologica* rem sic probat S. Thomas: „Accidentia panis et vini, quae sensu deprehenduntur in hoc sacramento remanere post consecrationem, non sunt sicut in subiecto in substantia panis et vini, quae non manent . . . Manifestum est etiam, quod huiusmodi accidentia non sunt in substantia corporis et sanguinis Christi sicut in subiecto: quia substantia humani corporis nullo modo potest his accidentibus affici; neque etiam est possibile quod corpus Christi gloriosum et impassibile existens alteretur ad suscipiendas huiusmodi qualitates. [1]) Dicunt autem quidam, quod sunt sicut in subiecto in aëre circumstante; sed nec hoc esse potest: primo quidem quia aër non est huiusmodi accidentium susceptivus, secundo quia huiusmodi accidentia non sunt ubi est aër, quinimo ad motum harum specierum aër depellitur, tertio quia accidentia non transeunt de subiecto in subiectum, ut sc. idem accidens numero, quod primo fuit in uno subiecto, postmodum fiat in alio, accidens enim numerum accipit a subiecto . . ., quarto quia cum aër non spolietur accidentibus propriis, simul haberet accidentia propria et aliena . . . Et ideo relinquitur quod accidentia in hoc sacramento manent sine subiecto.“ [2])

---

[1]) „Licet illud non implicet contradictionem, esset tamen valde praeternaturale et indecens ac monstrosum corpori humano, praesertim glorioso.“ Suarez in h. l.

[2]) S. Th. 3 q. 77 a. 1.

2. Species panis et vini sunt aliquid *obiectivum reale.*

1. Ex *auctoritate* Ecclesiae.

a. *Patres* ita de speciebus loquuntur, ut sine dubio eas realitatem physicam habeant. Vocant enim eas „rem terrenam“, „rem materialem“, „panis et vini permanentem naturam“, voce naturae intelligentes summam qualitatum sensibilium; contra Monophysitas humanam naturam in incarnatione remanere illustrant ex realitate specierum sacramentalium remanentium.

b. *Theologi* omnes saltem usque ad invectam philosophiam Cartesianam, quamvis et ipsi difficultatem rem philosophice explicandi admodum sentientes, rationibus theologicis coacti physicam specierum sacramentalium realitatem consensu unanimi docuerunt.

c. *Concilia* Constantiense et Tridentinum, quorum verbis is sane sensus subesse dicendus est, quem tunc temporis theologi omnes intelligebant, haud obscure, id quod post conversionem in Eucharistia manet esse aliquid reale obiectivum, declaraverunt. Cf. definitiones supra allatas. — Praeterea anno 1694 a Congregatione Indicis damnata est propositio: „Eucharistiae accidentia non accidentia realia, sed merae illusiones et praestigia oculorum sunt.“

2. Ex *ratione theologica.*

a. Ex veritate *verborum Christi.* „Necesse est aliquid remanere, ut verum sit quod dicitur, hoc est corpus meum: quae quidem verba sunt huius conversionis significativa et factiva; et quia substantia panis non manet . . . necesse est dicere quod maneat id quod est praeter substantiam panis.“ [1]) Scilicet, oportet ut maneat invariatum formale significatum vocis ‚hoc‘ significantis aliquid sensibus praesens.

b. Ex veritate *Dei.* „Accidentia sine subiecto in hoc sacramento subsistunt, ut . . . sensus a deceptione reddantur immunes, qui de accidentibus iudicant sibi notis.“ [2]) Scilicet, Deus nos decipere dicendus esset, si tota panis realitate destructa apparentiam produceret rei quae non est. [3])

c. Ex veritate *sacramenti.* „Commune hoc est sanctissimae Eucharistiae cum ceteris sacramentis, symbolum esse rei sacrae et invisibilis gratiae formam *visibilem.*“ [4]) Atqui nisi species, quae remanent, sint aliquid obiectivum et reale, nihil vere visibile in

---

1) S. Th. C. gent. 4, 63.

2) S. Th. Offic. Corp. Chr. 2 Noct.

3) Verba hymni: „visus, tactus, gustus in te fallitur“, non sibi volunt, sensus in proprio suo falli obiecto, sed eorum testimonium eiusmodi esse, ut facile inde oriatur falsum mentis iudicium.

4) Conc. Trid. Sess. 13 cap. 3.

Eucharistia inveniretur; esse enim ,visibile' non modo mutationem illam dicit qualemcunque, qua oculus afficitur, sed obiectum aliquod reale extra sensus positum a quo affectio illa determinetur.

SCHOLION. De quaestione philosophica, *quomodo* res sit vel potius quomodo esse possit, pauca dicemus.

Sunt, qui ex doctrina fidei in thesi exposita nihil aliud consequi existiment quam perdurare solummodo secundum speciem phaenomena obiectiva. Rem vero ipsam ita concipiunt: „Supponimus substantiam propriam panis et vini non esse nisi materiam ponderabilem, sicut et cuiuscunque corporis naturalis; scimus autem atomos corporum immersas veluti esse intra materiam imponderabilem, quae sinus omnes corporis pervadit quaeque cohaerentes tenet partes seu atomos corporis. Fac igitur desinere omnem substantiam panis et vini Deumque efficere, ut materia imponderabilis, quae illis commixta erat, sensibiliter resistat in eodem spatio quemadmodum prius resistebat corpus: habebis eadem phaenomena et quidem obiectiva, h. e. a causa existente a parte rei determinata, quae prius habebas.“ [1]) Hoc posito explicandi modo manere utique dixeris accidentia non solum secundum entitatem effectuum, sed etiam aliquo modo secundum entitatem causae; videntur ergo dici posse manere tamquam aliquid obiectivum reale.

Verum haec rei explicatio plerisque nec admodum differre videtur a falsa illa aliquorum veterum opinione, qua accidentia dicuntur inesse ut in subiecto in aëre circumstante, nec satisfacere plene iis quae de obiectiva specierum realitate certa esse probavimus, praesertim definitionibus Tridentina et Constantiensi, quibus panis et vini substantia desinente doceri videntur ipsae huius eiusdem panis et vini species, imo accidentia perseverare atque adeo aliquid panis quodque physice substantiae panis inhaerere aptum est. Hi ergo, ut rem explicent, antiquorum vestigiis pressius ingredientes, ita disserunt. Est quidem de essentia accidentis, ut natura sua ordinetur ad inhaerendum subiecto, non vero ut actu inhaereat. Potest ergo „Deus, qui est prima causa substantiae et accidentis, per suam infinitam virtutem conservare in esse accidens subtracta substantia per quam conservabatur in esse sicut per propriam causam . . . Non desinunt esse accidentia, quia nec separatur ab eis definitio accidentis, quae est *aptitudo* ad subiectum, quae semper manet in iis, non *actualis* inhaerentia.“ [2]) „Comparatio accidentis ad subiectum secundum aptitudinem est essentialis, et haec nunquam privatur ab accidente, nec ab illis speciebus: verum est enim dicere quod sunt natae esse in subiecto; comparatio vero *actualis,* quamvis semper insit actu secundum naturam, tamen sequitur essentiam: et ideo potest separari sine aliquo inconvenienti potentia supra naturam.“ [3])

---

[1]) Palmieri, Cosmolog. th. 26.

[2]) S. Th. 3 q. 77 a. 1.

[3]) S. Bonav. 4 dist. 12 p. 1 a. 1 q. 1. — „Succurrendum, inquit Leibnizius (Syst. theolog. c. 48 et 49), eorum morbo, qui clare distincteque intelligere sibi videntur, accidentia non esse nisi modos substantiae ideoque non posse

Nulla igitur est difficultas, quod admittantur eadem numero manere accidentia quae prius inerant substantiae panis et vini. Nec tamen opus esse videtur, ut omnia et singula accidentia per se spectata a substantia sua separentur separataque permaneant. Supponatur videlicet esse unum aliquod accidens velut fundamentale quod prae reliquis munere fungatur subiecti, supponatur porro hoc unum accidens supernaturaliter a sua separari substantia: eo ipso et reliqua in eo innisa perseverabunt; quemadmodum sc., si turris per miraculum a terra elevaretur, tota turris absque sustentaculo esse merito diceretur, quin tamen singulos lapides, exceptis infimis, sine fundamento esse dici oporteret. Iam vero est aliquod accidens propius ad substantiam accedens primaque materiae dispositio, sc. *quantitas dimensiva*, quae est illud quo ens corporeum in longum, latum, profundum est dimensionatum, et in quo cetera accidentia sunt ut in subiecto suo. [1]) Ponatur, dicunt, hanc quantitatem dimensivam, quam a substantia corporea realiter distingui solo rationis lumine iam cognovit Aristoteles, per virtutem divinam subtracta substantia manere: manebunt etiam reliqua quae in ea fundantur accidentia. [2]) Cum vero in suo esse maneant accidentia, nulla est difficultas concipiendi quomodo etiam in suo agere maneant; atque inde intelligetur manere et gravitatem et

---

subsistere sine subiecto nec a substantia posse separari . . . . Equidem non patitur brevitas nostra, ut in philosophiam longius excurramus. Illud tamen obiter attigisse suffecerit, nos quoque non perfunctorie studiis mathematicis mechanicisque et naturae experimentis operam dedisse, et initio in illas ipsas sententias, quas paulo ante diximus, inclinasse; tandem progressu meditandi ad veteris philosophiae dogmata nos recipere fuisse coactos. Quarum meditationum seriem si exponere liceret, fortasse agnosceretur ab his qui nondum imaginationis suae praeiudiciis occupati sunt, non usque adeo confusas et ineptas esse eas cogitationes, ac illis vulgo persuasum est, qui receptorum dogmatum fastidio tenentur et Platoni, Aristoteli, Divo Thomae aliisque summis viris tanquam pueris insultant.“

[1]) Exemplum haud ineptum afferunt Salmanticenses (De Euch. d. 8 dub. 3 § 1): „Sicut intellectus est ratio proxima per quam anima rationalis recipit species et habitus scientiarum, ita quantitas est proportionaliter dispositio aut ratio proxima, per quam substantia corporea recipit colorem, saporem, figuram et alia accidentia: unde sicut species et habitus inhaerent animae mediante intellectu, ita color et alia accidentia corporalia inhaerent substantiae corporeae mediante quantitate. Ergo si (per impossibile) destructa anima maneret intellectus, eo ipso manerent species et habitus . . . ita cessante substantia panis per conversionem quantitas, quae miraculose perseverat, retinet per modum subiecti colorem, saporem et cetera accidentia, quae ante conversionem substantiae habebat sibi unita.“

[2]) Ponatur, ut aiunt alii, *molem* seu potentiam resistendi et *conatum* seu potentiam agendi (ἐνέργημα vocat Franzelin intelligens hoc nomine principium proximum actionis), ponatur, hanc qualitatem, quae sane non est tantummodo modus substantiae corporeae sed aliquod absolutum et reale ei superaddit, per potentiam Dei separari et substantia sublata a Deo sustentari. — Cf. de tota hac quaestione distinctionis quantitatis a substantia sua *Fr. Schmid* in Theolog. Zeitschrift 1890, 647 sq.

densitatem et corruptibilitatem et actionem in sensus nostros.[1]) Atque haec hactenus.[2])

COROLLARIUM **1.** Accidentia *mutata* ita, ut secundum ordinem naturae iam non sint apta quae inhaereant substantiae panis, cessant esse species

---

[1]) Aliqua difficultas videtur esse quod *odoratum* attinet. Odor enim provenit ex particulis, quae a corpore effluentes papillas odoratus attingunt. Verum admitti potest, secundum leges physicas, quibus species subsunt non secus ac prius, avelli posse moleculas illas minimas, quae utpote species corruptae desinant esse species sacramentales.

[2]) Discrimen, quod inter illam recentiorum et hanc veterum explicationem intercedit cl. *Gutberlet* censet non esse admodum magnum. „Mir scheint zwischen beiden Meinungen kein gar zu grosser Unterschied zu sein. Denn die Neueren können doch keine Thätigkeit Gottes ohne alle Beziehung zur Substanz annehmen; denn wenn Gott die verschiedenen Bewegungen, welche den sinnlichen Qualitäten zu Grunde liegen, selbst hervorbringt, so thut er es doch nur *statt* der Substanz und genau so, wie es vorher die Substanz that. Das ist aber im Grunde identisch mit der Annahme, dass die emanative Kraft, welche vorher die Substanz in Bezug auf die Accidentien, näher die Quantität, ausübte, nur von Gott ausgeht. Ganz klar ist diese Uebereinstimmung bei denjenigen Accidentien, wie Farbe, Widerstand, welche schon dadurch am Körper auftreten, dass er im ausgedehnten Raume einen Widerstand entgegensetzt; denn hier muss nach beiden Meinungen Gott unmittelbar statt der Substanz jenen ausgedehnten Widerstand wirken. Die scholastische Lehre scheint besser die von der Kirchenlehre geforderte Permanenz und Identität der Accidentien vor und nach der Transsubstantiation zu erklären, da bei ihnen alle sinnliche Qualitäten *statische* Zustände sind, welche in numerischer und individueller Identität bleiben können; während die Bewegungen, in welche die neuere Wissenschaft die Farbe, Geruch, Geschmack u. s. w. auflöst, natürlich in jedem Augenblicke andere werden und nur spezifisch identisch bleiben können. Aber da doch an der neuern Auffassung der sinnlichen Qualitäten als Bewegungsformen im Ernste nicht gezweifelt werden kann. so muss man die Identität der Species mit den früheren Accidentien nicht im strengsten, sondern im vulgären Sinne nehmen, nach welchem die Farbe eines Körpers als permanent gefasst wird, obgleich die Bewegungen, aus welchen sie besteht, fort und fort sich ändern. Aber auch die Ausdehnung, welche die Scholastiker von der Substanz getrennt, von Gott erhalten sein lassen, ist nicht ganz genau dieselbe, welche vorher der Substanz inhärierte. Denn man darf sich nicht die Ausdehnung (die ausgedehnte Widerstandskraft) als eine ein für alle Mal fix und fertige Realität denken, welche dann von der Substanz in mechanischer Weise wie von einem äusseren Träger gestützt würde; sie ist vielmehr wesentlich ein *Ausfluss der Substanz;* die stützende Kraft der Substanz erfasst das innerste Wesen der absoluten Accidentien, dieselben fort und fort aus sich setzend. Wird die Substanz also vernichtet, so muss Gottes Thätigkeit diese Emanationsenergie ersetzen, was nicht durch eine Thätigkeit, welche mit der der Substanz numerisch, sondern nur specifisch identisch ist, geschehen kann. Wie wir also einen wesentlichen Unterschied in der alten und neuen Auffassung der eucharistischen Species nicht zu entdecken vermögen, so scheint uns auch kein Grund trotz der veränderten Auffassung der sinnlichen Qualitäten von den absoluten Accidentien abzugehen.“ Gutberlet, Allgem. Metaphysik, Cap. 3 § 4.

sacramentales, i. e. signa praesentis corporis Christi; quamobrem corpus Christi desinit esse sub illis praesens, atque *alia* substantia mutatis accidentibus ex legibus physicis respondens produci ac subintrare videtur. Quod quidem fieri quomodo possit concipi, sic explicat S. Thomas: „Quia non rationabiliter videtur dici, quod miraculose aliquid accidat in hoc sacramento nisi ex ipsa consecratione, ex qua non est quod materia creetur vel redeat, melius videtur dicendum, quod in ipsa consecratione miraculose datur quantitati dimensivae panis et vini quod sit primum subiectum subsequentium formarum; hoc autem est proprium materiae, et ideo ex consequenti datur praedictae quantitati dimensivae omne illud quod ad materiam pertinet, et ideo quidquid posset generari ex materia panis vel vini, si adesset, totum potest generari ex praedicta quantitate dimensiva panis vel vini, non quidem novo miraculo, sed ex vi miraculi prius facti.“ [1])

Qua ratione, cum nutritio locum non habeat, quin accidentia panis corrumpantur ac specifice mutentur, haud difficulter, quomodo species eucharisticae *nutrire* possint intelligitur. [2])

2. Quaeritur, quomodo Christi corpus, dum est praesens, speciebus sit *unitum*. Lugo, enumeratis pluribus circa hanc unionem sententiis minus probandis, sic rem explicat: „Certum est, non esse unionem inhaerentiae, qualis est inter substantiam et accidentia; at qualis sit, difficile explicatur . . . Dicendum videtur, hoc, quod est corpus Christi, sub illis accidentibus contineri, duo includere: primum et potissimum est actio corporis Christi — per potentiam obedientalem activam elevati — in species, per quam — ut causa efficiens — exercet munus substantiae respectu earum; secundum vero est alligatio ad species, quae oritur ex vi quadam — qualitate supernaturali — divinitus data speciebus ad trahendum secum intime corpus Christi (sicut magnes trahit per naturalem virtutem secum ferrum).“ [3])

3. Ex hac inter corpus Christi et species sacramentales unione quaedam consequitur *idiomatum communicatio*, diversa utique tum ab ea quae est inter substantiam eiusque accidentia, tum ab ea quae propter unionem hypostaticam est in Verbo incarnato. Nequeunt sane praedicari de corpore Christi quae speciebus conveniunt praecise, ut calefieri, corrumpi etc.; praedicantur vero de corpore Christi tum ea quae per species, quibus proprie conveniunt, ratione unionis ad ipsum corpus Christi transeunt, cuiusmodi sunt quae relationem externam ad spatium indicant, v. g. moveri, distribui etc., tum quae speciebus concipiuntur convenire prout cum corpore Christi unum constituunt totum sacramentale, puta tangi, frangi (actione liturgica). Cf. Missalis Rom. rubricas „de defectibus circa Missam occurrentibus“. Qua in re usum moremque loquendi ecclesiasticum ad amussim servari oportet.

---

[1]) S. Th. 3 q. 77 a. 5.

[2]) Hinc patet quod iudicium ferendum sit de haeresi *stercoranistarum* foedissima, qui hoc sacramentum sicut corporali comestioni, sic et secessui esse obnoxium dicunt. „His, ita Algerus (De sacram. 2, 1), periculosum esset super hoc aliquid respondere, magisque dignum aures nostras obturare, nisi periculosius esset eos in scandalum Ecclesiae talia proponere et tantam eorum falsitatem nos nullis fidei catholicae rationibus reverberare.“

[3]) Lugo, De Euchar. disp. 6 sect. 1 et 2.

4. Quodsi demum quaeratur, *cur* voluerit Christus corpus suum praesens esse sub specie *aliena*, haec ex S. Thoma respondet Catechismus Romanus: „Cum a communi hominum natura maxime abhorreat, humanae carnis esca aut sanguinis potione vesci, sapientissime fecit ut sanctissimum corpus et sanguis sub earum rerum specie, panis inquam et vini, nobis administraretur, quorum quotidiano et communi alimento maxime delectamur. Adiunctae vero etiam sunt duae illae utilitates: quarum prima est, quod ab infidelium calumnia liberati sumus, quam facile effugere non possemus, si Dominum sub propria specie comedere videremur; altera est, quod dum corpus et sanguinem Domini ita sumimus, ut tamen quod vere sit sensibus percipi non possit, hoc ad fidem in animis nostris augendam plurimum valet; quae quidem, ut sancti Gregorii sententia pervulgatum est, ibi non habet meritum, ubi humana ratio praebet experimentum."

Sectio II.

De modo quo Christus praesens perseverat.

Thesis 6.

Totus Christus est praesens 1. sub utravis specie et 2. sub quavis parte utriusque speciei.

Thesis melius declarari non potest quam verbis Concilii Tridentini (Sess. 13 cap. 3): „Semper haec fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus verumque eius sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate existere: sed corpus quidem sub specie panis et sanguinem sub vini specie *ex vi verborum*[1]; ipsum autem corpus sub specie vini et sanguinem sub specie panis animamque sub utraque *vi naturalis illius connexionis et concomitantiae,* qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur, divinitatem porro propter admirabilem illam eius cum corpore et anima hypostaticam unionem; quapropter verissimum est, tantumdem sub alterutra specie atque sub utraque contineri: totus enim et integer Christus sub panis specie et sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie et sub eius partibus existit."

Totum generatim Christum in Eucharistia contineri, non est quod probemus: id enim in iis, quae de veritate praesentiae demonstravimus, clarissime continetur. Patet quoque per se, *vi verborum* sub specie panis nonnisi corpus, sub specie vini nonnisi

---

[1]) S. Thomas dicit: „ex vi sacramenti" vel „prout significatur per verba formae, quae sunt effectiva in hoc sacramento".

sanguinem Christi contineri. Probanda solum erunt quae in thesi enuntiavimus, nempe: 1. sub *utravis specie* et 2. sub *quavis parte* utriusque speciei totum contineri Christum. Pars vero intelligitur ea „in qua salvatur species totius“ [1]).

Concilium Tridentinum definivit (Sess. 13 can. 3): „Si quis negaverit, in venerabili sacramento Eucharistiae sub unaquaque specie et sub singulis cuiusque speciei partibus separatione facta totum Christum contineri: a. s.“

De fide igitur est, totum Christum esse praesentem sub utraque specie; *de fide* etiam est totum Christum esse praesentem sub unaquaque specierum parte, si agatur de partibus quae ex separatione facta exsurgunt. Si vero quaeritur de partibus speciei indivisae, dogma quidem non est definitum, „illud tamen negare foret non solum temerarium, sed etiam *error*, eo quod optima ratione ex principiis fidei negantes ad absurdum duci possunt“ [2]); et sane, separatione facta totum Christum esse sub partibus singulis, de fide est: at vero non separatio praesentiam efficit Christi, sed consecratio.

DEMONSTRATUR: **1.** Sub *utravis specie* totus Christus continetur.

1. *Ratio theologica.* Verbis consecrationis „hoc est corpus meum“ et „hic est sanguis meus“ significatur et praesens constituitur illud ipsum corpus et ille sanguis, quae, quo tempore verba dicuntur, sunt corpus et sanguis Christi cum omnibus suis perfectionibus propriis. [3]) Atqui, quo tempore verba dicuntur, corpus et sanguis Christi sunt corpus et sanguis naturae humanae viventis ideoque anima informatae, et naturae humanae inseparabiliter Verbo unitae. Ergo totus Christus sub utraque specie praesens constituitur. — Hinc sequitur, ubicunque in Scripturis et in dictis ss. Patrum praesentia realis affirmatur, affirmari quoque praesentiam totius Christi sub utraque specie idque etiam distinctius, quando asseritur praesens Christus iamiam glorificatus.

2. *Scriptura.* Verbis promissionis Christus declarat, dum manducetur caro et bibatur sanguis eius, *se ipsum manducari.* S. Paulus, „quicunque, inquit, manducaverit panem hunc *vel* biberit calicem Domini indigne, reus erit *corporis et sanguinis* Domini“.

3. *Praedicatio ecclesiastica.* Cf. testimonia plura ex Patribus supra allata v. g. Isaaci Antiocheni.

---

[1]) S. Bonav. 4 dist. 10 p. 1 q. 5.

[2]) Vasquez, Disp. 188 c. 3.

[3]) Quod adeo est verum, ut in triduo mortis Christi, Apostoli si hoc sacramentum celebravissent, sub specie panis non fuisset praesens aut sanguis aut anima, sed solum corpus, sub specie vini solus sanguis.

2. Sub *quavis parte* utriusque speciei totus est Christus.

1. *Ratio theologica.* Quidquid panis vel vini naturam habet, necesse est, si consecrationis verba sint vera, ut consecratione in corpus Christi convertatur; atqui quaelibet pars panis et vini vere naturam panis et vini habet, idque etiam ante separationem; „sicut sub qualibet parte aëris est tota natura aëris“ [1]).

2. *Scriptura.* Apostoli singuli partem tantum calicis consecrati sumpserunt; at manifestum est, eos totum Christum suscepisse.

3. *Praedicatio ecclesiastica.* Praeter Patres allatos audiamus Pseudo-Dionysium [2]): „Sacerdos, indivisibilem panem in multa dividens et indivisibile calicis omnibus distribuens, ratione symbolorum multiplicat et distribuit unitatem“; et Caesarium Arelatensem [3]): „Corpus sacerdote dispensante tantum est in exiguo quantum esse constat in toto, quod cum Ecclesia fidelium sumit, sicut plenum in universis ita integrum esse probatur in singulis.“

COROLLARIUM. Christi sub speciebus existendi modum ut aliquatenus explicent, Patres et theologi ad *analogias* confugiunt. Sic Albertus M.: „Si faciei tuae plura proponis *specula*, in omnibus aequaliter et integraliter una facies apparebit. Et si unum speculum in plura frusta etiam parva confringas, perfecte tua facies in singulis erit. Speculum multiplicetur et in plura frangatur: tamen facies in omnibus manet una nec mutatur. Sic est re vera in sacramento Christi . . . Si speculum i. e. forma panis in partes plures dividatur, in singulis erit imago unita divinitati, i. e. verum corpus Christi.“ [4]) Eutychius haec habet: „Integrum ac totum corpus et pretiosum sanguinem accipit homo, etiamsi horum partem quis acceperit. Distribuitur enim impartibiliter per immixtionem in omnibus, sicut et *sigillum* unum omnes suas expressiones et formationes communicat rebus recipientibus eas, et unum manet etiam post communicationem, neque minutum neque mutatum in iis, in quibus expressum est, etiamsi plura sint. Vel etiam sicut *vox* una a quopiam emissa atque in aërem fusa tota manet et in eo qui illam profert et tota per aërem auribus omnium incidit, nemine audientium plus vel minus altero percipiente; sed tota est indivisa et integra in omnibus, etiamsi decem millia vel plures sint audientium. Nemo igitur dubitationem admittat, ne forte post mysticam sacrificationem et sanctam resurrectionem incorruptibilis et immortalis et sacer et vivificus sanguis Domini per consecrationes antitypis impositus minus quam praedicta exempla suas exserat virtutes; sed totus in omnibus et singulis reperitur. [5])

Aptior vero ceteris est analogia, qua modus existendi corporis Christi comparatur modo existendi *spirituum*. Unde quemadmodum Paulus (1 Cor. 15, 44) corpus nostrum in resurrectione futura glorificandum ob qualitates

---

[1]) S. Th. 3 q. 76 a. 3.

[2]) Dionys. De eccl. hierarch. 3 § 12.

[3]) Caes. Arel. De corp. et sang. Dom.

[4]) Alb. M. De Euch. serm. 13.

[5]) Eutych. Sermo de Pascha.

spiritibus analogas σῶμα πνευματικόν appellat, ita ob eandem rationem imo potiori iure corpus Christi in statu sacramentali spiritali, cibum *incorporeum* Patres vocant. Quamvis enim corpus Christi a sua natura non recedat nec immutetur ullo modo, ex modo tamen existendi spirituum, ad quem corpus gloriosum maxime accedit, modus, quo Christi corpus sub speciebus existat, aptissime poterit illustrari. Unde Guitmundus: „Qui hanc nostrae animae potentiam praebuit, ut una eademque indivisa in singulis quibusque particulis sui corporis eodem tempore tota consistat: quare suae propriae carni id dignitatis, si vult, dare non valeat, ut ipsa in diversis sui cuiusdam corporis, quod est Ecclesia, partibus tota simul indivisa possit haberi, cum sicut anima nostra vita est corporis, ita sit Ecclesiae immo multo melius per Dei gratiam vita caro Salvatoris?“ [1])

SCHOLION **1.** Corpus igitur Christi in Eucharistia ita est praesens, ut sit totum in toto et totum in singulis partibus. Quodsi quaeratur, *quo modo* id fieri possit, erant qui *condensationem* confingerent, qua Christi corpus ad staturam minutissimam redigatur, vel *compenetrationem*, qua partes corporis Christi invicem penetrari ponantur. [2]) Verum haec reiicienda sunt, tum quia in se satis sunt inepta, tum quia Christi corpus monstrum efficiunt, cum contra Christi quod in coelis est corpus in sacramento immutatum credi oporteat. Alii vero, maxime inter recentiores, rem inde sibi videntur posse explicare, quod corpora putant constare *entibus simplicibus*, i. e. formaliter inextensis, quae sibi invicem resistentia mutuamque penetrationem impedientia corporis molem constituant; unde corpus ipsum sine actuali existimant esse posse extensione. [3]) Sed haec quoque explicatio plerisque non admodum probatur.

Relinquitur ergo ut veteres audiamus doctores. S. Thomas haec statuit: „Conversio, quae fit in hoc sacramento, directe terminatur ad substantiam corporis Christi, non autem ad dimensiones eius, quod patet ex hoc quod quantitas dimensiva panis remanet, facta consecratione, sola substantia panis transeunte. Quia tamen substantia corporis Christi realiter non dividitur a sua quantitate dimensiva et ab aliis accidentibus, inde est quod ex vi realis concomitantiae est in hoc sacramento tota quantitas dimensiva corporis Christi et omnia accidentia eius.“ Porro: „Quia ex vi huius sacramenti est in altari substantia corporis Christi, quantitas autem dimensiva est ibi concomitanter et quasi per accidens, ideo quantitas dimensiva corporis Christi est in hoc sacramento non secundum proprium modum, ut sc. sit tota in toto et singulae partes in singulis partibus, sed *per modum substantiae*, cuius natura est tota in toto et tota in qualibet parte.“ [4]) Et sane: „Corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiae, et non per modum quantitatis: propria autem totalitas substantiae continetur *indifferenter* in parva vel magna quantitate, sicut tota natura aëris in magno vel parvo aëre et tota natura hominis in magno vel parvo homine; unde et tota substantia

---

[1]) Guitmundus, De verit. Euch. 1.

[2]) Cf. Simonnet, De Euch. disp. 5 a. 4.

[3]) Cf. Palmieri, Cosmologia th. 4, 5, 10, 26.

[4]) S. Th. 3 q. 76 a. 4.

corporis et sanguinis Christi continetur in hoc sacramento post consecrationem, sicut ante consecrationem continebatur ibi tota substantia panis et vini.“ [1]) — Ponatur ergo cum veteribus, ut breviter dicamus, inter substantiam corpoream eiusque quantitatem dimensivam distinctionem esse realem, et hanc quantitatem subiectum esse reliquorum accidentium: iam intelligetur adesse quidem corpus Christi quantum, sed non per modum quanti sc. non ut formaliter extensum; intelligetur, cum „materiam dividi in partes non conveniat nisi secundum quod intelligitur sub quantitate qua remota remanet substantia indivisibilis“ [2]), intelligetur, inquam, corpus Christi in sacramento manere totum atque indivisibile, quantumvis species, sub quibus continetur, dividantur; intelligetur modum existendi corporis Christi in Eucharistia eiusmodi esse, ut virtute naturali nullum corpus possit agere in ipsum, utque oculis corporis videri non possit [3]); „substantia enim, inquantum huiusmodi, non est visibilis oculo corporali, neque subiacet alicui sensui, sed nec etiam imaginationi, sed soli intellectui cuius obiectum est quod quid est“ [4]); intelligetur denique, quia „determinata distantia partium in corpore organico fundatur super quantitate dimensiva ipsius“ [5]), et „ex vi realis concomitantiae est in hoc sacramento tota quantitas dimensiva corporis Christi et omnia accidentia eius“ [6]), intelligetur, inquam, absque novo miraculo et vitam organicam universe et speciatim exercitium sensuum locum habere posse. [7])

2. Quodsi porro quaeratur, utrum Christi corpus in Eucharistia sit ut in *spatio* vel *loco*, distinguendum erit. Negandum est, si illo dicendi modo intelligatur praesentia *circumscriptiva*, quae est ea ut singulae corporis partes partibus commensurentur spatii; affirmandum est, si intelligatur Christi corpus non esse *ubique*, quemadmodum Manichaei et Lutherus opinati sunt, sed *alicubi*, sc. sub speciebus sacramenti. Si vero quaeratur, utrum Christus

---

[1]) S. Th. l. c. a. 1 ad 3.

[2]) S. Th. 1 q. 50 a. 2.

[3]) Etiam quando per miraculum nonnunquam in hoc sacramento caro vel puer apparet, non dicendus est ibi videri Christus in propria specie; sed hoc contingit vel per solam immutationem videntium, vel „manentibus dimensionibus, quae prius fuerant, fit miraculose quaedam immutatio circa alia accidentia puta figuram et colorem et alia huiusmodi, ut videatur caro vel sanguis aut etiam puer“ (S. Th. 3 q. 76 a. 8). — Simili modo quando aliquis sanctus legitur in pluribus simul locis visus esse, id non necesse est ita intelligere, quod vere fuerit in pluribus locis, sed quod in alterutro quaedam eius species fuerit formata. Cf. Bened. XIV De serv. Dei beat. 4, 1, cap. 32.

[4]) S. Th. 3 q. 76 a. 7.

[5]) S. Th. l. c. a. 3 ad 2.

[6]) S. Th. l. c. a. 4.

[7]) Alii volunt, secundum naturae leges hanc vitam in Eucharistia locum habere non posse. Nihilominus et ipsi concedunt, supernaturali modo Verbum suae sanctissimae humanitati etiam in statu sacramentali sensuum tribuere exercitium, idque exigi tum sanctissimae humanitatis dignitate tum sacramenti huius, quo Christus cum suis corporaliter conversari vult, fine ac indole. Atque ita pie sentiunt theologi gravissimi, imprimis Card. Cienfuegos in opere ‚Vita abscondita seu speciebus eucharisticis velata‘.

in Eucharistia sit *definitive* necne, iterum erit distinguendum: est ibi definitive, i. e. ita ut non sit ubique, non est definitive eo sensu, ut sit hic tantum et non alibi.

Christi ergo corpus, cum et in coelo sit et in Eucharistia idque ubicunque sacramentales species inveniuntur, *praesentiam replicatam* habet: quae quidem praesentia eo consistit, quod corpus unum idemque cum iisdem numero perfectionibus multiplicatas ad spatium habet relationes. Egregie de ea disserit S. Bonaventura: „Corpus reperitur in pluribus locis, quia plures sunt species continentes. Unde per se loquendo est in uno loco tantum, in quo definitur, sicut individuum; quia vero multa in ipsum convertuntur, quae sunt in diversis locis, et ipsum per consequens est in diversis locis secundum illum modum, secundum quem multa in ipsum convertuntur, et hoc sub sacramento.“ [1]) „Quamvis corpus Christi simul virtute sacramenti sit in pluribus locis, easdem tamen habet absolutas proprietates tamquam unum numero. Et propter hoc ad intelligentiam obiectorum in contrarium dicendum, quod duplex est proprietas, quae convenit corpori Christi: quaedam absoluta, quaedam relata ad locum. Proprietas *absoluta*, quae convenit corpori Christi, ut in uno loco est, cum sit una, convenit tamen ut in omnibus. Sed proprietas *relata* ad locum, cum sit in diversis locis, etsi conveniat ei in uno loco, non tamen oportet, quod in omnibus. Unde non oportet, quod si corpus Christi sit in multis locis, quod, si movetur in uno, moveatur in altero. Similiter non oportet, quod si aliquis percutit ipsum in uno loco, quod in alio similiter percutiat, quia talis operatio respicit praesentiam localem agentis. Ita similiter non oportet, quod si videatur in uno loco, quod in alio videatur, quia hoc respicit praesentiam visibilis.“ [2])

Ceterum ut memoria teneamus oportet quod Card. Franzelin sapienter animadvertit scribens: „Cum non nisi Deus, sicut infinita potentia, ita infinita bonitas et sapientia, hoc prodigium replicationis possit operari, illud etiam effici non potest nisi modo digno hac infinita bonitate et sapientia; ideoque huiusmodi inquisitionum nimiae subtilitates minus sobriae et minus utiles mihi videntur.“ [3]) Imo S. Bonaventura opinatur, modum illum, quo Christus sub speciebus eucharisticis sit praesens, talem esse, ut ipsorum etiam Beatorum visum fugiat. „Existentia corporis Christi sub sacramento est sublimata supra modum essendi et omnis corporis et omnis rei corporalis et dimensivae. Unde cum visus non abstrahat a quantitate, quia est commune sensatum, et percipere habeat corpus secundum modum existendi corporalem: dicendum est, quod nullo modo visus quantumcunque gloriosus ad hoc attingit, ut videat ibi Christum, sicuti est, etiam si praesens sit.“ [4])

---

[1]) S. Bonav. 4 dist. 10 p. 1 q. 3.

[2]) S. Bonav. 4 dist. 11 p. 2 a. 2 q. 2.

[3]) Franzelin, De Euch. th. 11.

[4]) S. Bonav. 4 dist. 10 p. 2 a. 2 q. 2.

Thesis 7.

Corpus Christi in Eucharistia praesens est modo permanente.

Calvini proprium erat asserere, praesentiam (symbolicam utique) Christi in Eucharistia nisi *usu* non constitui; *Lutherus* quoque, quo facilius cultum Eucharistiae ab Ecclesia exhibitum posset impugnare, in eundem errorem paulatim devenit; et Formula Concordiae clare statuit: „Extra usum, dum reponitur aut asservatur in pixide aut ostenditur in processionibus, ut fit apud Papistas, sentiunt corpus Christi non adesse."

Concilium Tridentinum contra hos haec definivit (Sess. 13 cap. 3 et can. 4): „Illud (in Eucharistia) excellens et singulare reperitur, quod reliqua sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent cum quis illis utitur; at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor *ante usum* est." „Si quis dixerit, peracta consecratione in admirabili Eucharistiae sacramento non esse corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi, *sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post,* et in hostiis seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum corpus Domini: a. s." — Est igitur Eucharistia sacramentum *permanens.*

DEMONSTRATUR: Christus in Eucharistia est praesens *modo permanente.*

1. *Verbis ipsis institutionis,* uti iam satis elucet ex thesi 2 et 3, corpus Christi fit praesens. At vis horum verborum nullo modo ab usu Eucharistiae pendet: „nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum vere tamen ipse affirmaret corpus suum esse quod praebebat." [1])

2. *Patres,* quos audivimus, fere omnes Christum in Eucharistia praesentem esse docent, quin ullo modo de usu loquantur; et si de eo loquuntur, minime tamen Christi praesentiam ad usum restringunt: imo etiam extra usum Christum praesentem esse diserte saepe declarant. Audiatur Cyrillus Alex.: „Alios esse audio, qui mysticam benedictionem nihil ad sanctificationem iuvare dicunt, si quid ex ea fiat reliqui in aliam diem. Insaniunt vero qui haec asserunt: neque enim alteratur Christus, neque sanctum eius corpus immutatur, sed benedictionis vis ac facultas et vivificans gratia perpetuo in ea existit." [2])

3. „*Consuetudo* asservandi in sacrario sanctam Eucharistiam adeo antiqua est, ut eam saeculum etiam Nicaeni Concilii (c. 13)

---

[1]) Conc. Trid. Sess. 13 cap. 3.
[2]) Cyrill. Alex. Ep. 83.

agnoverit. Porro deferri etiam ipsam sacram Eucharistiam ad infirmos, et in hunc usum diligenter in ecclesiis conservari, praeterquam quod cum summa aequitate et ratione coniunctum est, tum multis in Conciliis praeceptum invenitur et vetustissimo Ecclesiae more est observatum" (Conc. Trid. Sess. 13 cap. 6). Vetusta aliqua istiusmodi fidei et consuetudinis testimonia haec sunt: „Diaconi ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος unicuique praesentium participanda distribuunt." [1]) „Accepto corpore Domini et reservato, utrumque salvum est: et participatio sacrificii et executio officii." „Non sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes." [2]) „Nec post gestatam Eucharistiam manus gladio et cruore maculatur." [3]) — Evincit hoc etiam Missa praesanctificatorum, quae a Latinis in die Parasceves, a Graecis per totam Quadragesimam celebratur. [4])

SCHOLION. Antiqua aliqua narrantur *exempla* luculentissima Eucharistiae et asservandae et maxime ad domos decumbentium deferendae. Notiora haec duo accipiantur. Apud Eusebium Dionysius Alexandrinus haec narrat: *Serapion* quidam senex, in persecutione lapsus, cum in gravem morbum incidisset, ut moriturus absolveretur, presbyterum arcessivit; qui quidem presbyter ipse aegrotans, quoniam ad Serapionem accedere non poterat, „exiguam Eucharistiae partem puero tradidit iubens, ut in aqua intinctam seni in os instillaret" [5]). *Tharsicio* acolytho Damasus Papa hoc posuit epitaphium: „Tharsicium sanctum Christi sacramenta gerentem cum malesana manus peteret vulgare prophanis, ipse animam potius voluit dimittere caesus, prodere quam canibus rabidis coelestia membra."

Vas, in quo Eucharistia a fidelibus domum deferebatur, a Cypriano vocatur „arca" [6]). Hieronymo teste Exuperius Tolosanus corpus Christi in canistro vimineo portavit et sanguinem in vitro. [7]) Asservabatur autem Eucharistia in vasibus, quae „artophoria" vel „peristeria" dicebantur.

---

1) Iustin. Apol. 1, 65.

2) Tertull. De orat. 19; Ad ux. 2, 5.

3) Cypr. De bono pat. 14.

4) Egregie totam hanc argumentationem sic complectitur *Leibnizius* (Syst. theol. c. 48): „Certum est antiquitatem tradidisse, ipsa consecratione fieri conversionem . . ., neque unquam veteribus auditum est novum quorundam dogma, quod in momento perceptionis demum adsit corpus Christi. Certum enim est nonnullos sacrum hunc cibum non statim consumpsisse, sed aliis misisse et secum domum, imo in itinera, in deserta tulisse; eumque morem aliquando fuisse commendatum, quamquam postea abrogatus sit maioris reverentiae causa. Et profecto aut falsa sunt quae a sacerdote pronuntiantur verba institutionis, quod absit, aut necesse est, hoc quod benedictum est esse corpus Christi etiam antequam manducetur." — *A. Harnack* (Dogmengesch. 1, 397) fatetur: „Die abergläubische Ehrfurcht vor dem Sacrament ante et extra usum ist in der Heidenkirche uralt."

5) Euseb. Hist. eccl. 6, 44.

6) Cypr. De laps. 26.

7) Hieronym. Epist. 125, 20.

Articulus III.

De habitudine dogmatis realis praesentiae ad lumen rationis et de cultu Eucharistiae exhibendo.

Thesis 8.

Realis praesentiae dogma est 1. supra rationem, 2. non est contra rationem, 3. est rationi conveniens.

Quae hic affirmantur, ex hucusque probatis magnam partem sponte consequuntur. Ea breviter enuntiat Concilium Tridentinum (Sess. 13 cap. 1), cum Christi in Eucharistia eam dicit esse existendi rationem, „quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo cogitatione per fidem illustrata assequi possumus et constantissime credere debemus".

DEMONSTRATUR: **1.** Dogma realis praesentiae est *supra* rationem.

Ratione sola nec probari potest mysterium hoc esse *factum,* quia supernaturale est et ex sola pendet libera Dei voluntate, nec clare demonstrari esse positive *possibile,* cum mysterium sit proprie dictum.

Valet hic plene quod Augustinus scribit: „Hic si ratio quaeritur, non erit mirabile; si exemplum poscitur, non erit singulare; demus Deum aliquid posse quod nos fateamur investigare non posse; in talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis." [1]) Et Cyrillus: „Iudaicum est illud πῶς et extremi proinde causa supplicii." [2]) Et Guitmundus: „Cum sapientissimus Salomon cunctas res esse difficiles dixerit, ita ut explicare eas homo non possit, nonne insanienti quam simillimus est, qui haec divina arcana discutere ad oculum violenter quaerit? Omnes enim creaturae Dei miracula nobis inexplicabilia sunt; Christus vero inter omnia aut prae omnibus miraculum singulare." [3])

2. Dogma realis praesentiae *non* est *contra* rationem.

1. *Generatim* tenendum est: „Etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest, cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit, Deus autem negare seipsum non possit nec verum vero unquam contradicere." [4]) Atqui dogma realis

[1]) Augustin. Ep. 137.
[2]) Cyrill. Alex. In Ioan. 6.
[3]) Guitmundus, De verit. Euch. 1.
[4]) Conc. Vatic. Constit. ‚Dei Filius', cap. 4.

praesentiae a Deo esse revelatum, abunde in superioribus demonstratum est. Hinc certum plane est atque evidens hoc mysterium esse credibile.

2. *Speciatim* animadvertatur: Quaecunque contra realis praesentiae possibilitatem afferri posse videntur, ea iudiciis innituntur, quae ex rerum naturis de corporibus efformantur. Iam vero nostra de corporibus iudicia, cum non oriantur nisi experientia et vera non sint nisi sub hypothesi, quod legibus naturae non fuerit derogatum, id quod fieri posse manifestum est: liquet illis iudiciis nec corporum exhiberi essentiam nec quidquam contineri, quo quod virtute divina circa corpus Christi et substantiam panis fieri docemur, ullo modo convellatur.

Audiatur hac de re Seraphicus[1]: „Intellectus dicit, quod Veritas non potest dicere falsum; et fides assumit: Veritas dixit: Hoc est corpus meum, et praecepit ut diceretur: ergo dixit verum. — Cum ergo sit in nobis duplex intellectus, sc. fidelis et humanus (sensibus alligatus), ideo sentimus in nobis aliquando colluctationes. Fidelis tamen intellectus praevalet ei, qui est humanus, quia elevat ipsum extra animalitatem; attamen non ita elevat, quod comprehendat, ut meritum fidei integrum maneat. Et hoc patet, quia intellectus humanus dicit, quod impossibile est quod maius contineatur a minori: et fidelis respondet, quod verum est localiter, et corpus Christi magnum non est ibi localiter, sed sacramentaliter; et quamvis illud sit impossibile per naturam, tamen potest esse Deo possibile. Et quia nescimus, quid Deus possit, mutato modo essendi, ideo licet intellectus sibi praevaleat, tamen nondum comprehendit. — Ad illud tamen quod quaeritur, quare plus hoc dicitur esse supra intellectum, dicendum quod in hoc quodam modo communicat nostra imaginatio, cum corpus Christi sit imaginabile; et quoniam illuditur ei, quia ut est sub sacramento subterfugit imaginationem imo supra ipsam est, cum accipiat modum essendi quem habet spiritus: ideo cum repugnet imaginatio, magis est contra intellectum. Sed in articulis aliis, scilicet divinitatis, omnino deficit, et non adeo repugnat. — Ad illud quod quaeritur, quare disputatur de hoc sacramento, cum totum sit fidei, dicendum quod non ad generandam fidem, sed ad nutriendam, ne propter ignorantiam aliquis concedat repugnans fidei, vel neget consequens ad fidem; et hoc per utilissimum et necessarium est, quia multa ponuntur in hoc sacramento ab incautis, in quibus est periculum in asserendo. Unde disputamus, non ut melius credamus, sed ut fidem illibatam serve-

---

[1]) S. Bonav. 4 dist. 10 p. 2 a. 2 q. 1.

mus, dum, ipsa cognita, errores caveamus, et cavendo in veritate persistamus.“ [1])

3. Dogma realis praesentiae est rationi *conveniens.*

Supposita nimirum fide huius mysterii facile cognoscitur mysterium hoc esse valde conveniens.

---

[1]) Audiatur quae de hac fidei et rationis in hoc mysterio habitudine sapienter statuit *Lutherus:* „Das macht zum ersten, sage ich, das sie nicht sind bey den worten Christi blieben. Darnach, das sie mit irer vernunfft drein fallen und der sachen nachdenken der massen solt Christus leib und blut im Sacrament sein und in der gantzen Christenheit so offt das jar uber ausgetielet werden, und ein jeder, so offt er hinzu gehet, Christus leib essen und sein blut trinken. Was wollt das für ein ungeschickt, ungereimet ding werden? Solchs haben sie zum ersten gefasset, davon haben sie denn ein gemalet glas für den augen, da müssen denn die Wort auch heissen, was sie gedenken. Also thun alle Rottengeister, schepffen vorhin einen dünckel; wenn inen derselbige gefellet, unterstehen sie sich die Schrift auch darauff zu zwingen. Wer aber den rechten glauben schepfft aus den worten, der gleubt also, Gott gebe, Christus krieche ins Brot oder in Kelch oder worein er wil; wenn ich sein Wort habe, will ich nicht weiter sehen noch gedenken. Was er sagt, wil ich halten. So wickelt er sich ins wort, lest sich nicht davon weisen, wird auch dadurch erhalten. Der ander Grund, den sie füren, es sey nicht von nöten. Da mus sich Christus lassen zur Schul füren und meistern. Der heilige Geist hat es nicht recht troffen. Denn, so sagen sie, wenn ich gleube an Jhesum Christum, der für mich gestorben ist, was ist not das ich gleube an den gebackenen Gott? Wolan: er wird sie auch ein mal backen, das inem die rinde wird verbrennen. Wer sagt nu das? Gott oder ein Mensch? Ein Mensch sagt es. Warumb? Darumb, das sie der Satan besessen hat, haben nicht mehr gelernt, denn die wort reden und predigen, Christus ist für uns gestorben, aufferstanden und der gleichen. Im hertzen aber fülen sie nichts davon. Wiltu nu Gott meistern, was not und nicht not sey und nach deinem dünckel richten und schliessen? Viel billicher keren wirs umb und sagen, Gott wil es so haben, darumb ist dein dünckel falsch. Was Gott für nötig ansihet, wer bistu, das du tharst darwider reden? Darumb bistu warhafftig ein Lügener.“ (Sermon vom Sacrament wider die Schwermergeister).

„O Herr Gott, wer das nicht gleuben kan, quod Christus sit in pane vel in grano triticeo, der wird vil weniger gleuben creationem, das ist, quod tota creatura sit ex nihilo; und noch vil weniger wird er gleuben, quod Deus sit homo factus, et in superlativo quod sint tres personae et una substantia . . In articulis de Trinitate, de incarnatione Filii Dei, de sacramentis non est nobis speculandum secundum rationem humanam.“ (Tischreden, Vom Hofleben).

„Gaudeo saltem apud vulgum relictam esse simplicem fidem sacramenti huius. Nam ut non capiunt, ita nec disputant, an accidentia ibi sint sine substantia, sed simplici fide Christi corpus et sanguinem veraciter ibi contineri credunt. — Ego sane si non possum consequi, quomodo panis sit corpus Christi, captivabo tamen intellectum meum in obsequium Christi, et verbis eius simpliciter inhaerens credo firmiter, non modo corpus Christi esse in pane, sed panem esse corpus Christi. Sic enim me servabunt verba: «hoc est corpus meum». Quid si philosophia haec non capit? Maior est Spiritus Sanctus quam Aristoteles.“ (De Capt. Bab. 2).

1. Dogma realis praesentiae conveniens est in *figuris* suis.

Figuras Eucharistiae recenset Magister: *sacrificium Melchisedech, agnum paschalem, manna, sanguinem passionis.* Congruum fuisse, ut praefiguraretur hoc mysterium, sic probat S. Bonaventura: „Illud sacramentum praefiguratum est et praefigurari debuit tum ratione suae dignitatis tum ratione difficultatis: ratione *dignitatis,* quia praedicandum et expectandum erat sicut donum Dei excellentissimum . . .; ratione *difficultatis,* quia hoc inter sacramenta cetera est difficillimum ad credendum, imo inter cetera credibilia, ideo debuerunt homines ad hoc assuefieri quadam figurarum manuductione.“ [1]) Figuras assignatas *sufficientes* esse, idem Seraphicus ita ostendit: „Magister sufficienter assignat figuras in hoc sacramento habito respectu ad omnes *leges.* Nam in lege *naturae* ponit figuram sacrificium Melchisedech, et in lege *Moysi* agnum et manna (ad quae omnes oblationes et cibi reducuntur), et in lege *gratiae* sanguinem passionis. Similiter sufficientes sunt figurae, si attendamus ad ea, quae *praesignantur.* Nam in hoc sacramento est *visibilis forma:* et haec praesignata est in sacrificio Melchisedech; et est *res contenta:* et haec in agno paschali; et *res signata* tantum: et haec in manna; et *virtus* dans efficaciam: et haec in sanguine, qui fluxit de latere Christi. Unde tres primae tenent rationem figurae, sed ultima magis tenet rationem causae; nihilominus habet rationem figurae pensatis circumstantiis, quod de passo et iam mortuo profluxit sanguis et aqua.“ [2]) — De iisdem figuris haec habet S. Thomas: „Quantum ad id quod est *sacramentum tantum* (i. e. panis et vinum), potissima figura fuit huius sacramenti oblatio Melchisedech, qui obtulit panem et vinum. Quantum autem ad *ipsum Christum* passum, qui continetur in hoc sacramento, figurae eius fuerunt omnia sacrificia Veteris Testamenti, praecipue sacrificium expiationis. Quantum autem ad *effectum,* fuit praecipua eius figura manna, quod habebat in se omnem saporis suavitatem, sicut et gratia huius sacramenti quantum ad omnia reficit mentem. Sed agnus paschalis quantum ad haec tria praefigurabat hoc sacramentum; quantum ad primum, quia manducabatur cum panibus azymis . . .; quantum ad secundum, quia immolabatur ab omni multitudine filiorum Israel quartadecima luna, quod fuit figura passionis Christi, qui propter innocentiam dicitur agnus; quantum vero ad effectum, quia per sanguinem agni paschalis protecti sunt filii Israel a devastante angelo et educti de aegyptiaca servitute, et quantum ad hoc ponitur praecipua figura

---

[1]) S. Bonav. 4 dist. 8 p. 1 a. 1 q. 1.

[2]) S. Bonav. l. c. q. 2.

huius sacramenti agnus paschalis, quia secundum omnia ipsum repraesentat." [1])

2. Dogma realis praesentiae conveniens est *divinis attributis.*

a. Conveniens est divinae *sapientiae.* In hoc enim sacramento velut compendium fecit Deus omnium illorum quae ad nostram salutem infinita operatus est sapientia omniumque mirabilium, maxime illorum quae per Verbi incarnationem nobis contulit. De „mirabilium omnium hoc mirabilissimo" ita loquitur Cusanus noster: „Fecit Deus omnia mirabiliter et nihil omnium est, in quo, si consideratio figatur, aliud quam admiratio finaliter reperiatur, ita quod, sicut Deus noster occultus est, ita fecit omnia et omnium entitatem occultam, ut nihil uti est scire valeamus". Enumeratis, quae maxime admirari solemus, sic pergit: „Sed mirabilissimum est, quod creatura sc. panis convertitur in carnem Christi, hoc est in totum Christum, Deum et hominem vivum animatum, et vinum in totum Christum, sc. in sanguinem et hinc concomitanter in totum Christum . . . O esca admiranda, quantum laetitiae et gaudii spei nostrae infundis!" [2])

b. Conveniens est divinae *omnipotentiae.* Est sc. omnium divinorum operum veluti consummatio ac perfectio. Et ideo Ioannes initio narrationis coenae dominicae praemisit illud: „Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus" (Ioan. 13, 3). In illa enim maxime rerum immutatione, quam Christus in hoc mysterio operatur, omnipotentiam suam ac plenissimum in omnem creaturam dominium ostendit. [3])

---

[1]) S. Th. 3 q. 73 a. 6. — De *manna* haec habet S. Bonaventura (In Sap. 16): „Mystice per manna significabatur congrue Christus sub sacramento altaris: quia ipse est panis angelorum sc. sacerdotum; quia coelitus paratur, i. e. quia virtute coelesti conficitur; quia comedentes ex eo pro suo desiderio, i. e. devotione reficiuntur; quia cum ipso rex gratiae descendit et datur, sicut et ros cum manna descendebat; quia sicut apparebat manna ut semen coriandri albi, sic et Christus sub nebula candida sumitur; qui sex diebus et non in sabbato colligebatur, sic Christus in praesenti sub sacramento sumitur, sed in futuro sabbato ad faciem videbitur; quia usque ad ingressum terrae promissionis in deserto per quadraginta annos cibo illo nutriti sunt, sic usque ad finem mundi in deserto huius mundi fideles Ecclesiae nutriuntur." — Sex Eucharistiae figuras, sc. pinguedinem, panem, mel, agnum paschalem, thesaurum coelestem, manna, egregie explicat S. Bonaventura in sermone de Corpore Christi (Sermo 3 tom. 5. ed. ad Clar. aquas.)

[2]) Cusanus, Excit. 4 p. 446.

[3]) „Que j'aime à voir le Dieu que j'adore, que j'aime à contempler le Verbe de Dieu, planant sur toute la création, baignant tous les êtres, comme un fluide générateur et tout-puissant, ayant la faculté, non seulement de créer, mais de modifier, de changer, de transformer toutes les substances créées, qu'il tient dans sa main comme un physicien tout-puissant qui aurait un droit illimité de vie, de mort, de mutation sur tous les éléments soumis à son action souveraine. Et quand vous me faites de ces petites objections

c. Conveniens illud est divinae *caritati*. Ad divinam bonitatem pertinet, ut omnibus modis sese communicet. Ergo sicut fuit conveniens, ut totam divinitatem suam humanae naturae communicaret, ita fuit conveniens, humanitatem illam et totum illud beneficium ac mysterium alio admirabili modo reliquis hominibus communicari, ut, sicut humana Christi natura in Verbo existit et Verbum in ipsa, ita qui suscipit hoc sacramentum singulari etiam modo in Christo maneat et Christus in illo. — Maxime vero ipsius Christi in hoc sacramento manifestatur caritas: „quia maxime proprium est amicitiae convivere amicis, sui praesentiam corporalem nobis repromittit in praemium, interim tamen nec sua praesentia corporali nos in hac peregrinatione destituit“ [1]). Unde Evangelista: „Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos“ (Ioan. 13, 1).

3. Dogma realis praesentiae conveniens est reliquis fidei nostrae *mysteriis*, maxime vero *incarnationis*.

Affinitas huius mysterii cum aliis religionis christianae *mysteriis* praecipuis in eo est, ut divina natura, quae in mysterio SS. Trinitatis alteri et tertiae personae communicatur, quaeque prout in secunda persona subsistit per incarnationis mysterium ad extra communicatur naturae humanae, ita ut haec vere consors fiat divinae naturae, eadem haec divina natura, prout est Verbum caro factum, per Eucharistiae communionem singulis eam suscipientibus hominibus intime coniungatur ac copuletur: ut idem sit Filius Dei in sinu Patris, in sinu Matris, in sinu Ecclesiae, ubique oculis corporis et lumini rationis impervius. [2]) „Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo. Vere igitur sicut per naturam deitatis Deus Pater in Filio est, ita Deus Filius homo

---

d'une raison écourtée, il me semble voir un enfant qui trace sur la plage je ne sais quel château de cartes en guise de digues, et qui commanderait à la mer d'avoir à ne point les franchir, quand elle arrive belle, majestueuse, dans toute la plénitude de sa force, élevée comme une montagne flottante, et marchant comme une armée qui ne sait pas reculer. Pauvres humains! vous élevez aussi des digues contre la puissance de Dieu: et vous êtes là tout fiers sur le sable de la plage, prétendant que l'Océan de la puissance infinie ne pourra pas les renverser, vous lui tracez fièrement ses limites; et déjà je vois cet Océan qui mugit, et qui d'un seul bond va franchir vos petites constructions, dont il ne restera pas même ce qu'il reste des épaves promenées par une tempête furieuse. Si vous en êtes étonnés, c'est que vous avez oublié le nom de Celui qui ne tient aucun compte de vos calculs: vous avez oublié qu'il s'appelle le Seigneur, qu'il est le Dieu souverain et, pardessus tout, le Maître auquel rien ne résiste, cui nomen est Dominus, et Deus, et insuper omnipotens.“ Landriot, l'Eucharistie, 2me confér.

[1]) S. Th. 3 q. 75 a. 1.

[2]) Nexum hunc intimum Eucharistiae cum reliquis mysteriis exprimit egregie pictura insignis Raphaelis, quae „Disputa“ vocatur.

per humanitatem carnis in nobis esse iure dicitur, ac per hoc mediator Dei et hominum praedicatur, quia per eum communionem unitatis habemus ad Deum, dum ipse in Patre manens et in nobis quoque manere dicitur.“ [1])

Quomodo speciatim in *incarnatione* contineatur Eucharistiae analogia, et quomodo illa per hanc veluti extendatur ac propagetur, sic explicat Lessius: „Sicut in mysterio incarnationis divinitas invisibilis unita est humanitati visibili: ita in Eucharistia caro Christi invisibilis unita est speciebus visibilibus. Sicut ex illa unione unus efficitur Christus: ita ex hac unione cum speciebus unum sacramentum corporis et sanguinis Christi. Sicut per incarnationem totum Verbum unitum est singulis humanae naturae partibus: ita per consecrationem totum Christi corpus singulis unitur partibus specierum. Sicut laesa et patiente humanitate divinitas manebat illaesa et impassibilis: ita passiones, quae fiunt circa species, non possunt corpus Christi sub illis latens afficere. Sicut tamen ob unionem illam Deus dicebatur pati, crucifigi, mori patiente humanitate: ita ob hanc unionem fractis et sumptis speciebus dicitur frangi et sumi corpus Christi; sic etiam corpus Christi dicitur videri, tangi, misceri, portari ratione specierum; et hoc visibile recte dicitur vivum, intelligens, sanctificans ratione corporis inclusi. Sicut humanitas Christi non habebat ibi suum naturalem modum subsistendi, sed sustentabatur a Verbo: ita species non habent hic suum naturalem modum existendi, sed continentur virtute corporis Christi extra suum naturale subiectum. Sicut nulla vis creata potest illam unionem dissolvere: ita nec hanc, quamdiu species salvae manent.“ [2])

4. Conveniens speciatim est cultui *ss. Cordis Iesu.* Est enim inter mysterium utrumque nexus intimus ac multiplex.

a. Nexus ex parte *obiecti.* In Eucharistia continetur ipse Christus totus; in ss. Corde Iesu ipse idem Christus totus colitur, cum non liceat illud colere „cum separatione vel praecisione a divinitate“ [3]). Vi verborum in Eucharistia non est praesens nisi Christi corpus et sanguis; Cor ipsum, pars humanitatis Christi nobilissima, directe respicitur ac colitur. In Eucharistia Christi memoriale habetur et summa erga nos manifestatur caritas, maxime prout ibi est in statu cibi et victimae; Corde Iesu „nulla res est, quae amorem immensum Iesu Christi oculis corporeis simul ac mentis melius exprimat, nulla, quae aptior sit ad beneficiorum omnium aman-

---

[1]) Pasch. Radb. De corp. et sang. Dom. 9.

[2]) Lessius, De perfect. div. 12, 16. — Has aliasque Eucharistiae et incarnationis analogias fuse prosequitur Thomasinus, De incarn. 10, 21 sq.

[3]) Pistor. prop. 63.

tissimi redemptoris nostri memoriam in mentem hominum revocandam." [1])

b. Ex parte *finis.* Eucharistiae finis quamvis multiplex ad hunc reducitur praecipuum, ut grati amoris ac caritatis nostrae in Deum affectus excitetur, sustentetur, augeatur: cultus ss. Cordis ex ipsa sua natura huc imprimis spectat, ut „fideles recolant sub symbolo sanctissimi Cordis caritatem Christi patientis et pro generis humani redemptione morientis atque in suae mortis commemorationem instituentis sacramentum corporis et sanguinis sui" [2]); utque satisfactio Christo exhibeatur pro „iniuriis contumeliisque, quibus maxime in Eucharistiae mysterio assidue lacessitur" [3]), et „ingrati animi crimen tot hominibus commune debitis obsequii, amoris et pietatis officiis expietur et Deus per ss. Cor Iesu humano generi placetur." [4])

c. Ex parte *circumstantiarum.* B. Margaritae Alacoque „ante augustissimum Eucharistiae sacramentum fervidius oranti significatum est a Christo Domino, gratissimum sibi fore, si cultus institueretur sacratissimi sui Cordis humanum erga genus caritatis igne flagrantis" [5]). Ab ipso porro Christo dies festus postulabatur celebrandus feria sexta quae octavam festi Corporis proxime sequitur, quo die fideles „ad sacram mensam accedant et iniurias Cordi Iesu in altaris mysterio eo maxime tempore, quo palam fidelium venerationi expositus est, inflictas violati honoris explicatione resarciant"; promittebatur denique ab eodem Christo omnibus, „qui prima quaque novem deinceps mensium feria sexta ad sacram communionem accesserint, concessum iri gratiam finalis poenitentiae nec eos morituros esse nisi reconciliatos cum hoc divino Corde ac receptis sacramentis morientium" [6]).

5. Conveniens est oeconomiae *sacramentorum.* Imprimis *baptismus, confirmatio, Eucharistia* intime nectuntur tum extrinsecus, quatenus simul antiquitus solebant conferri, tum intrinsecus et natura sua, quatenus vita spiritualis, ad quam in baptismo regeneramur et quae in confirmatione perficitur, in Eucharistia cibum suum habet divinum. [7]) Sed *omnium* praeterea est sacramentorum cum Eucharistia nexus, isque talis ut prae omnibus Eucharistia sacramentum sit longe dignissimum.

---

[1]) Episcopi Poloni in Memor. Clementi XIII oblato.
[2]) Offic. festi ss. Cordis lect. 6.
[3]) Cf. verba Christi B. Margaritae dicta.
[4]) Leo XIII in lit. apost. 28 iun. 1889.
[5]) Pius IX in lit. beatific. 19 aug. 1864.
[6]) Verba Christi B. Margaritae dicta.
[7]) Cf. Probst, Sacramente § 48.

„Sacramentum Eucharistiae est potissimum inter alia sacramenta, quod quidem tripliciter apparet. Primo quidem ex eo *quod in eo continetur;* nam in sacramento Eucharistiae continetur ipse Christus substantialiter, in aliis autem sacramentis continetur quaedam virtus instrumentalis, participata a Christo: semper autem quod est per essentiam, potius est eo, quod est per participationem. Secundo hoc apparet ex *ordine sacramentorum ad invicem;* nam omnia alia sacramenta ordinari videntur ad hoc sacramentum sicut ad finem: manifestum est enim, quod sacramentum ordinis ordinatur ad Eucharistiae consecrationem; sacramentum vero baptismi ordinatur ad Eucharistiae receptionem; in quo etiam perficitur aliquis per confirmationem, ut non vereatur se subtrahere a tali sacramento; per poenitentiam etiam et extremam unctionem praeparatur homo ad digne sumendum corpus Christi; matrimonium etiam saltem sua significatione attingit hoc sacramentum, in quantum significat coniunctionem Christi et Ecclesiae, cuius unitas per sacramentum Eucharistiae figuratur . . . Tertio hoc apparet ex *ritu* sacramentorum; nam fere omnia sacramenta in Eucharistia consummantur, sicut patet, quod ordinati communicant, et etiam baptizati, si sint adulti.“ [1])

6. Conveniens est hominum *utilitati.* Cum enim in hoc sacramento ipse gratiae auctor contineatur, eo abundantiores ac copiosiores patet nobis conferri *gratias.* Est porro medium aptissimum exercendi et augendi *virtutes* omnes: sc. *fidem,* quia mysterium est creditu difficillimum et compendium reliquorum ad nostram redemptionem spectantium dogmatum; *spem,* cum sit „pignus futurae gloriae“; *caritatem* tum erga Deum, ad quem redamandum nullum hoc mysterio incitamentum potentius excogitari potest, tum erga proximum, „quoniam unus panis, unum corpus multi sumus omnes qui de uno pane participamus“ (1 Cor. 10, 17); *religionem,* quia ad Deum colendum nemo magis idoneus quam ipse qui in hoc mysterio continetur et offertur Dei Filius; denique *humilitatis* et *gratitudinis.* Sed de hac re tota accuratius dicetur, ubi effectus et communionis et sacrificii eucharistici expendentur.

Atque haec quidem de iis, quae ratio humana ad scrutandum divinissimum hoc valeat mysterium, satis sint dicta. „Si quid autem superfuerit etiam nunc in uniuscuiusque sensu, quod expositione ista non ceperit, *ardore fidei concremetur.*“ [2])

---

[1]) S. Th. 3 q. 65 a. 3. Cf. praeterea S. Th. C. gent. 4, 61.

[2]) Gaudentius Brix. Sermo 2 in Exod.

Thesis 9.

Christus sub speciebus eucharisticis praesens cultu latriae est adorandus.

Sessione duodecima Concilii Tridentini finita Cardinalis Tridentinus „se malle, inquit, hoc sanctissimum sacramentum adorare quam de eo disputare; cum praesertim de re tam clara et ab Ecclesia semper recepta agatur“ [1]). Atque merito adorandum esse Christum sub eucharisticis speciebus contentum adoratione, qua Deus ipse adoratur, sc. latriae, sic definivit Concilium Tridentinum (Sess. 13 can. 6): „Si quis dixerit, in sancto Eucharistiae sacramento Christum . . . non esse cultu latriae, etiam externo, adorandum, atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum neque in processionibus secundum laudabilem et universalem Ecclesiae sanctae ritum et consuetudinem solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et eius adoratores esse idololatras: a. s.“

DEMONSTRATUR: Christus in Eucharistia est *adorandus.*

1. *Ex ratione theologica* res probatur. Christus ipse in Eucharistia est praesens, Christus Deus-homo; imo Eucharistia non est aliud quam ipse Christus praesens sub panis et vini speciebus. Christus vero adorandus est adoratione latriae. Ergo latriae adoratione adoranda est Eucharistia. Modo porro permanente Christus in Eucharistia praesens est: continenter igitur, quoad eius fieri potest, Eucharistia erit adoranda.

2. *Patres* ita senserunt. Patrum, praesertim Chrysostomi, testimonia plura videas in th. 3. Nomine omnium loquatur Augustinus, qui „nemo, inquit, illam carnem manducat, nisi prius adoraverit.“ [2]) Ipse haereticus de corpore et sanguine Domini „quis adeo impie sentiat, inquit, qui non sancta simul et adoranda confiteatur“? [3])

Ita semper et ubique sensit *Ecclesia* universa; et quod sensit, cultu quoque adspectabili atque solemnissimo nunquam non patefecit.

Usus autem Eucharistiae adorandae in Ecclesia est antiquissimus et universalissimus. Exercebatur porro hic usus imprimis ipsa sacra liturgia, qua Eucharistia conficiebatur et administrabatur. Quae quidem liturgia semper in Ecclesia habebatur praecipua ac reliqui cultus centrum; unde et ceremoniis ubique reperitur circumdata

---

[1]) Theiner, Act. Trid. 1, 503.
[2]) Augustin. In Ps. 98.
[3]) Theod. Stud. Antirrhet. 2.

solemnissimis.[1]) Peculiaris deinceps ratio huius cultus augendi atque extrinsecus ampliandi ex haereticorum saec. 11 realem Christi in Eucharistia praesentiam negantium errore habebatur. Speciatim inde ab aetate Berengarii saepius praecipiebatur, ut post consecrationem hostia *elevaretur*, ut coram altari continue *lumen* arderet, ut in *viatico deferendo* genuflecteretur etc.[2]) Ex quo etiam tempore mos inductus est, „ut singulis annis peculiari quodam et *festo die* praecelsum hoc et venerabile sacramentum singulari veneratione ac solemnitate celebraretur utque in processionibus reverenter et honorifice illud per vias et loca publica circumferretur.“ [3]) De festo illo die Corporis Christi haec habet eum a. 1264 instituens Urbanus IV: „Nos ad corroborationem et exaltationem catholicae fidei digne ac rationabiliter duximus statuendum, ut de tanto sacramento praeter quotidianam memoriam, quam de ipso facit Ecclesia, et solemnior et specialior annuatim memoria celebretur, certum ad hoc designantes et describentes diem, videlicet feriam quintam post octavam Pentecostes: ut in ipsa quinta feria devotae turbae fidelium propter hoc ad ecclesias affectuose concurrant, et tam clerici quam populi gaudentes in cantica laudum surgant. Tunc enim omnium corda et vota, ora et labia hymnos persolvant laetitiae salutaris. Tunc psallat fides, spes tripudiet, exsultet caritas, devotio plaudat, iubilet chorus, puritas iucundetur. Tunc singuli alacri animo pronaque voluntate conveniant, sua studia laudabiliter exsequendo, tanti festi solemnia celebrantes.“ [4])

SCHOLION. Quaerunt, quomodo *species* sacramentales se habeant in cultu, qui SS. Eucharistiae exhibetur. Ut breviter dicamus: obiectum for-

---

[1]) „Im katholischen Dogma ist die Gottes- und Christus-Nähe dem sinnlichen Gefühl am anschaulichsten dargestellt, und hierdurch die Maiestät eines Kultus entstanden, wie nie eine Religion ihn sinnlich ergreifender gehabt hat.“ Hase, Evangelisch-protestantische Dogmatik § 197.

[2]) Synodus a. 1227 (1277) Treviris habita statuit: „Corpus Domini cum campanula et lucerna et luminibus honorifice et decenter portetur infirmis. Item doceantur laici a sacerdotibus genua flectere, pectus pungere, manus iungere, dum sacramentum Eucharistiae sic portatur ad infirmos . . . Item sacerdotes moneant populum sibi subditum, ut inducant eum ad sequendum corpus Domini devote sine clamore, cum contigerit sic portari.“

[3]) Concil. Trid. Sess. 13 cap. 5.

[4]) Bulla de instit. festi Corporis Christi, relata in Clementin. 3 tit. 16. — Prima occasio festi Corporis Christi instituendi visio quaedam erat *B. Iulianae Leodiensi* a. 1246 divinitus oblata. Officium huius festi postmodum a *S. Thoma* compositum est. *Processionis* solemnis illo die peragendae mentio occurrit certa in Concilio Senonensi a. 1320 habito. *Expositionis* publicae et *benedictionis* exempla exstant ex ineunte saeculo 14; Conc. Coloniense a. 1452 loquitur de „monstrantiis“. Cf. plura apud *Iac. Hoffmann*, Die Verehrung und Anbetung des allerh. Sacramentes des Altars.

male adorationis patet non esse nisi Christum Dominum; species vero, quae haud inepte quasi vestis vel thronus Christi vocantur, tamquam Christo coniunctae et cum illo unum componentes coadorari dicendae videntur.[1])

Docent porro theologi, per se loquendo ac seclusis specialibus circumstantiis per accidens occurrentibus, *absolute* esse hoc sacramentum adorandum, nulla in actu apposita conditione (si est consecratum). Obiicientibus vero, fieri posse, cum conversio forte locum non habeat, ut panis adoretur, ita respondet Leibnizius: „Etsi contingeret consecrationem revera non esse factam, non idololatria ulla committeretur; neque enim aliud adoratur aut aliter adoratur Christus Deus, sive caro eius adsit sive non adsit; et cum nulla Christi adoratio superflua sit, nihil oberit, si occasio adorandi, quam praesentia corporis eius credita praebuit, falsa esset.“[2])

COROLLARIUM. Patet ergo, Christum in Eucharistia esse adorandum. Imo vero, siquidem Christus est adorandus, *peculiari* quadam ratione in Eucharistia adorandus certe videtur. Si enim exinanitioni exaltatio iure merito respondeat, quid iustius quam quod in eo sacramento Christus iugiter adoretur, ubi propter nos a suae maiestatis fulgore pallescens ita se demittit, ita Deo et hominibus se subiicit, ut cibi et agni pro nobis occisi personam iugiter gerat? Quidni Deum maiestatis post suam exaltationem se rursum deprimentem, ut in usus nostros se totum expendat, pro virili extollemus et cordis corporisque demissionibus ad centrum usque terrae, si fieri posset, inflexis et pronis venerabundi significabimus?

Adoro te devote latens deitas,
Quae sub his figuris vere latitas:
Tibi se cor meum totum subiicit,
Quia te contemplans totum deficit.

Caput II.

De Eucharistiae sacramento.

Eucharistia, ut sacramentum est, definiri solet: Sacramentum corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis et vini ad spiritualem fidelium refectionem a Christo Domino institutum. Quod in hac definitione praecipuum est, Christi sc. sub speciebus panis praesentia, id satis iam declaravimus. Reliquum est, ut de sacramento hoc dicamus prouti sacramentum est, idque considerato tum *in se ipso* tum *in usu* quo nobis applicatur.

---

1) Cf. Suarez, Disp. 65 sect. 1.
2) Leibniz. Syst. theol. c. 52.

Articulus I.

De Eucharistiae sacramento in se ipso spectato.

Duo hic erunt examinanda, nimirum ipsa *ratio formalis* huius sacramenti, et *signum sensibile* eiusdem.

Sectio I.

De ratione formali sacramenti Eucharistiae.

Thesis 10.

Eucharistia 1. a Christo instituta est ritus iugiter celebrandus, 2. proprie dictum sacramentum.

Ex recentioribus theologis Protestantibus haud pauci, quo ipsum Eucharistiae fundamentum facilius convellerent, negaverunt, Christi ultimam coenam celebrantis mentem fuisse ritum aliquem instituendi, qui post eius mortem in Ecclesia sua esset repetendus.[1] Coenam vero ipsam eiusque scopum alii aliter interpretantur.[2] Contra hos igitur ipsum fundamentum probandum est, sc. ex Christi voluntate Eucharistiam esse *ritum* in eius Ecclesia *perpetuum.*

Ritum hunc praeterea ostendendum erit esse *sacramentum,* sacramentum sc. sensu maxime proprio intellectum, quod est res sensibus subiecta, quae ex Dei institutione sanctitatis et iustitiae tum significandae tum efficiendae vim habet. — Esse autem Eucharistiam sacramentum, *de fide* est, cum Concilia Lateranense IV, Florentinum, Tridentinum eam inter septem Novae Legis sacramenta diserte connumerent.

DEMONSTRATUR: **1.** Eucharistiam Christus instituit *ritum perpetuum.*

1. Ex *Scriptura* probatur.

a. Quod in calice continetur, dicitur esse Christi „sanguis testamenti“ (Matth., Marc.) vel „novum testamentum in sanguine“ (Luc., Paul.), et quidem sanguis „qui effunditur pro multis“ (Marc.) vel „qui effunditur pro multis in remissionem peccatorum“ (Matth.). Atqui huiusmodi „sanguis testamenti“ nequit intelligi bibendus a solis illis qui aderant discipulis.[3]

---

[1]) Inter hos theologos eminent H. E. G. Paulus, Kaiser, D. Fr. Strauss, Rueckert, B. Weiss, Iuelicher, Spitta, Grafe.

[2]) Cf. supra p. 116 sq.

[3]) „Die Worte, wie sie lauten, schliessen unbedingt den Gedanken einer Bestimmung für die Vielen, für alle Bundesglieder ein (vgl. Ioan. 17, 20), so dass es einer besondern Aufforderung zur Wiederholung für diejenigen nicht bedurfte, die wussten, wesshalb und wozu der Herr sie erwählt hatte.“ *Cremer* l. c.

b. Disertum a Christo ipso traditur mandatum repetendi illud idem, quod peregerat. Lucas 22, 19 haec habet: „Accepto pane gratias egit et fregit et dedit eis dicens: Hoc est corpus meum quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem (τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν).“ [1]) Paulus postquam dixit: „Ego accepi a Domino quod et tradidi vobis“, sic Christi Domini exhibet verba: „Accipite et manducate: hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem . . . hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem; quotiescunque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.“ Quae verba sic authentice interpretatur Concilium Tridentinum (Sess. 22 cap. 1): „Corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit ac sub earundem rerum symbolis Apostolis, quos tunc Novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus ut offerrent praecepit per haec verba: hoc facite in meam commemorationem; uti semper catholica Ecclesia intellexit et docuit.“

2. Ex *Traditione* res est manifesta.

a. Theologi illi ipsi, qui ritum eucharisticum ex Christi institutione perpetuo celebrandum esse negant, omnes prorsus concedunt christifideles usque ad hanc nostram aetatem in sententia fuisse adversa. [2])

b. Imo primos iam christianos et Paulum ipsum Apostolum admittunt eucharisticum ritum habuisse uti ex Christi voluntate iugiter recolendum. [3]) Atqui his positis fieri nullatenus posse dicemus, ut Christi mens non existimetur fuisse ritum eucharisticum instituendi, et absonum est quam maxime opinari, paucos illos aetatis recentissimae viros plus minus incredulos Christi mentem melius fuisse assecutos quam christifideles omnes inde ab ipsis Apostolis. [4])

---

[1]) Obiiciunt, in codice D deesse illa: „quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem“. Verum cum haec verba in omnibus aliis optimisque codicibus legantur, manifestum est, codicem D quemadmodum alibi sic in hoc quoque textu mancum vel mutilum esse.

[2]) Fatetur *Grafe* (Die neuesten Forschungen über die urchristl. Abendmahlsfeier, Zeitschr. f. Theol. u. Kirche, 1895, p. 128): „Die Leugnung einer Stiftung Iesu zur Feier des Gedächtnisses seines Todes entfernt sich weit von der kirchlichen Auffassung des Abendmahls in allen Confessionen.“

[3]) Paulo hac in re exprobrat *Spitta* l. c. „eine gewisse Unruhe u. Buntheit der Anschauungen in merkwürdig tiefem Contrast zu der krystallenen Einfachheit und Grösse Christi.“ Quibus *Cremer* (Realencyklop. 1896, p. 33) merito respondet: „Dass man in dieser Weise jede, auch die beste Urkunde entwerten kann, liegt auf der Hand.“

[4]) Merito igitur *Weizsäcker* (Das apost. Zeitalter, 1892, p. 574): „Die Feier des Herrenmahles beruht auf einer Anordnung Iesu selbst. Iede An-

2. Eucharistia est *sacramentum.*

1. *Definitio* sacramenti, prout ex iam demonstratis liquet, apertissime Eucharistiae convenit: sunt etenim in ea signa externa et sensibus subiecta, sc. species, et habet gratiae significationem et efficientiam, cum accedente verbo ad elementum species panis et vini non communem substantiam, sed corpus Christus contineant.

2. Ex *fidei analogia* sic arguit S. Thomas: „Sacramenta Ecclesiae ordinantur ad subveniendum homini in vita spirituali. Vita autem spiritualis vitae corporali conformatur, eo quod corporalia spiritualium similitudinem gerunt. Manifestum est autem quod, sicut ad vitam corporalem requiritur generatio, per quam homo vitam accipit, et augmentum, quo homo perducitur ad perfectionem vitae, ita etiam requiritur alimentum, quo homo conservatur in vita. Et ideo sicut ad vitam spiritualem oportuit esse baptismum, qui est spiritualis generatio, et confirmationem, quae est spirituale augmentum, ita oportuit esse sacramentum Eucharistiae, quod est spirituale alimentum.“ [1])

SCHOLION. Cum plura sint in Eucharistia signa, videri possent esse plura sacramenta. Nihilominus Eucharistia sacramentum *unum* est. „Unum dicitur non solum quod est indivisibile vel quod est continuum, sed etiam quod est perfectum, sicut dicitur una domus et unus homo. Est autem unum perfectione, ad cuius integritatem concurrunt omnia quae requiruntur ad finem eiusdem; sicut homo integratur ex omnibus membris necessariis ad operationem animae, et domus integratur ex omnibus partibus quae sunt necessariae ad inhabitandum. Et sic hoc sacramentum dicitur unum: ordinatur enim ad spiritualem refectionem, quae corporali conformatur. Ad corporalem autem refectionem duo requiruntur: scilicet cibus, qui est alimentum siccum, et potus, qui est alimentum humidum. Et ideo etiam ad integritatem huius sacramenti duo concurrunt: scilicet spiritualis cibus et spiritualis potus, secundum illud Ioan. 6, 56: «Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus». Ergo hoc sacramentum multa quidem est materialiter, sed unum formaliter et perfective.“ [2])

---

nahme eines Aufkommens derselben erst in der Gemeinde durch die Erinnerung an die Tischgenossenschaft mit ihm und das Bedürfnis der Erinnerung an seinen Tod ist ausgeschlossen.“ *W. Beyschlag* hac in re sapientior, quam esse solet, (Neutestam. Theol. 1, 155) non dubitat asserere, institutionem Eucharistiae ut ritus permanentis esse omnium, quae certa sunt de Iesu tradita, longe certissimum („Das Gewisseste von allem Gewissen, das uns von Iesu überliefert ist“).

[1]) S. Th. 3 q. 73 a. 1. — Delectantur Patres in consideranda illa Eucharistiae cum baptismo connexione: „Quia qui in sanguinem eius crederent, aqua lavarentur; qui aqua lavissent, etiam sanguinem potarent.“ Tertull. De bapt. 16; cf. 20.

[2]) S. Th. l. c. a. 2.

Thesis 11.

Essentia sacramenti Eucharistiae ipsa praesentia Christi sub speciebus panis et vini constituitur.

Tripliciter sacramentum Eucharistiae considerari potest: in *fieri* seu ratione consecrationis, in *esse* seu ratione praesentiae corporis Christi sub speciebus modo permanente, in *usu* seu ratione communionis. Quaeritur, in quo proprie consistat τὸ *esse* huius sacramenti, seu quid sit illud quo essentia sacramenti in Eucharistia constituatur. Dicimus, essentiam huius sacramenti ponendam esse in corpore Christi sub speciebus praesente.

DEMONSTRATUR: Ex *speciebus et corpore Christi* constituitur Eucharistiae sacramentum.

Sacramenti cuiusvis essentia est, ut sit signum efficax gratiae et sanctificationis. Atqui ut est signum efficax gratiae et sanctificationis Eucharistia est res permanens, nihil vero in Eucharistia permanens reperitur nisi corpus Christi sub speciebus; quod probatum censeri potest in antecedentibus.

Utrumque vero, sc. Christi corpus et species, ad huius sacramenti essentiam pertinet: species, quia corpus Christi, prout a speciebus distinguitur, non est signum sensibile gratiae; corpus Christi, quia, ut ex Ioannis 6 elucet, sacramentum hoc gratiam operatur ad modum cibi et potus spiritualiter nutrientis, huiusmodi vero cibus et potus non sunt species, sed caro et sanguis Christi.

Si ergo quaeratur, qua ratione haec ipsa duo elementa, sc. corpus Christi et species, ad essentiam sacramenti se habeant, distinctione opus erit. Si sacramentum spectetur ut est *causa efficax gratiae,* ipsum corpus Christi sub speciebus contentum Eucharistiae sacramentum dicendum erit; si spectetur ut est *sensibile signum sacrum,* sacramentum sunt species corpus Christi continentes: quo sensu Catechismus Romanus „corpus et sanguinem, ait, minus proprie dici sacramentum, ipsas autem species veram et absolutam huius nominis rationem habere".

COROLLARIUM 1. De verbis consecrationis et usu sacramenti huius, quomodo se habeant ad rationem sacramenti, disputant theologi. At, ni fallimur, sententiae eorum quamvis discordantes hoc fere modo componi poterunt.

Consecrationis verba, cum natura sua sint aliquid transiens nec nisi virtute et in effectu permanere possint, nequeunt dici sacramentum hoc permanens constituere; verum cum efficiant illud quod est signum efficax gratiae, et actio haec permaneat, non quidem sub conceptu primae positionis, sed sub conceptu conservationis corporis Christi sub speciebus, verba et

consecratio ad illam gratiam et sanctificationem *mediate* referuntur, atque adeo et ipsa sacramenti essentiam ingredi dici possunt.

Neque *sumptio* Eucharistiae essentiam sacramenti constituit. Tota enim dignitas obiectiva gratiam exigens non in hoc usu, sed in re permanente residet. Verum cum sacramentum hoc, ut in actu secundo conferat gratiam, sumptione applicari debeat, haec gratiae conferendae *conditio* necessaria ideoque aliquo sensu et ipsa ad sacramenti integritatem et perfectionem spectans dicenda videtur. „Usus fidelium, ita S. Thomas, non est de necessitate sacramenti, sed est aliquid consequens ad sacramentum.“ [1]) „Eucharistia, ita Lugo, instituta est per modum cibi causantis gratiam; quare sicut in cibo virtus causandi non est in usu vel contactu, sed solum in cibo: sic etiam in hoc sacramento virtus causandi solum debuit constitui in ipso cibo, usus vero seu contactus solum designari ut conditio et applicatio cibi.“ [2])

2. Patet hinc, quod sit *discrimen* inter sacramentum Eucharistiae et reliqua sacramenta. De hoc discrimine Angelicus sic disserit: „Eucharistia continet aliquid sacrum absolute, sc. ipsum corpus Christi; aqua vero baptismi continet aliquid sacrum in ordine ad aliud, sc. virtutem ad sanctificandum; et eadem ratio est de chrismate et similibus. Et ideo sacramentum Eucharistiae perficitur in ipsa consecratione materiae; alia vero sacramenta perficiuntur in applicatione materiae ad hominem sanctificandum.“ [3])

3. Ex his intelligemus celebrem illam theologorum distinctionem, quae ex hoc sacramento ad reliqua quoque translata est, et quam explicat Innocentius III his verbis: „Distinguendum est subtiliter inter tria, quae sunt in hoc sacramento discreta, videlicet formam visibilem, veritatem corporis, et virtutem spiritualem. Forma est panis et vini, veritas carnis et sanguinis, virtus unitatis et caritatis. Primum est sacramentum et non res, secundum est sacramentum et res, tertium est res et non sacramentum.“ [4])

Sectio II.

De signo sensibili sacramenti Eucharistiae.

Ex tractatu de sacramentis in genere declaratum ac probatum supponimus:

a. „omnia N. T. sacramenta perfici rebus tamquam materia et verbis tamquam forma et persona ministri“ (Conc. Flor.);

b. quod materiam et formam attinet, utpote quae ad sacramenti essentiam spectent, ab ipso Christo Domino sacramentorum institutore immediate eas fuisse constitutas, ita tamen, ut quantum ad aliqua rem accuratius determinandi Ecclesiae permissa sit facultas.

---

[1]) S. Th. 3 q. 74 a. 7.
[2]) Lugo, De Euch. disp. 1 sect. 7.
[3]) S. Th. 3 q. 73 a. 1 ad 3.
[4]) Decret. l. 3 tit. 41 cap. 6.

Quibus positis agemus de *materia* [th. 12], de *forma* [th. 13], de *ministro* [th. 14].

Thesis 12.

Materia Eucharistiae est panis et vinum.

Sicut in aliis sacramentis est duplex materia, proxima et remota, ita etiam hic; sed ordine inverso. Nam in aliis materia remota est res permanens, proxima vero eius usus qui transit; hic vero remota transit et proxima manet, scilicet species panis et vini. Quaeritur ergo tantum de materia *remota*, illa scilicet quae facta consecratione transit in corpus et sanguinem Christi.

Materia Eucharistiae est, sicut Concilium Florentinum in decreto pro Armenis definivit, „panis triticeus et vinum de vite". De pane dubium vix est. Vinum repudiaverunt propter rationes ex aliis suis dogmatibus vel usibus petitas Ebionitae, Encratitae, Marcionitae, Apostolici, Manichaei. Praeter hos etiam ecclesias catholicas non in vino, sed in aqua consecrasse, imo ex sententia veteris Ecclesiae universae in Eucharistia cibum potumque seu coenam qualemcunque adhiberi posse, nuper affirmavit *A. Harnack*[1]). Sed immerito.

DEMONSTRATUR: Materia Eucharistiae est *panis* et *vinum*.

1. Ex *deposito fidei* probatur.

Panis mentio fit diserta atque explicita a tribus evangelistis et Paulo, ac deinceps a Patribus omnibus. *Vinum* in ultima coena fuisse adhibitum inde patet, quod calix, quem Christus consecravit, calix erat paschalis, qui vinum continebat, et quod ipse Christus de „genimine vitis" (Matth. 26, 29) loquitur. Patres deinde, quicunque de Eucharistia loquuntur, plerique vini faciunt mentionem.

Quae ad thesim suam probandam affert *Harnack*, sunt testimonia Pauli, martyrii Pionii, Cypriani, Iustini. Iam vero quamvis concedi possit Protestantibus ad suam Eucharistiam conficiendam plene sufficere aquam, ea tamen, quae ex dogmatis historia ab Harnack hic afferuntur, nullo modo admittere possumus. A *Paulo* affirmat vinum excludi, tum quia 1 Cor. 10, 16 et 11, 23 sq. una cum pane non vini, sed calicis fiat mentio, tum quia 1 Cor. 10, 4 in exemplum afferatur aqua, qua in deserto Israelitae potabantur, et Rom. 14, 21 doceatur esse „bonum non bibere vinum". Atqui „calicem" significans Apostolus vinum non solum non excludit, sed includit, cum manifestum sit intelligi ab eo illum eundem calicem, quem Christus adhibuit paschalem. Potum

---

[1]) A. Harnack, Texte u. Untersuchungen 7, 2 p. 117 sq. 1891.

vero illum spiritualem Israelitarum affert Apostolus ut „figuram“, ubi profecto opus non est ut sit aequalitas, quemadmodum in eodem contextu baptismus non habet aequalitatem cum transitu per mare rubrum et sub nube. Inepte denique citatur illud de vino non bibendo, quia ibi de scandalo aliis non praebendo, minime vero de Eucharistia sermo est. — Neque ex actibus martyrii *Pionii* de usu aquae in Eucharistia conficienda quidquam concludi potest. Quamvis enim, quando Pionius dicitur sumpsisse „panem sanctum et aquam“, ille „panis sanctus“ de Eucharistia intelligatur, quam christifideles secum domum portabant, aqua illa, quae non dicitur sancta, nec necessario ad Eucharistiam refertur et ex contextu de ieiunio intelligitur illo severo, quo christiani sese ad martyrium praeparabant. — *Cyprianus* porro, ad quem provocatur, quos reprehendit epistola 63 aquarios non uti catholicas habet ecclesias, sed uti haereticos eosque haud admodum multos; vocat enim eos „quosdam“ et propter eorum „ignorantiam“ et „simplicitatem“ excusandos. — Quod denique *Iustinum* attinet, ad quem totam fere quaestionem reducit Harnack, imprimis manifestum est, eum neque vinum excludere neque unquam clare enuntiare, Eucharistiae materiam esse aquam. Praeterea, quamquam concedendum est duobus in locis perperam legi οἶνος, sc. Apol. 1, 54 et Dial. 69, cum ibi legendum sit ὄνος, unde tamen nihil potest concludi: Iustinus ubi de Eucharistia loquitur, et simul ponit ἄρτος καὶ ποτήριον ὕδατος καὶ κράματος (Apol. 1, 65) et bis diserte una cum pane vinum et aquam (οἶνος καὶ ὕδωρ) ponit (Apol. 1, 65 et 67).[1])

2. Ex *ratione theologica* ostenditur, utramque materiam congruentem esse.

a. *Duplicem* materiam huic sacramento congruere patet, quamvis Christus sit sub utraque specie. „Nam primo quidem hoc valet ad repraesentandam *passionem* Christi, in qua seorsum fuit sanguis a corpore separatus: unde et in forma consecrationis sanguinis fit mentio de eius effusione; secundo hoc est conveniens *usui* huius sacramenti, ut seorsum exhibeatur fidelibus corpus Christi in cibum et sanguis in potum; tertio quantum ad *effectum*, quod corpus exhibetur pro salute corporis et sanguis pro salute animae.“[2])

Quodsi quaeritur, quae sit utriusque speciei relatio ad sacramenti *integritatem*, „dicendum quod in sacramento duo sunt, sc. efficacia et significatio. Esse igitur de integritate sacramenti dupli-

---

[1]) De argumentis Harnackii, maxime ex Iustino allatis, cf. plura apud *Th. Zahn*, Brot u. Wein im Abendmahl der alten Kirche, et *Funk*, Kirchengesch. Abhandlungen 1, 10.

[2]) S. Th. 3 q. 76 a. 2 ad 1.

citer est: aut quantum ad *efficaciam*, et sic neutra species est de integritate sed quaelibet est totum quod habet efficaciam; aut quantum ad *significationem*, et sic sunt de integritate, quia in neutra per se exprimitur res huius sacramenti, sed in utraque simul." [1])

b. *Panis* et *vini* speciatim materiam esse convenientem, sic ostendit S. Thomas: „Panis et vinum sunt materia conveniens huius sacramenti: primo quidem ad *usum* huius sacramenti, qui est manducatio; sicut enim aqua assumitur in sacramento baptismi ad usum spiritualis ablutionis, quia corporalis ablutio communiter fit in aqua, ita panis et vinum, quibus communius homines reficiuntur, assumuntur in hoc sacramento ad usum spiritualis manducationis. Secundo quantum ad *passionem Christi*, in qua sanguis est a corpore separatus, et ideo in hoc sacramento, quod est memoriale dominicae passionis, seorsum sumitur panis ut sacramentum corporis, et vinum ut sacramentum sanguinis. Tertio quantum ad *effectum* consideratum in *unoquoque sumentium*, quia, ut Ambrosius (vel alius auctor) dicit super illud 1 Cor. 11: Hic calix novum Testamentum: «hoc sacramentum valet ad tuitionem animae et corporis; et ideo corpus Christi sub specie panis pro salute corporis, sanguis vero sub specie vini pro salute animae offertur». Quarto quantum ad *effectum* respectu *totius Ecclesiae*, quae constituitur ex diversis fidelibus, sicut panis conficitur ex diversis granis, et vinum fluit ex diversis uvis." [2])

SCHOLION. *Qualis* panis vinique requiratur species, dubitari aliquo modo potest.

1. De *pane* haec tenenda sunt.

a. Requiritur panis *triticeus*; et, ut habet Missale Romanum, „si panis non sit triticeus, non conficitur sacramentum". Ratio est, quia panis triticeus solus proprie dictus est panis. Triticum vero intelligitur quod dicitur triticum vulgare. Utrum aliquae aliae species, uti v. g. triticum spelta, materia sint apta, controvertitur. Qua in re sapienter monet Lugo, non tam debere attendi unitatem vel diversitatem specificam materiae, quam quid iuxta communem usum reputetur panis triticeus. [3])

---

[1]) S. Bonv. 4 dist. 11 p. 2 a. 1 q. 2.

[2]) S. Th. 3. q. 74 a. 1. — „In *pane* triplex unio attenditur, per quam triplex fraternitas sive causa et vinculum amoris, quod inter fideles esse debet, figuratur: Primo grana nobilia et sibi similia colliguntur. Secundo farina conspergitur per aquam, et pasta conficitur. Tertio, ut solidus fiat panis, pasta igne decoquitur. Primum scilicet grana similia significant fraternitatem et amorem naturalem, quia omnes de uno et primo parente sumus nati. Secundum scilicet panis igne solidatur spirituali. Tertium spiritualiter, quia uno Spiritu Sancto ad unam christianam religionem sumus congregati." Albert. M. De Euch. serm. 9.

[3]) Lugo, De Euch. disp. 4 sect. 1.

Rationes, cur panis *triticeus* sit omnibus aliis speciebus *aptior*, hae sunt: „Quia 1. hoc granum est purissimum, 2. quia ad panem communissimum, 3. et quia ad panem maxime nutritivum. Primo hoc granum est purissimum, quia haec species solum inter alias attingit complementum, id est summam puritatem. Secundo granum tritici est ad panem communissimum, quia competit sanis et infirmis, imo omni animali panem comedenti; et ideo vere est panis propter communis convenientiae nobilitatem. Tertio granum tritici est ad panem maxime nutritivum, quia puritate naturali et competibilitate communi maxime membris adhaeret et confortat, et hac ratione congruum est, ut nobilissimum corpus quasi nobilissimus panis filiorum Dei detur filiis sub specie nobilissimi panis, scilicet triticei.“ [1])

b. Disputatur de pane *azymo* et *fermentato*. Orientales, exceptis Armenis et Monophysitis, fermentato utuntur, et hunc solum materiam huius sacramenti legitimam esse affirmant. Occidentales in azymis conficiunt, utentes tamen fermentato non damnant; imo utrumque panem materiam validam esse docentes totam reliquam quaestionem ritus, non fidei habent. „Definimus . . . in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici; sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque sc. iuxta suae ecclesiae sive occidentalis sive orientalis consuetudinem.“ [2])

De quaestione vero *historica* haec certa videntur. *Christus* Dominus ipse in ultima coena, prout lex praecipiebat et prout ab evangelistis de primo die azymorum loquentibus innuitur, non alio pane quam azymo usus esse dicendus est; atque hoc certissimum quidem est, si, quod ex luculento trium synopticorum testimonio probabilissimum est, 14 die mensis Nisan, qua die nihil fermentatum in domibus Iudaeorum erat, Eucharistiam instituit; hoc idem autem satis certum propter illam quam legis praeceptis solebat praestare reverentiam, si, uti volunt Graeci, coenae legalis diem Christus anticipavit. De *Apostolis* nihil certi potest definiri. Verosimile autem est, eos pro varietate locorum, gentium, temporum modo azymo, modo fermentato usos esse. Qui porro priorum saeculorum sive apud Orientales sive apud Occidentales fuerit usus, non constat. Falsissimum autem est, quod nuper Authimus patriarcha in litteris suis contra Encyclicam ‚Praeclara gratulationis‘ 1895 scriptis asseruit, sc. ab Ecclesia latina non ante saeculum undecimum usum azymorum fuisse invectum. Iam enim Epiphanius (c. 365) Ebionitas dicit consecrasse in azymis [3]); Rabulas Edessenus († 435) reprehendit nonnullos fermentato utentes, siquidem Christus, ut ait, in paschate azymum discipulis proposuerit [4]); Alcuinus (c. a. 755) ex sententia omnium Latinorum esse significat, ut „panis absque fermenti infectione debeat esse mundissimus“ [5]); Rabanus (c. a. 847) docet, usum azymorum „ab Apostolis apostolicisque viris traditum Romanam ecclesiam et per totum paene occidentem omnes ecclesias eandem traditionem servare“ [6]); Michaël Caerularius, pri-

---

[1]) Albert. M. De Euch. serm. 10.
[2]) Eugenii IV Decret. unionis.
[3]) Epiph. Haer. 30, 16.
[4]) Cf. Bickell, Syr. Kirchen p. 251 sq.
[5]) Alcuin. Ep. 69 ad Lugdun.
[6]) Raban. De instit. cleric. 1, 31, 33.

mus azymorum impugnator, agnoscit patriarchas etiam Alexandrinum et Hierosolymitanum aliquando in azymis sacrum conficere sacrificium[1]; Leo IX (1049) scribit eidem Michaëli Caerulario Latinis azymorum usum exprobranti: „Ecce iam post mille ac ferme viginti a passione Salvatoris nostri annos incipit per vos discere Romana ecclesia, qualiter memoria passionis eiusdem sit recolenda, quasi nihil ei contulerit praesentia, conversatio et diuturna institutio seu, qua clarificavit Deum, mors pretiosa illius venerabilis senis, cui specialiter Christus Filius Dei vivi dixit: Beatus es, Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in coelis. Non ergo perpenditis, quanta impudentia dicatur Pater, qui est in coelis, abscondisse a principe Apostolorum Petro cultum sive ritum visibilis sacrificii etc.“[2]) Certum porro est nonnisi saeculo 11 Graecos incepisse de azymorum usu litem suscitare, idque ideo maxime, ut schismatis sui aliquem haberent praetextum.[3])

Rationes *congruentiae* pro utroque usu has habet S. Thomas: „Consuetudo de pane azymo celebrandi rationabilior est, primo quidem propter institutionem Christi, qui hoc sacramentum instituit prima die azymorum, qua die nihil fermentatum in domibus Iudaeorum esse debebat. Secundo quia panis est proprie sacramentum corporis Christi, quod sine corruptione conceptum est, magis quam divinitatis ipsius. Tertio quia hoc magis competit sinceritati fidelium, quae requiritur ad usum huius sacramenti, secundum illud 1 Cor. 5, 7: Pascha nostrum immolatus est Christus; itaque epulemur in azymis sinceritatis et veritatis. — Habet tamen haec consuetudo Graecorum aliquam rationem, et propter significationem, quam tangit Gregorius (sc. quod Verbum indutum est carne), et in detestationem haeresis Nazaraeorum, qui legalia evangelio miscebant.“[4])

2. De *vino* haec certa sunt.

a. Vinum debere esse *de vite* inde liquet, quod huiusmodi vinum solum proprie dicitur vinum. „Mustum iam habet speciem vini, et ideo de musto potest confici sacramentum.“[5]) Sed musti usus illicitus est.[6]) Licet vero vino, quo melius conservetur, addere spiritus aliquam quantitatem eiusdem speciei.[7])

---

[1]) Cf. Michaelis litteras apud Baron. ad annum 1054 et Will.

[2]) Cf. Harduin. 6 p. I p. 930.

[3]) Cf. de hac quaestione: Sirmondus, De azymo; Arcudius, De sacram. 3, 3; Allatius, De Eccl. Occ. et Or. perpet. consens. Mabillon, De azymo et fermentato; Bona, Rerum liturg. 1, 23; Martene, De antiq. Eccl. ritib. I p. I c. 3 a. 7; Giese, Erörterung der Streitfrage über den Gebrauch der Azyma.

[4]) S. Th. 3 q. 74 a. 4.

[5]) S. Th. 3 q. 74 a. 5 ad 3.

[6]) Cf. Rubric. Missalis tit. 4 n. 2.

[7]) Episcopo Massiliensi quaerenti, an vino albo Missae sacrificio inservienti, cum tam debile sit ac impotens ut diu conservari non valeat, liceat admisceri spiritus vini quantitas, die 31 iul. 1890 S. Inquis. Congregatio respondit: „Dummodo spiritus (alcool) extractus fuerit ex genimine vitis, et quantitas alcoolica addita una cum ea quam vinum, de quo agitur, naturaliter continet, non excedat proportionem duodecim procentum, et admixtio

b. Ex praecepto ecclesiastico, quod traditione innititur apostolica [1]) atque inde a Iustino plures Patres testes habet, vino ante consecrationem *aqua* admisceri debet, ea vero nonnisi *modica*.

Quae aqua non est de integritate, sed de congruitate sacramenti. Rationes affert Concilium Florentinum in decreto pro Armenis: „Aqua ideo admiscetur, quoniam iuxta testimonia sanctorum Patrum ac doctorum Ecclesiae creditur, ipsum *Dominum* in vino aqua permixto hoc instituisse sacramentum. [2]) Deinde, quia hoc convenit dominicae *passionis* repraesentationi, ubi sanguis et aqua ex latere Christi profluisse legitur. Tum etiam, quod convenit ad significandum huius sacramenti *effectum*, qui est unio populi christiani ad Christum. Aqua enim populum significat; in vino vero ostenditur sanguis Christi. [3]) Ergo cum in calice vinum et aqua miscetur, Christo populus adunatur, et fidelium plebs ei, in quem credit, copulatur et iungitur. Cum ergo tam sancta Romana ecclesia a beatissimis Apostolis Petro et Paulo edocta, quam reliquae omnes Latinorum Graecorumque ecclesiae, in quibus omnis sanctitatis et doctrinae lumina claruerunt, ab initio nascentis Ecclesiae sic servaverint et modo servent, inconveniens admodum videtur, ut alia quaevis regio ab hac universali et rationabili discrepet observantia.“ Aliam praeterea rationem affert Missale Romanum in ipso actu mixtionis haec dici iubens: „Da nobis per huius aquae et vini mysterium eius divinitatis esse consortes qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps.“ [4])

Quid *fiat* de aqua vino mixta in vini consecratione, non constat inter theologos. Audiatur S. Thomas: „Circa aquam adiunctam vino triplex est opinio. Quidam enim dicunt, quod aqua adiuncta vino per se *manet* vino converso in sanguinem. Sed haec opinio stare non potest, quia in sacramento altaris post consecrationem nihil est nisi corpus et sanguis Christi . . . alioquin non totum adoraretur veneratione latriae. Et ideo alii dixerunt, quod sicut vinum convertitur in sanguinem ita aqua *convertitur in aquam* quae de latere Christi fluxit. Sed nec hoc rationabiliter dici potest, quia secundum hoc aqua seorsum consecraretur a vino sicut vinum a pane. Et ideo aliorum opinio probabilior est, qui dicunt aquam *converti in vinum* et vinum in sanguinem.“ [5]) Attamen cum istiusmodi aquae in vinum conversio nec naturaliter fiat nec vi consecrationis, quippe cuius verba id nullatenus significent, quarta opinio omnium verosimilior est, secundum quam totum illud quod est in calice, vinum sc. cum aqua, ex institutione Christi *immediate in sanguinem* Christi converti existimatur. Atque haec sententia inter theologos recentiores communior dici potest.

---

fiat quando vinum est valde recens, nihil obstare, quominus idem vinum in Missae sacrificium adhibeatur.“

[1]) Cf. Decr. Congr. de Prop. Fide 30 ian. 1635.

[2]) Hunc regionis illius morem testatur Mischna Pesach 7, 13.

[3]) Cf. Cyprian. Ep. 63.

[4]) Quam rationem duplicis in Christo naturae significandae indicat iam Irenaeus (Adv. haer. 5, 1); quamobrem Ebionitas, ait, Christi divinitatem negantes „reprobare commixtionem vini coelestis et solam aquam saecularem velle esse, non recipientes Deum ad commixtionem suam“.

[5]) S. Th. 3 q. 74 a. 8.

Thesis 13.

Forma Eucharistiae sunt verba institutionis.

Duplex quaestio distinguenda est. Quaeri potest, utrum verbis Christi Eucharistiam instituentis fiat necne conversio. Quaeri porro potest, utrum illa verba habeant necne veram ac propriam rationem formae sacramentalis. Utramque quaestionem, quoniam altera cum altera intime nectitur, et alterum facile dabitur ab illis qui prius illud admiserint, simul tractabimus.

Ex *Graecis schismaticis* Nic. Cabasilas (s. 14), Marc. Eugenicus (s. 15) hisque clarius Pet. Mogilas (s. 17) non solo Domini sermone, quem potius ἐν εἴδει διηγήσεως proferri dicunt, dona docuerunt sanctificari, sed sermone hoc prout semel a Domino dictus efficax perduret vim exserturus, quando a sacerdote aliquamdiu post verba illa prolata fit invocatio Spiritus Sancti, quam ἐπίκλησιν vocant.[1]) Liturgiis, in quibus invocatio ista occurrit, permoti theologi aliqui *catholici*, Amb. Catharinus, Le Quien, Touttée, Renaudot, Le Brun aliique, et ipsi non per verba evangelica sola sed simul per annexam illam invocationem, quam in liturgia quoque Romana in oratione „Iube haec perferri“ reperire sibi videntur, consecrationem fieri existimaverunt.[2]) — Singularem opinionem nuper statuit *Watterich* ex „veteribus catholicis“, sc. consecrationem fieri non verbis, sed benedictione verba praecedente.[3])

Verum tenendum est, *verbis institutionis iisque solis* consecrationem et significari et fieri.

---

[1]) Cf. specimen huiusmodi ἐπικλήσεως in liturgia S. Chrysostomi (th. 3). — Quae hodiedum sit Orientalium hac in re fides, sic exponit *Maltzew*, praepositus capellae Russiacae Berolini (Die Liturgien der orthod. kath. Kirche, p. 303 sq.): „Wie (unter allen Kirchen) bezüglich der Transsubstantiation an sich Uebereinstimmung herrscht, so führen auch sämmtliche Liturgien, morgenländische wie abendländische, die Worte an, mit denen der göttliche Erlöser nach den Berichten der Evangelien die Feier seiner göttlichen Geheimnisse einsetzte . . . In den Worten, mit denen der Herr die h. Geheimnisse eingesetzt hat, ist eine allmächtige Kraft Gottes verborgen, die durch die Herabkunft des h. Geistes in Folge der Epiclesis zur Wirksamkeit geweckt wird.“

[2]) In Missali Romano, quod in partibus suis praecipuis saltem ad aetatem pertingit Damasi Papae (366—384), de Spiritu Sancto transformante sermo non est, nisi „angelus“, cuius mentio fit in oratione „Iube haec perferri“, dicatur esse Spiritus Sanctus. Formularum Gallicanarum aliae Spiritus Sancti Eucharistiam perficientis mentionem faciunt, aliae non faciunt.

[3]) *Watterich*, Der Consecrationsmoment im h. Abendmahle und seine Geschichte. — Sententiam hanc singularem refutavit *Schanz*, ‚Katholik‘ 1896 II 1 sq., 114 sq.

DEMONSTRATUR: **1.** *Solis verbis institutionis* fit transsubstantiatio.

Eodem modo consecratio nunc fieri dicenda est, quo Christus, id quod faciebat ab Apostolis fieri iubens, ipse eam in ultima coena peregit. Atqui Christus consecrationem peregit proferendo verba: „Hoc est corpus meum." Et sane:

1. *Concilium Tridentinum* (Sess. 13 cap. 1) licet formam, qua Christus sacramentum confecit, definire nollet, satis tamen clare innuit, hanc aliam non esse a verbis Christi. Redemptorem enim hoc sacramentum instituisse ait, cum post panis vinique benedictionem se suum ipsius corpus illis praebere ac suum sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est. Atqui „si tunc instituit, inquit Suarez, tunc et consecravit, quia non aliter instituit quam efficiendo consecrationem." [1]) — *Concilium Florentinum* (Decr. pro Armenis) expresse declaravit: „Forma huius sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit sacramentum: sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum; nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi et substantia vini in sanguinem Christi convertuntur."

2. Patet voluisse *Evangelistas* in re tanti momenti narrare omnia, quae ex Christi institutione necessaria essent ad consecrationem significandam et efficiendam; atqui praeter verba institutionis nihil prorsus referunt, quod aptum videatur ad consecrationem significandam et efficiendam.

3. *Patres* in idem omnino consentiunt. Identidem iam audivimus (cf. praesertim Iustinum, Iacobum Sarugensem, Chrysostomum, Ambrosium, Damascenum citatos in th. 3) Patres et affirmantes verbis Christi fieri consecrationem et mirantes et eloquentissime extollentes verborum horum vim et efficaciam. Audiatur hac de re unus Albertus M., qui verbum nostrum cum verbo Christi: „Hoc est corpus meum" eleganter comparans scribit: „Verbum Christi non est imperfectum sicut verbum nostrum. Nostrum enim verbum non est nisi angelus intelligentiae contemplativae, quod nihil facit in rebus, sed potius conceptus eius a rebus causatur. Verbum autem Filii Dei est angelus intelligentiae universaliter activae et suo lumine res omnes constituentis et facientis: et ideo verbum illius agentis intelligentiae, quod in se vehit lumen illud, quod omnia constituit, est causa eorum mutativa, creativa et constitutiva, sicut dicitur in Psalmo: ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt."

---

[1]) Suarez, Disp. 58 sect. 1.

2. *Forma* Eucharistiae sunt verba consecrationis.

Res ex ipsa verborum horum et significatione et efficacia est manifesta. Quam vero haec verba sint *apta*, ita explicat S. Thomas: „Quia forma debet esse conveniens rei, ideo forma huius sacramenti differt a formis aliorum sacramentorum . . .; formae aliorum sacramentorum important usum materiae, puta baptizationem vel consignationem; sed forma huius sacramenti importat solum consecrationem materiae, quae in transsubstantiatione consistit, puta cum dicitur: hoc est corpus meum.“

„Forma consecrationis *panis* (quae eadem de vino valent) debet significare ipsam conversionem panis in corpus Christi, in qua tria considerantur: scilicet ipsa conversio et terminus a quo et terminus ad quem. *Conversio* autem potest considerari dupliciter: uno modo ut in fieri, alio modo ut in facto esse. Non autem debuit significari conversio in hac forma ut in fieri, sed ut in facto esse. Primo quidem quia haec conversio non est successiva sed instantanea; in huiusmodi autem mutationibus fieri non est nisi factum esse. Secundo quia ita se habent formae sacramentales ad significandum effectum sacramenti, sicut se habent formae artificiales ad repraesentandum effectum artis; forma autem artificialis est similitudo ultimi effectus, in quem fertur intentio artificis; sicut forma artis in mente aedificatoris est forma domus aedificatae principaliter, aedificationis autem per consequens; unde et in hac forma debet exprimi conversio ut in facto esse, ad quod fertur intentio. Et quia ipsa conversio exprimitur in hac forma ut in facto esse, necesse est quod *extrema* conversionis significentur, ut se habent in facto esse conversionis. Tunc autem terminus ad quem habet propriam naturam suae substantiae; sed terminus a quo non manet secundum suam substantiam, sed solum secundum accidentia quibus sensui subiacet et ad sensum determinari potest. Unde convenienter terminus conversionis a quo exprimitur per pronomen demonstrativum relatum ad accidentia sensibilia, quae manent; terminus autem ad quem exprimitur per nomen significans naturam eius in quod fit conversio, quod quidem est totum corpus Christi, et non sola caro eius. Unde haec forma est convenientissima.“ [1])

Quaeritur, quomodo verba consecrationis esse possint sacramenti forma, cum illa sint quid *transiens*, sacramentum ipsum res permanens. Respondet Suarezius: „Intelligi possunt illa verba sacramentaliter informare illam materiam, quia ex consecratione resultat quaedam sacramentalis coniunctio inter talem materiam et formam,

---

[1]) S. Th. 3 q. 78 a. 1 et 2.

ratione cuius species determinantur per verba ad significandum quod continent . . . eadem ratione potest intelligi illa materia manere informata et determinata per illam formam etiamsi verba transierint." [1])

COROLLARIUM **1.** *Verba* ipsa Christi nec in diversis Scripturae libris nec in liturgiis diversis eodem modo referuntur. At discrimen non est nisi in rebus minoris momenti; in re ipsa consensus est. Diversarum vero liturgiarum verba consecrationis ortum suum habere dicenda sunt ex Apostolorum institutione Scriptura ipsa antiquiore.

S. Thomas, discedens hac in re a sententia Alberti M. magistri sui [2]), verba „novi et aeterni testamenti" usque ad „haec quotiescunque" pertinere putat ad integritatem praedicati ideoque esse de substantia formae; id quod indicare videtur Angelicum illa existimavisse simpliciter necessaria. Verum ex sententia communi theologorum tenendum est, verba illa vel quaevis alia sermonem institutionis comitantia *non* esse de *essentia* consecrationis, eo vel magis, quod in plurimis liturgiis non inveniuntur. Si vero Patres interdum videntur requirere preces Ecclesiae, exponendum est „ex quadam congruitate et decentia: tum ut minister sacramenti fateatur indignitatem et infirmitatem suam, tum etiam ut populus ad devotionem excitetur." [3])

2. De *virtute* verborum consecrationis haec habent Doctores. „In verbis formalibus huius sacramenti est quaedam virtus creata ad conversionem huius sacramenti faciendam, instrumentalis tamen, sicut et in aliis sacramentis . . . Cum enim haec verba ex persona Christi proferantur, ex eius mandato consequuntur virtutem instrumentalem a Christo, sicut et cetera eius facta vel dicta habent instrumentaliter salutiferam virtutem." [4]) „Ista oratio singularis est inter omnes orationes: aliae enim sunt indicativae veritatis sive existentiae; haec autem id ipsum, quod figurat, facit: unde est verbum operativum, et operativum non operatione successiva sed instantanea . . . . . et hoc totum facit virtute Verbi increati adiuncta ministro." [5]) — Patet ergo verba illa, quibus fit conversio, nequaquam esse, ut volunt haeretici, *concionatoria* tantum ad fidem excitandam, sed *consecratoria;* neque solum *recitative* proferri, sed *assertive* in persona Christi.

Verba igitur Christi sunt consecratoria *panis et vini*, si consecrationis nomine intelligitur translatio in statum sacrum per conversionem illarum substantiarum in rem sacratissimam; *corporis Christi*, si intelligitur praesentatio et positio ipsius in statu sacramentali; *sacramenti* denique, si spectatur conversionis illius terminus ad quem totalis.

SCHOLION. Quid igitur sibi vult illa deprecatio sive ἐπίκλησις, quae in liturgiis orientalibus et aliquibus occidentalibus occurrit, quaque post verba consecrationis prolata sacerdos Deum deprecari videtur, ut panem in Christi corpus convertat? Quicunque est sensus huius deprecationis, nequit ea certe ita intelligi verbis evangelicis accedere, ac si haec sola ad conse-

---

[1]) Suarez, Disp. 42 sect. 2.

[2]) Albert. M. De sacrif. missae tr. 3 c. 12.

[3]) Suarez, Disp. 58 sect. 3.

[4]) S. Th. 3 q. 78 a. 4.

[5]) S. Bonav. Dist. 8 p. 2 a. 1 q. 1.

crationem non sufficerent. Patet hoc ex iis, quae in thesi probata sunt. Agnoverunt id etiam Graeci ipsi, cum in Concilio Florentino in re ipsa cum Latinis se idem sentire profiterentur. Reliquorum enim nomine haec tunc declaravit Bessarion: „Quoniam ab omnibus ss. Doctoribus Ecclesiae, praesertim ab illo bb. Ioanne Chrysostomo, qui nobis notissimus est, audimus, verba dominica esse illa, quae mutant et transsubstantiant panem et vinum in corpus verum Christi et sanguinem, et quod illa verba divina Salvatoris omnem virtutem transsubstantiationis habent: nos ipsum ss. Doctorem et illius sententiam sequimur de necessitate.“ Et in actis Concilii haec leguntur: „Visum est Sanctitati tuae, ut sciretur Graecorum intentio, an tenerent illas orationes esse de substantia consecrationis: et confessi sunt, auditis rationibus nostris, quod *semper tenuerunt quod solis verbis dominicis conficeretur et quod putarent anathema qui aliud crederet.* Fuit institutum ut hoc poneretur in definitione: dixerunt quod hoc non erat necessarium; imo si poneretur, Ecclesia ipsorum reciperet ignominiam, ac si hactenus tenuissent aliud.“ [1])

Plures vero de sensu ipso illius deprecationis a theologis opiniones statuuntur; quae ad duas praecipuas videntur posse revocari.

1. Dici potest invocatio illa spectare non quidem ad naturale Christi corpus efficiendum, sed *mysticum*; ut nimirum, quemadmodum in liturgia Romana habetur, *nobis* fiat corpus et sanguis Christi, i. e. ut prosit nobis ad unionem et sanctitatem. Quae explicatio ideo quoque probari videtur, quod iuxta plures liturgias nomina „corporis“ et „sanguinis“ dici possunt, ut notat Lugo[2]), non esse ex parte praedicati sed ex parte subiecti seu appositive: oratur scilicet, ut ille panis, qui est corpus Christi, fiat nobis in salutem et remissionem peccatorum. Ita Graeci quoque in Concilio Florentino rem explicaverunt: „Fateri nos diximus, inquiunt, per haec verba (institutionis) consecrari divinum panem et confici corpus Christi, sed postea, quemadmodum ipsi dicitis: «iube haec perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum», ita nos quoque oramus dicentes, ut descendat Spiritus Sanctus super nos et efficiat in nobis panem hunc pretiosum corpus Christi sui . . .; transmutetque ipsa in Spiritu Sancto tuo, ut fiant communicantibus in purgationem animae.“ Confirmatur denique haec explicatio egregie iis quae in Testamento D. N. I. Chr. habentur. Hic enim epiclesis ad universam dirigitur Trinitatem et oratur: „Adfer hunc potum et hanc escam sanctitatis tuae, fac ut sint nobis non in iudicium neque in ignominiam vel in perditionem, sed in sanationem et in robur spiritus nostri.“ [3])

2. Cum tota illa liturgiae pars, quae a Latinis „actio“ sive „canon“, a Graecis ἀναφορά dicitur, ut *una* actio sacramentalis et sacrifica spectari debeat, consentaneum esse videtur, ut quod in instanti temporis fit, pluribus actibus et precibus exprimatur, quo distinctius et uberius declaretur ac veluti ob oculos ponatur; ita tamen, ut propter actionis unitatem actus hi et

---

1) Labbe, Tom. 18 p. 1176.

2) Lugo, De Euch. disp. 11 sect. 1.

3) Testamentum D. N. I. Chr. l. 1 de oratione sacrificii.

preces omnes ad unum illud idemque significandum concurrant.[1] Illustrari haec possunt ex ritu aliorum sacramentorum et ipsius Missae, ubi preces, ut e. g. „libera animas de poenis inferni, ex ore leonis"; „suscipe sancte Pater hanc immaculatam hostiam" (in Offertorio), nonnunquam intelligi debent referri ad aliud sane tempus ab eo quo dicuntur. Atque hoc modo Bessarion quoque rem explicavit. „Oportet, inquit, haec aliaque huiusmodi non tamquam in tempore, *in quo* dicuntur, sed tamquam in tempore, *pro quo* dicuntur, ita intelligere, ac si tempus illud maneret minimeque deflueret, sed in uno eodemque nunc illa dicerentur: profecto enim ita dicerentur, si fieri posset, et rerum natura minime repugnaret."[2]

Thesis 14.

Minister Eucharistiae est sacerdos.

Duplex distinguitur Eucharistiae minister: alter qui sacramentum *conficiat*, alter qui *dispenset*. Montanistae omnibus, etiam mu-

[1]) Nominatim dici potest *Spiritus Sanctus*, quem, ut iam dictum est, plures theologi illum eundem angelum esse volunt, qui in liturgia Romana dicitur dona in supremum altare perferre, invocari tamquam συλλειτουργός, et cui per appropriationem consecrationis opus attribuatur; Ecclesia vero tamquam Dei sponsa, non secus ac fecit B. Virgo Maria cum in obumbrationem Spiritus Sancti consentiret, ab ipso hoc Spiritu vivificatore „per vocem sacerdotis reposcere dotem suam, quae corpus et effusio sanguinis Filii est, ut ipsa in salvatione animarum beato partui apta sit . . . . dum oblatio illa sursum invisibiliter velut in puncto per virtutem Dei trahitur et iterum remittitur, ita in calore divinae maiestatis fovetur, cum caro et sanguis Unigeniti Dei efficitur . . . ut quemadmodum Filius Dei mirabiliter prius humanitatem in Virgine suscepit, ita etiam et nunc oblatio haec mirabiliter caro et sanguis eius in altari efficiatur" (S. Hildegardis, Scivias 2 visio 6). — Audias etiam pulcherrima aeque ac profundissima Fulgentii (Ad Monim. 2) hac de re dicta, qui postquam sacrificium eucharisticum toti offerri Trinitati contra Arianos ostendit, *Spiritus Sancti* tamen specialius postulari dicit missionem, et deinde sic pergit: „Considerare debemus, nomine Spiritus Sancti nonnunquam dona spiritalis gratiae nuncupari . . . praesertim dona caritatis et unanimitatis. Quando autem congruentius quam ad consecrandum sacrificium corporis Christi sancta Ecclesia, quae corpus est Christi, Spiritus Sancti deposcat adventum, quae ipsum caput suum secundum carnem de Spiritu sancto noverit natum? . . . Factum est caritate divina, ut ex ipso Spiritu corpus illius capitis esset renatum, de quo ipsum caput est natum: et ob hoc necessarium nobis est, ut sicut ex Spiritu Sancto natus est Christus, quando Deus Unigenitus in utero Virginis unitus homini suo tamquam sponsus processit de thalamo suo: sic Ecclesia dono Spiritus Sancti adhaereat Christo tamquam mulier viro suo et tamquam corpus capiti suo . . . . Gratia spiritalis per unitatem pacis et caritatem corpus Christi per dies singulos aedificare non desinit . . . et vos coaedificamini in habitaculum Dei in Spiritu . . . Haec aedificatio spiritalis nunquam oportunius petitur quam cum ab ipso Christi corpore, quod est Ecclesia, in sacramento panis et calicis ipsum Christi corpus et sanguis offertur."

[2]) Cf. de tota hac quaestione ‚Zeitschrift für kath. Theol.' 1897, 51 sq. et 372 sq. et auctores ibi citatos.

lieribus, Waldenses viris, Lutherus christiano cuilibet baptizato Eucharistiae conficiendae potestatem fecerunt. Verum Eucharistiae tum conficiendae tum dispensandae minister est *sacerdos;* atque conficiendae Eucharistiae minister est ipse solus idque iure divino, dispensandae solus ordinarius, ita ut diaconus quoque imo in casu necessitatis quilibet laicus ad id deputari possit. *Concilium Lateranense IV* (cap. ‚Firmiter') definivit: „Hoc sacramentum (Eucharistiam) nemo potest conficere, nisi sacerdos qui rite fuerit ordinatus secundum claves Ecclesiae, quas ipse concessit Apostolis eorumque successoribus Iesus Christus."

DEMONSTRATUR: Minister Eucharistiae sacramenti est *sacerdos.*

1. Ex *dignitate* huius sacramenti.

a. Ad sacerdotem spectat *consecratio* huius sacramenti „Hoc sacramentum est tantae dignitatis, quod non conficitur nisi in persona Christi. Quicunque autem aliud agit in persona alterius, oportet hoc fieri per potestatem ab illo concessam. Sicut autem baptizato conceditur a Christo potestas sumendi hoc sacramentum, ita sacerdoti, cum ordinatur, confertur potestas hoc sacramentum consecrandi in persona Christi. Per hoc enim ponitur in gradu eorum quibus dictum est a Domino Luc. 22, 19: Hoc facite in meam commemorationem. Et ideo dicendum est, quod proprium est sacerdotum conficere hoc sacramentum." [1])

Videlicet, in omnibus quidem sacramentis minister, qui illa conficit, Christi personam moraliter gerit, modo vero specialissimo in hoc sacramento Eucharistiae. „Formae aliorum sacramentorum proferuntur ex persona ministri, sive per modum exercentis actum sicut cum dicitur: ego te baptizo vel: ego te confirmo; sive per modum imperantis, sicut cum in sacramento ordinis dicitur: accipe potestatem etc.; sive per modum deprecantis, sicut cum in sacramento extremae unctionis dicitur: per istam unctionem. Sed forma huius sacramenti profertur quasi ex persona ipsius Christi loquentis, ut detur intelligi, quod minister in perfectione huius sacramenti nihil agit, nisi quod profert verba Christi." [2])

b. „Ad sacerdotem pertinet *dispensatio* corporis Christi propter tria. Primo quidem quia ipse consecrat in persona Christi; ipse autem Christus sicut consecravit corpus suum in coena, ita et aliis sumendum dedit: unde sicut ad sacerdotem pertinet consecratio corporis Christi, ita ad eum pertinet dispensatio. Secundo quia sacerdos constituitur medius inter Deum et populum: unde sicut ad eum pertinet dona populi Deo offerre, ita ad eum pertinet dona sancti-

---

[1]) S. Th. 3 q. 82 a. 1.

[2]) S. Th. 3 q. 78 a. 1.

ficata divinitus populo tradere. Tertio quia in reverentiam huius sacramenti a nulla re contingitur nisi consecrata: unde et corporale et calix consecrantur et similiter manus sacerdotis ad tangendum hoc sacramentum: unde nulli alii tangere licet nisi in necessitate, puta si caderet in terram, vel in aliquo alio necessitatis casu. — Diaconus quasi propinquus ordini sacerdotali aliquid participat de eius officio, ut scilicet dispenset sanguinem, non autem corpus nisi in necessitate, iubente episcopo vel presbytero.“ [1])

2. Ex ratione *sacrificii*, quae huic sacramento competit.

Eucharistiae sacramentum conficitur, cum sacrificium eucharisticum offertur. At vero et generatim sacrificium et sacerdotium intime iunguntur et speciatim huius sacrificii offerendi non est potestas nisi penes sacerdotes. Sacerdotibus enim iisque solis in ordinatione dicitur: „Accipe potestatem offerendi in Ecclesia sacrificium tam pro vivis quam pro defunctis“.

Hinc Concilium Tridentinum (Sess. 23 cap. 1) merito asserit: „Novum sacerdotium a Salvatore nostro institutum esse atque Apostolis eorumque successoribus in sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi et ministrandi corpus et sanguinem eius . . . sacrae Litterae ostendunt et catholicae Ecclesiae traditio semper docuit.“

3. Ex disertis *Scripturae* et *Traditionis* testimoniis.

In ultima coena, quando Christus Eucharistiae sacramentum instituit ac in posterum confici iussit, non quilibet christifideles aderant, sed Apostoli soli. Paulus porro et Apostolos comparat cum V. T. sacerdotibus, qui „in sacrario operantur“ „et qui altari deserviunt“, (1 Cor. 9, 13) et speciali modo vocat ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei (1 Cor. 4, 1) et ostendit solum eum „qui vocatur a Deo tamquam Aaron“ constitui, „ut offerat dona et sacrificia“ (Hebr. 5, 1 sq.; 8, 1 sq.). — Doctrina Apostolorum nexum statuit inter Eucharistiam et peculiare hominum genus a quo conficiatur; postquam enim de Eucharistia egit, immediate prosequitur: „Ordinate igitur vobis (χειροτονήσατε οὖν ἑαυτοῖς) episcopos et diaconos dignos Domino.“ [2]) Clemens Rom. monet, „sacerdotibus locum proprium adsignatum esse et levitis sua ministeria incumbere, hominem laicum praeceptis laicis constringi“, liturgiam porro et sacrificia facienda esse ordine, atque ideo a Christo Apostolos esse missos, ab Apostolis constitutos esse episcopos et diaconos. [3]) Ignatius M. ubi haereticos reprehendit, quod ab Eucharistia, carne sc. Salvatoris, abstineant, haec subiungit: „Illa firma Eucharistia reputetur, quae

[1]) S. Th. 3 q. 82 a. 3.
[2]) Doctr. Apost. 15, 1.
[3]) Clem. Rom. 1 Cor. 40 sq.

sub episcopo est vel quam ipse concesserit.“ [1]) Iustinus M. ordinem enarrans eorum, quae in synaxibus agebantur, haec habet: „Panis affertur et vinum et aqua, et qui praeest (ὁ προεστώς) [2]) preces et gratiarum actiones totis viribus emittit, et populus acclamat: Amen; et eorum in quibus gratiae actae sunt (ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων) distributio fit et communicatio unicuique praesentium, et absentibus per diaconos mittitur.“ [3]) Tertulliano idem est sacrificium offerre et esse sacerdotem [4]); testatur, „Eucharistiae sacramentum non de aliorum manu quam praesidentium sumi“ [5]). Origenes affirmat „sacerdotalis et levitici ordinis“ esse et homines baptizare et initiare „venerandis illis magnificisque sacramentis, quae norunt illi quos nosse fas est“ [6]); et scribit: „Qui adsistit altari, ostenditur fungi sacerdotis officio.“ [7]) Cyprianus: „Si Iesus Christus Dominus et Deus noster ipse est summus sacerdos Dei Patris et sacrificium Patri seipsum primus obtulit et hoc fieri in sui commemorationem praecepit, utique ille sacerdos vice Christi vere fungitur, qui id quod Christus fecit imitatur et sacrificium verum et plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre secundum quod ipsum Christum videat obtulisse.“ [8]) Augustinus vetat „ministris verbi et sacramenti“ premente persecutione fugere, sed vult praeberi „cibaria conservis suis, quos aliter vivere non posse noverunt“, ne sc. pereant, „quibus quotidianum ministerium dominici corporis defuit“. [9]) Constitutiones Apost. hunc accurate ponunt ordinem sacrorum officiorum: „Nec laicis permittimus quamlibet sacerdotalium functionum usurpare, ut sacrificium vel baptisma vel impositionem manus vel benedictio-

---

[1]) Ignat. M. Ad Smyrn. 7 et 8.

[2]) Ὁ προεστώς nequit intelligi nisi episcopus vel sacerdos; cf. 1 Thess. 5, 12 sq.; Rom. 12, 8; Act. 20, 28.

[3]) Iustin. M. Apol. 1, 67. — Idem Iustinus (Apol. 1, 65) haec habet: „Postquam qui praeest preces absolvit et populus omnis acclamavit, qui apud nos dicuntur diaconi panem et vinum et aquam, in quibus gratiae actae sunt, unicuique praesentium participanda distribuunt et ad absentes perferunt.“ Similiter Testamentum D. N. I. Chr. (2, 10): „Diaconus communionem non praebeat presbytero, sed discooperiat patenam vel pyxidem, et (ex ea) presbyter ipse sumat; diaconus populo communionem distribuat manu.“ Hinc patet munus distribuendae Eucharistiae populo quondam *diaconorum* fuisse. Verum disciplina haec postea mutata est ita, ut episcopus vel presbyter distribuat communionem sub specie panis, et diaconus porrigat calicem.

[4]) Tertull. Adv. Iud. 2.

[5]) Tertull. De corona 3.

[6]) Orig. Hom. 4, 1 in Iesu Nave.

[7]) Orig. Hom. 10, 2 in Num.

[8]) Cyprian. Ep. 63.

[9]) Augustin. Ep. 228, al. 180.

nem; nam per impositionem manuum episcopi datur haec dignitas, qui autem eam non habet sibi commissam, sed sibi illam rapuit, Oziae supplicium sustinebit.“ [1]) „Presbyter quidem doceat, offerat, baptizet, benedicat populo; diaconus vero ministret episcopo ac presbyteris, hoc est ministerium seu diaconatum exerceat, sed non peragat cetera.“ [2]) „Episcopus tribuat oblatam dicens: Corpus Christi, et qui recipit respondeat: Amen; diaconus vero teneat calicem ac tradendo dicat: Sanguis Christi, calix vitae, et qui bibit, amen respondeat.“ [3]) „A Domino edocti rerum consequentiam episcopis quidem quae ad pontificatum pertinent assignavimus, presbyteris vero quae ad sacerdotium, diaconis autem quae ad ministeria utrisque impendenda: ut quae ad cultum Dei spectant pure celebrentur; neque enim diacono licet sacrificium offerre aut baptizare aut benedictionem seu parvam seu magnam facere, neque presbytero ordinationes peragere: quia aequum non est ordinem inverti.“ [4])

SCHOLION. Quod sacerdotem *malum* et *haereticum* spectat, Eucharistiam valide ab ipso confici inde sequitur, „quod potestas consecrandi Eucharistiam pertinet ad characterem sacerdotalis ordinis, qui indelebilis est“ [5]), et „quia non merito consecrantis, sed in verbo perficitur Creatoris et virtute Spiritus Sancti“ [6]). — Accurate rem explicat S. Bonaventura: „Aliqui voluerunt distinguere, ex quibus videtur fuisse Magister, quod sacerdotes mali quidam occulte sunt mali et de Ecclesia saltem nomine et numero et quoad exteriorem faciem: et tales possunt (consecrare); alii vero sunt manifeste mali et ab Ecclesia praecisi: et tales non possunt. Sed haec positio videtur consonare positioni Cypriani, qui posuit quod haeretici non habeant sacramenta vera, quod satis improbat Augustinus. Propter hoc dicendum aliter, quod in sacramento duo attenduntur, sc. sacramenti veritas, quae consistit quantum ad rem primam, et sacramenti utilitas, quae consistit quantum ad rem ultimam, quae est incorporatio vel unio quantum ad corpus mysticum. Si de *veritate* sacramenti loquamur, veritas salvatur, ubi est ex parte ministri ordo et intentio et verbi prolatio, cum adest debitum elementum. Si autem loquamur quantum ad *utilitatem*, dicendum quod sacerdos bonus conficit ad utilitatem suam et assistentium, malus occultus ad damnum suum, nihilominus tamen ad utilitatem assistentium, qui cum fide et devotione Missam audiunt, sed praecisus et haereticus ad damnationem suam et omnium assistentium.“ [7])

---

[1]) Const. Ap. 3, 10.
[2]) Const. Ap. 3, 20.
[3]) Const. Ap. 8, 13.
[4]) Const. Ap. 8, 46.
[5]) S. Th. 3 q. 82 a. 8.
[6]) Paschas. De corp. Dom. 12.
[7]) S. Bonav. 4 dist. 13 a. 1 q. 1.

Articulus II.

De Eucharistiae sacramenti usu.

„In sumptione huius sacramenti duo sunt consideranda, sc. ipsum sacramentum et effectus ipsius. Perfectus igitur modus sumendi hoc sacramentum est, quando aliquis ita hoc sacramentum suscipit, quod percipit eius effectum. Contingit autem quandoque quod aliquis impeditur a percipiendo effectu huius sacramenti: et talis sumptio huius sacramenti est imperfecta.“ [1])

Quocirca duplicem huius sacramenti suscipiendi modum theologi distinguunt: sacramentalem sc. et spiritualem; et utrumque rursus dupliciter: sacramentalem, qui sit sacramentalis tantum et qui sit sacramentalis et spiritualis simul, id est qui fiat cum fructu; spiritualem, qui sit spiritualis et sacramentalis simul et qui sit spiritualis tantum, consistens nimirum in desiderio propositoque Eucharistiae suscipiendae et, modo ex caritate proficiscatur, fructum (ex merito utique operantis) producens spiritualem. De quibus ita disserit Concilium Tridentinum (Sess. 13 cap. 8): „Quoad usum autem recte et sapienter Patres nostri tres rationes hoc sanctum sacramentum accipiendi distinxerunt. Quosdam enim docuerunt sacramentaliter duntaxat id sumere ut peccatores; alios tantum spiritualiter, illos nimirum, qui voto propositum illum coelestem panem edentes, fide viva, quae per dilectionem operatur, fructum eius et utilitatem sentiunt; tertios porro sacramentaliter simul et spiritualiter: hi autem sunt, qui ita se prius probant et instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam hanc mensam accedant.“

Quibus praemissis dicemus de Eucharistiae suscipiendae *subiecto* [th. 15], *virtute* [th. 16], *necessitate* [th. 17].

Thesis 15.

Subiectum Eucharistiae suscipiendae est homo 1. solus, 2. baptizatus, 3. iustus.

Per se patet hominem, cum dicatur sacramenti huius subiectum, non intelligi nisi qui inter *vivos* degat. Quodsi aliquando in nonnullis regionibus etiam iis, qui iam e vita excesserant, eucharisticus panis ponebatur in ore, non sane Eucharistiae sacramentum iis existimabatur conferri, sed haec consuetudo erat, qua defunctis aliqua ratione credebatur succurri; quae ceteroquin consuetudo a pluribus synodis ut abusus est reprobatus.

[1]) S. Th. 3 q. 80 a. 1.

DEMONSTRATUR: 1. Homo *solus* Eucharistiae est subiectum. Ratio aliqua dubitandi est quod Ps. 77, 25 dicitur: „Panem angelorum manducavit homo"; super quod Glossa: „id est corpus Christi, qui est vere cibus angelorum". Verum, ait S. Thomas, „dupliciter contingit manducare spiritualiter ipsum Christum. Uno modo prout in sua specie consistit: et hoc modo angeli manducant spiritualiter ipsum Christum, in quantum ei uniuntur fruitione caritatis perfectae et visione manifesta (quem panem exspectamus in patria), non per fidem sicut nos ei hic unimur; alio modo contingit spiritualiter manducare Christum prout est sub speciebus huius sacramenti, in quantum scilicet aliquis credit in Christum cum desiderio sumendi hoc sacramentum, et hoc non solum est spiritualiter manducare Christum, sed etiam spiritualiter manducare hoc sacramentum, quod non competit angelis. Et ideo licet angeli spiritualiter manducent Christum, non tamen convenit eis spiritualiter manducare hoc sacramentum . . . . Et ideo dicitur homo manducare panem angelorum, quia primo et principaliter est angelorum, qui eo fruuntur in specie propria; secundario autem est hominum, qui Christum sub sacramento accipiunt." [1])

---

[1]) S. Th. 3 q. 80 a. 2. — Legere poteris libros pios magis quam veros et theologicos — quamquam, nisi in veritate et solida theologia fundantur, neque pii ullo modo esse possunt —, qui, quo donum, quod Eucharistiam instituendo Christus Dominus nobis contulit, efficacius extollant, rem ita declarant, ac si eodem prorsus nos nunc frueremur bono, quo *angeli* fruuntur in coelis, imo ac si esset angelis, cur nobis inviderent. Quae quam sint falsa, ut bene intelligas, audias quaeso hac de re loquentes Ecclesiae Doctores: „Ipsa est veritas, ipsa est sapientia, ipsa est virtus Dei: sed quomodo ea perfruuntur angeli, tu non potes. Illi enim quomodo perfruuntur? Sicuti est: in principio erat verbum. Tu autem quomodo contingis? Quia verbum caro factum est. Ut enim panem angelorum manducaret homo, creator angelorum factus est homo" (Augustin. In Ps. 134; cf. eundem in Ps. 33 et 146). „Cum scriptum sit, panem angelorum manducavit homo (Ps. 77), quia eodem Christo reficitur homo in via credendo, quo satiantur angeli in patria eum sicut est videndo, cum eodem fruuntur ut vivant sine sacramento, quo et nos ne moriamur cum sacramento: quando erimus sicut angeli Dei, numquid eum quem angeli sine sacramento vident revelata facie sicut est videre poterimus, nisi ablata umbra sacramenti? . . . Frustra oraremus, ut quod nunc specie geritur rerum veritate capiamus, si ibi etiam huius sacramenti haberemus umbram, ubi facie ad faciem sicut est videre speramus Christi gloriam. Quae enim remuneratio esset nobis in alia vita, si umbra sacramenti contegente veritas gloriae Christi nunquam nobis fieret manifesta? Unde Ambrosius in libro de officiis (1, 48): Illa igitur sunt nobis expetenda in quibus perfectio in quibus veritas est. Hic umbra, hic imago, illic veritas. Umbra in lege, imago in evangelio, veritas in coelestibus. Ante agnus offerebatur et vitulus; nunc Christus offertur, quasi recipiens passionem, et offert se ipse quasi sacerdos, ut peccata dimittat. Hic in imagine, ibi in

2. Homo solus *baptizatus* Eucharistiae est subiectum.

Dubium esse potest de catechumenis. Innocentius enim Papa (in cap. ‚Veniens') dicit, Eucharistiam sumi posse a non baptizatis. — Verum res est certa et probata iis, quibus ostenditur baptismum reliquorum sacramentorum esse ianuam. Rationem reddit Suarezius: „Sicut homo non genitus seu productus non capax est cibi et nutrimenti, ita neque homo non regeneratus per baptismum est capax huius sacramentalis cibi: quamquam ergo hi catechumeni, quatenus comedere possunt, possunt etiam velut materialiter sumere hoc sacramentum, non tamen proprie sacramentaliter, id est cum ordine ad spiritualem sumptionem. Papa Innocentius autem non scripsit illa verba docendo, sed disputando: unde ex resolutione totius capitis potius nostra sententia confirmatur: concludit enim ante baptismum sacramenta cetera non esse valida. Deinde intelligi potest de sumptione mere materiali et fructuosa, sicut ibidem ait, ante baptismum esse homines capaces coniugii: quod est verum materialiter in ratione contractus, non autem formaliter in ratione sacramenti." [1])

3. Homo solus *iustus* est subiectum; atque adeo Eucharistia sacramentum *vivorum* est.

1. Sequitur ex verbis *Pauli* 1 Cor. 11, 28 sq.

Verba Apostoli haec sunt: „Probet autem seipsum homo et sic de pane illo edat et de calice bibat: qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini". Quibus verbis Apostolus, cum in Corinthiis non quidem, ut contendunt Reformatores, infidelitatem, sed peccata contra mores reprehendat, nihil aliud monere censendus est, nisi ne quis cum conscientia peccati accedat.

2. Atque haec constans semper erat doctrina *Ecclesiae*.

---

veritate, ubi apud Patrem quasi advocatus pro nobis intervenit" (Alger. De sacram. 1, 8). „Defecit manna postquam comederunt de frugibus terrae, nec usi sunt ultra cibo illo filii Israel; sed comederunt de frugibus praesentis anni terrae Chanaan. Ita etiam in hoc transitu mundi utimur cibo Eucharistiae sub specie panis et vini velato: sed cum ad patriam veniemus, ipsam rerum veritatem gustabimus in vera specie Dei, qui est fructus terrae Chanaan, hoc est, transmutatae, quia ibi gratia transmutatur in gloriam" (Albertus M. De Euch. dist. 3 tract. 1). „Sapientia praevidit, ut rationales animas hominum, quas effecit similes angelis Dei, cibaret illo pane, quo angeli nutriuntur, sine quo nec illi nec isti vivere possunt, et hoc per aliquem modum convenientem nobis parvulis: quia impossibile est nobis comedere cum isto mortali corpore illum panem vitae in soliditate propriae formae, scilicet divinitatis" (S. Bonav. De praep. ad Miss. c. 7). „Fac nos divinitatis tuae sempiterna fruitione repleri, quam pretiosi corporis et sanguinis tui temporalis perceptio praefigurat" (Postcom. in fest. Corp. Chr.).

[1]) Suarez, Disp. 62 sect. 3.

Quam ita definivit Concilium Tridentinum (Sess. 13 can. 5 et 11): „Si quis dixerit, vel praecipuum fructum sanctissimae Eucharistiae esse remissionem peccatorum vel ex ea non alios effectus provenire: a. s.“ „Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem praeparationem ad sumendum sanctissimae Eucharistiae sacramentum: a. s. Et, ne tantum sacramentum indigne atque ideo in mortem et condemnationem sumatur, statuit atque declarat sancta Synodus illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcunque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario praemittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, praedicare vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus exsistat.“ [1])

3. Ex *ratione theologica* idem consequitur.

„Virtus huius sacramenti potest considerari dupliciter. Uno modo secundum se: et sic hoc sacramentum habet virtutem ad remittendum quaecunque peccata ex passione Christi, quae est fons et causa remissionis peccatorum. Alio modo potest considerari per comparationem ad eum, qui recipit hoc sacramentum, prout in eo invenitur vel non invenitur impedimentum percipiendi huius sacramenti effectum: quicunque autem habet conscientiam peccati mortalis, habet in se impedimentum percipiendi effectum huius sacramenti eo quod non est conveniens susceptor huius sacramenti, tum quia non vivit spiritualiter et ita non debet spirituale nutrimentum suscipere, quod non est nisi viventis, tum quia non potest uniri Christo, quod fit per hoc sacramentum, dum est in affectu peccandi mortaliter. Unde hoc sacramentum in eo, qui ipsum percipit in conscientia peccati mortalis, non operatur remissionem peccati.“ [2])

Quibus verbis *ratio* quoque rei explicatur. Est sc. hoc sacramentum institutum ad modum *cibi*. Iam vero „cibus non ordinatur de se ad vivificandum seu suscitandum mortuum, sed ad nutriendum vel confortandum hominem iam vivum.“ [3])

Quamobrem Christus eum, qui carnem suam manducaverit, *vitam habiturum* dicens, vitam conservaturum („ut non moriatur“) vel etiam magis esse habiturum dicere voluit. Verba vero, quibus asserit sanguinem se daturum in *remissionem peccatorum*, intelligenda sunt ita, ut sanguis ille, quem tunc dabat, idem significetur esse, qui in passione effundendus sit in remissionem peccatorum.

---

[1]) „Si non ex verbis Pauli secundum se, ex locis tamen illis Tridentini probari videtur praeceptum illud (confessionis) non esse mere ecclesiasticum, sed divinum.“ Lugo, Disp. 14 sect. 4.

[2]) S. Th. 3 q. 79 a. 3.

[3]) Suarez, Disp. 63 sect. 2.

Licet vero per se Eucharistiae sacramentum non sit institutum ad delenda peccata mortalia, plerique tamen theologi tenent, per *accidens* fieri posse ut ea deleat. „Potest hoc sacramentum operari remissionem peccati dupliciter. Uno modo non perceptum actu, sed voto, sicut cum quis prius iustificatur a peccato. Alio modo etiam perceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cuius conscientiam et affectum non habet: forte enim primo non fuit sufficienter contritus, sed devote et reverenter accedens consequetur per hoc sacramentum gratiam caritatis quae contritionem perficiet et remissionem peccati.“ [1])

SCHOLION **1.** De *infantibus* quaeritur, qui nondum ad usum rationis pervenerunt, et quibus in ecclesia occidentali usque ad saec. 12, in ecclesia orientali usque ad praesens tempus Eucharistia non raro administrabatur. De his haec statuit Concilium Tridentinum (Sess. 21 cap. 4 et can. 4): „Sancta Synodus docet, parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiae communionem, siquidem per baptismi lavacrum regenerati et Christo incorporati adeptam iam filiorum Dei gratiam in illa aetate amittere non possunt. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit. Ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse sine controversia credendum est.“ „Si quis dixerit parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiae communionem: a. s.“

Quodsi Patrum aliqui, uti Innocentius I [2]), Gelasius [3]), Augustinus [4]) *necessitatem* quandam Eucharistiae ab infantibus sumendae videntur admittere, vel concedendum est, eos a vero aberrasse, vel dicendum erit, eos Eucharistiam necessariam dicere „ratione rei contentae vel significatae: cum enim contineat Christum, cuius fides saltem implicita et unio necessaria est ad salutem, cum item significet unitatem corporis mystici, quam omnes debent necessario participare ut salvi fiant, hinc est, ut aliquando dicatur necessarius omnibus *effectus* Eucharistiae, hoc est, uniri corpori mystico, vel etiam ipse *Christus*, qui continetur in Eucharistia.“ [5])

Admittendum porro videtur, Eucharistiam infantibus administratam suum proprium producere *effectum*, gratiae sc. augmentum, non secus ac in adultis. *Cl. Oswald* [6]) aliquos veteres theologos secutus censet infantes proprium huius sacramenti effectum consequi non posse, atque optat, ut rationes, quibus sententiam tuetur, examini subiiciantur: cui voto obsecundantes,

---

1) S. Th. l. c.

2) Innoc. I Ep. 31, 5.

3) Gelas. Ep. 6, 5 sq.

4) Augustin. De pecc. mer. et rem. 1, 24, 34; c. duas ep. Pel. 2, 4; c. Iul. 3, 1.

5) Lugo, Disp. 3 sect. 2.

6) Oswald, Die dogm. Lehre von den h. Sacramenten. Von der h. Euch. § 16 p. 612 sq. 1893.

diffiteri non possumus suasu, nobis nec rationes allatas posse probari nec sententiam ipsam. Sententia enim, quae tenet, etiam infantes capaces esse effectus huius sacramenti, „habet maius *auctoritatis* pondus et *rationis.*“ [1])

1. Auctore cl. ipso fatente est nostro tempore „*opinio communis*“, teste Lugone „*communis* erat et *antiquiorum et recentiorum*“ [2]). Iam vero animus nobis non est in huiusmodi rebus a sententia communi discedendi.

2. Non videtur sententia illa cohaerere cum iis, quae theologi omnes de *efficacia sacramentorum* universe docent. Operantur enim sacramenta, quotiescunque nec obex nec ineptitudo adest suscipientis; at in infantibus obex nullus esse potest; erunt ergo inepti ad Eucharistiam suscipiendam. Iam vero si inepti sint, neque licebit eis Eucharistiam administrare neque licuit unquam. Quae enim ratio esse poterit administrandi Eucharistiam iis, qui effectui eius percipiendo sint inepti? „Ut declaretur, infantes membra esse Christi? Ut ad modum aquae benedictae eis prosit? Ut adstantes pie inde afficiantur?“ Has auctor cl. affert rationes. At sacramentum per se est dandum propter suum primarium effectum et non alias. Iam vero non est, quod ostendamus licuisse aliquando infantibus dare hoc sacramentum: auctor enim ipse hoc concedit et Concilium Tridentinum diserte declarat. — Deinde undenam illa infantium ineptitudo proficiscetur? Ex defectu „intentionis“, quam dicit auctor semper a theologis aliqualem requiri? At verum est, requiri huiusmodi intentionem in adultis, minime vero in infantibus: quod iam inde probatur, quod certe confirmationis sacramentum infantibus valide dari consentiunt omnes. Nec valet quod auctor advertit, confirmationem ideo validam esse in infantibus, quia characterem imprimit: nam non solum characterem imprimit, sed et gratiam auget. „Confirmationis sacramentum, inquit S. Bonaventura, competit omnibus (diserte enumerat infantes) propter *gratiae ampliationem*, quae ibi datur.“ [3]) — At „*quomodo* gratia baptismalis sine concursu activo hominis („ohne Zuthun“) per Eucharistiam augeatur, intelligere non possumus“. Respondemus: in re theologica, quod ignoramus, quomodo res aliqua sit, ratio sufficiens non esse videtur, ut de re ipsa eiusque veritate dubitemus. Numquid e. g. melius intelligemus, quomodo per baptismum gratia infundatur prima? Et nihilominus rem ipsam quis negabit?

3. Quae auctor de hac re sentit, non videntur posse componi cum illis, quae Patres omnes ac theologi de *mira corporis Christi virtute* praedicant. Docent enim carnem Christi per ipsam cum Verbo unionem vitae largitricem esse effectam, eandem in Eucharistia habere virtutem quae de Christo exibat, dum inter nos versaretur, esse eam prorsus similem ferro candenti, quod admota quaeque quodammodo in se transformat. De qua re in thesi sequenti dicemus.

Concludamus verbis, quae S. Thomas de confirmationis sacramento dixit: „*aetas corporalis non praeiudicat animae*“. [4])

---

[1]) Suarez, Disp. 62 sect. 4.

[2]) Lugo, Disp. 13 sect. 12.

[3]) S. Bonav. 4 dist. 8 a. 3 q. 1.

[4]) S. Th. 3 q. 72 a. 8 ad 2.

2. De *gravitate peccati*, quod committat qui suscipit hoc sacramentum cum conscientia peccati mortalis, nonnunquam poterunt audiri, quae cum sanae theologiae principiis difficulter componantur. Qua in re haec sunt tenenda: „*Per se* secundum rationem suae speciei, quae attenditur ex parte obiecti . . . quanto id contra quod peccatur est maius, tanto peccatum est gravius . . . . inde est quod gravissima peccata sunt quae committuntur in ipsam divinitatem, sicut est peccatum infidelitatis et blasphemiae; secundario autem sunt gravia peccata quae committuntur in humanitatem Christi . . .; tertio autem loco sunt peccata quae committuntur contra sacramenta, quae pertinent ad humanitatem Christi; et post haec sunt alia peccata contra puras creaturas. *Per accidens* autem unum peccatum est gravius alio ex parte peccantis (quatenus committitur ex ignorantia vel infirmitate vel contemptu): et secundum hoc istud peccatum (accedendi cum conscientia peccati mortalis ad hoc sacramentum) in quibusdam potest esse gravius, in quibusdam minus grave puta in his qui ex quodam timore, ne deprehendantur in peccato, cum conscientia peccati ad hoc sacramentum accedunt. Sic ergo patet, quod hoc peccatum est multis aliis gravius secundum suam speciem, *non* tamen *est omnium gravissimum* . . . Peccatum indigne sumentium hoc sacramentum comparatur peccato occidentium Christum (et Iudae Christum osculantis) secundum similitudinem, non tamen secundum criminis quantitatem . . . Dicendum quod ille qui proiiceret hoc sacramentum in lutum, multo gravius peccaret quam ille qui cum conscientia peccati mortalis ad hoc sacramentum accedit, primo quia ille hoc faceret ex intentione iniuriam faciendi huic sacramento . . . secundo quia peccator est capax gratiae, unde etiam magis est aptus ad suscipiendum hoc sacramentum, quam quaecunque alia irrationalis creatura.“ [1])

Rationem vero propriam peccati indignae communionis Angelicus ponit in eo, quod indigne suscipiens, cum sumendo „significet se esse Christo unitum et membris eius incorporatum . . ., *falsitatem* in hoc sacramento committit, et ideo incurrit sacrilegium“ [2]).

3. Ut Eucharistia consequatur effectum, nihil aliud requiritur quam ut homo immunis sit a conscientia peccati mortalis. Quid igitur de *praeparatione*, quae ei praemittenda est? Summopere videlicet hac in re cavendi sunt errores Iansenistarum. Isti enim, ut a frequenti communione fideles arcerent, ut erant plus aequo rigidi, ad digne accedendum condignam de peccatis patratis poenitentiam atque Dei amorem purissimum exigebant. Quae quam sint falsa, ex censura iam elucet, qua Alexander VIII confixit propositiones hasce: „Sacrilegi sunt iudicandi, qui ius ad communionem percipiendam praetendunt, antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint“; „arcendi sunt a sacra communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus et omnis mixtionis expers.“

Quod *peccata venialia* spectat, audiatur S. Thomas: „Peccata venialia dupliciter accipi possunt: uno modo prout sunt praeterita; alio modo prout sunt actu exercita. Primo quidem modo peccata venialia nullo modo impe-

---

[1]) S. Th. 3 q. 80 a. 5.

[2]) S. Th. l. c. a. 4.

diunt effectum huius sacramenti: potest enim contingere quod aliquis post multa peccata venialia commissa devote accedat ad hoc sacramentum et plenarie huius sacramenti consequatur effectum. Secundo autem modo peccata venialia non ex toto impediunt huius sacramenti effectum, sed in parte: effectus enim huius sacramenti non solum est adeptio habitualis gratiae vel caritatis, sed etiam quaedam actualis refectio spiritualis dulcedinis, quae quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc sacramentum per peccata venialia mente distractus; non autem tollitur augmentum habitualis gratiae vel caritatis."[1])

Ad *actualem devotionem* quod attinet, manifestum est, cum res sacrae propter suam dignitatem exigant peculiarem reverentiam ipsisque precibus recitandis praemittatur aliqualis praeparatio, qua cor avocetur ab externis et mens elevetur ad Deum, multo magis praeparationem aliquam necessariam esse ad divinissimam Eucharistiam suscipiendam. Requiritur autem haec praeparatio non solum ex consilio, sed etiam ex praecepto saltem sub veniali propter *reverentiam* tanto sacramento debitam. De qua praeparatione S. Bonaventura postquam tria probavit esse, quae exigat a nobis huius sacramenti digna susceptio, sc. corporalem munditiam, puritatem conscientiae, actualem devotionem, ita loquitur: „Actualem devotionem in te faciunt timor et amor. Timor incutit reverentiam, amor autem desiderium et affectum. Habeas reverentiam et timorem, terribilis enim est haec mensa . . . . Habe etiam desiderium, panis enim iste, ut dicit Augustinus, esuriem quaerit hominis interioris . . . . Unum est, quod omnibus generaliter tutum videtur: ut sc. ex reverentia timentes spem et desiderium non relinquamus, ut ex spe et fiducia non amittamus timorem et reverentiam; sed semper inter haec utraque confidentes et timidi fluctuemus. Ait enim S. Gregorius: nihil nobis securius quam sub spe timere."[2])

Verum actualem devotionem in communicante ad *effectum* Eucharistiae, sc. gratiam, obtinendum non requiri, dicit Lugo „sententiam communem in schola et omnino veram". — „Fatentur quidem, inquit, per actualem dispositionem melius disponi hominem atque adeo maiorem gratiam et uberiorem effectum sacramenti accipere; absque ea tamen devotione actuali, dum homo sit in statu gratiae, dari augmentum eiusdem gratiae ex opere operato virtute sacramenti." Et sane: Eiusmodi necessitas, cum pendeat ex libera voluntate Christi, non est ponenda absque fundamento sufficienti; quod tamen nullum est. Concilium porro Trident. (Sess. 13 c. 7) ex S. Paulo solum exigit probationem, qua homo se probat et invenit absque conscientia peccati mortalis. Consequitur idem ex usu dandi hoc sacramentum parvulis (et phreneticis et amentibus, qui prius habuerunt usum rationis), ex quo constat eos esse capaces recipiendi effectum sacramenti absque propria devotione. Si denique defectus devotionis impediret effectum omnem et omne augmentum gratiae, sequeretur, debere sub mortali hominem procurare devotionem actualem; quod tamen est contra omnium fidelium existimationem.[3])

---

1) S. Th. 3 q. 79 a. 8.

2) S. Bonav. Fascicul. 7.

3) Immerito igitur *Caietanus* (in 3 q. 79 a. 1) ex hoc quod multi, qui frequenter communicant, in virtute tamen non proficiunt, concludit effectus

Thesis 16.

Virtus Eucharistiae sacramenti ea est, ut Christus theandrice gratiam operetur in ordine ad transformandum hominem in seipsum.

Eucharistiae sacramentum Lutherus statuit efficere *peccatorum remissionem* peccatorumque conscientiam eius esse optimam praeparationem. Confessio vero Augustana Eucharistiam ideo voluit esse institutam, „ut recordatione promissionum Christi, quarum in hoc signo admonemur, *confirmetur* in nobis *fides* et foris *confiteamur fidem* nostram". Quae facile componemus, modo prae oculis habeamus, ex opinione Reformatorum sacramenta omnia non esse instituta nisi ad nutriendam *fidem*, qua fide sola efficiatur *remissio peccatorum*.

Sacramentorum N. T. omnium veram virtutem esse hanc, ut per ipsa vi ipsius signi sensibilis tamquam per causas instrumentales seu ex opere operato *gratia sanctificans* conferatur, probatum supponimus. Hic quae efficientiae et effectuum Eucharistiae sacramenti propria sunt inquiramus. Efficientiam autem Eucharistiae Christi operationem dicimus *theandricam*, effectum principem *gratiam*, eamque non quidem primam cum haec, uti probatum est, praeexigatur, sed secundam seu gratiae augmentum, id vero prorsus *speciale*.

DEMONSTRATUR: **1.** Eucharistiae *efficientia* est sita in Christi *operatione theandrica*.

„In sacramento Eucharistiae continetur ipse Christus *substantialiter*, in aliis autem sacramentis continetur quaedam *virtus instrumentalis participata a Christo*." [1]) „Principalis causa efficiens gratiae est ipse Deus, ad quem comparatur humanitas Christi sicut instrumentum coniunctum, sacramentum autem sicut instrumentum separatum; et ideo oportet, quod virtus salutifera *a divinitate Christi per eius humanitatem in ipsa sacramenta* derivetur." [2])

Ex his facile cognoscemus discrimen maximum, quod interest inter modum efficiendi Eucharistiae et reliquorum sacramentorum. Sunt haec, etiamsi ipsa eorum causalitas physica dicatur esse, velut actiones *moraliter* Christi, quibus inest dignitas ex persona et meritis ipsius Christi derivata; in Eucharistia vero ipse Christus sanctitatis

---

gratiae habitualis in Eucharistia non dari nisi mediante actuali fervore. Iuxta Suarezium enim (Disp. 63 sect. 3) frequentis communionis fructus satis iam elucet vel in eo solum, quod, qui frequenter accedit, peccata mortalia vitat atque in gratiae statu perseverat.

1) S. Th. 3 q. 65 a. 3.

2) S. Th. 3 q. 62 a. 5.

auctor intime sese nobis coniungens Deus-homo efficientia *physica* gratiam operatur, ut causa principalis quidem secundum divinitatem, secundum humanitatem ut per instrumentum unione hypostatica intime coniunctum. Iam vero huiusmodi actio, quam sc. persona Verbi humanae suae naturae opera et ministerio exercet, speciali modo *theandrica* dicitur operatio; cuius ratio in eo est, ut humana Christi natura ipsaque eius caro vim quandam mirificam acceperit ex divinitatis commercio, ut voce, tactu, quolibet alio modo stupenda et extraordinaria faceret tum quae ad vitam corporum spectant, tum spiritualia et quae naturam superant. Quamobrem iure merito Eucharistiae efficiendi modum Patres cum virtute comparant, „quae de illo exibat" in terris degente. „Accedamus cum fide singuli aegrotantes. Nam si ii, qui fimbriam vestimenti eius tangebant, tantam sibi attraxere virtutem, quanto magis ii qui ipsum totum tenent?" [1]) „Quoniam vita secundum naturam est Verbum a Deo Patre genitum, vivificam (ζωοποιόν) fecit carnem suam: ob id vivifica nobis facta est Eucharistia." [2]) „Si verum istud est, ignem materiae cuipiam admotum, eam natura sua minime calidam nihilominus calidam efficere, quippe huic insitae sibi virtutis efficientiam large communicat: cur non multo magis Verbum, cum sit Deus, propriae carni vivificam vim suam et efficientiam immittet, cum eam secum unitam propriamque reddiderit!" [3])

2. *Effectus* Eucharistiae sacramenti princeps est gratia et sunt alii effectus secundarii.

1. De effectu *principe*.

a. Operatur hoc sacramentum *gratiam*. Concilium Florentinum (Decret. pro Armenis): „Huius sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur et membris eius unitur, consequens est, quod per hoc sacramentum gratia augeatur; omnemque effectum quem materialis cibus et potus quoad vitam agunt corporalem sustentando, augendo, reparando et delectando, sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem."

S. Thomas rem multipliciter probat: „Effectus huius sacramenti debet considerari primo quidem et principaliter ex eo quod in hoc sacramento *continetur*, quod est Christus; qui sicut in mundum visibiliter veniens contulit mundo vitam gratiae, ita in hominem sacramentaliter veniens vitam gratiae operatur secundum illud: Qui manducat me vivet propter me. Secundo consideratur ex eo

---

[1]) Chrysost. In Matth. hom. 50.

[2]) Cyrill. Alex. In Matth. 11.

[3]) Cyrill. Alex. Dialog. ‚Quod unus sit Christus'.

quod per hoc sacramentum *repraesentatur*, quod est passio Christi; et ideo effectum, quem passio Christi fecit in mundo, hoc sacramentum facit in homine: unde ipse Dominus dicit: Hic est sanguis meus qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. Tertio consideratur effectus huius sacramenti ex *modo* quo traditur hoc sacramentum, quod traditur per modum cibi et potus; et ideo omnem effectum quem cibus et potus materialis facit quantum ad vitam corporalem, quod sc. sustentat, auget, reparat et delectat, hoc totum facit hoc sacramentum quantum ad vitam spiritualem: unde ipse Dominus dicit: Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus. Quarto consideratur effectus huius sacramenti ex *speciebus*, in quibus traditur hoc sacramentum; et sic est caritas . . . . Et quia Christus et eius passio est causa gratiae et spiritualis refectio et caritas sine gratia esse non potest, ex omnibus praemissis manifestum est quod hoc sacramentum gratiam confert." [1])

b. Verumtamen non utcunque, sed modo plane *speciali* hoc sacramentum operatur gratiam. Idque dupliciter:

α. „Per hoc sacramentum augetur gratia et perficitur spiritualis vita *ad hoc, quod homo in se ipso perfectus existat per coniunctionem ad Deum.*" [2]) Reliqua nimirum sacramenta vivorum non ordinantur per se primo et directe ad nutriendam caritatem propter solam maiorem perfectionem eius maioremque unionem cum Christo, sed ordinantur ad speciales effectus, propter quos conferunt specialia auxilia et aliquod augmentum gratiae: at vero hoc sacramentum, id quod proprium est alimenti, per se primo ordinatur ad perficiendam unionem; ad unionem sc. cum Christo, unde ipse: „Qui manducat . . . in me manet et ego in eo" (Ioan. 6, 57); ad unionem etiam cum corpore eius mystico iuxta illud: „Unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus" (1 Cor. 10, 17).

β. In reliquis sacramentis caritas per se non datur vel augetur nisi habitualis: at „per hoc sacramentum non solum habitus gratiae et virtutis confertur, sed etiam *excitatur in actum.*" [3])

Ex his, quam haec cum Deo arcta sit unio, sponte consequitur. Caritatis enim proprium cum sit amantem in amatum trahere atque in eum transformare, res Eucharistiae propria est hominis in Christum spiritualis *transformatio*. Atque hunc eius effectum exprimunt Patres. „Cibus sum grandium: cresce et manducabis me; nec tu me mutabis in te sicut cibum carnis tuae, sed tu mutaberis in me." [4])

---

[1]) S. Th. 3 q. 79 a. 1.
[2]) S. Th. l. c. ad 1.
[3]) S. Th. l. c. ad 2.
[4]) Augustin. Conf. 7, 10.

„Nolite mirari hoc: manducat nos et manducatur a nobis, quo arctius illi astringamur. Non sane alias perfecte unimur illi. Nam si manduco et non manducor, videbitur in me esse ille, sed nondum in illo ego. Quodsi manducor quidem, nec manduco, me in se habere ille, sed non etiam in me esse videbitur, nec erit perfecta unitio in uno quovis horum. Sed enim manducet me, ut habeat me in se, et a me vicissim manducetur, ut sit in me: quatenus integra firmaque sit connexio, cum ego in eo et nihilominus in me ipse erit.“ [1])

2. De effectibus *secundariis*.

De his haec habet Catechismus Romanus: „Vere ac necessario fons omnium gratiarum dicenda est Eucharistia, cum fontem ipsum coelestium charismatum et donorum omniumque sacramentorum auctorem Christum Dominum admirabili modo in se contineat, a quo tamquam a fonte ad alia sacramenta quidquid boni et perfectionis habent derivatur.“ Potiores vero ex unione illa cum Christo per Eucharistiam perfecta consequentes effectus hi sunt:

a. Eucharistia est „antidotum, quo *liberamur* a culpis *quotidianis* et *a mortalibus praeservamur*“ (Conc. Trident. Sess. 13 c. 2). Quod ab ipso Christo significatur dicente: „Si quis ex ipso manducaverit, non moriatur“ (Ioan. 6, 50), et in pane Eliae egregie praefiguratur (3 Reg. 19, 1 sq.). Id vero quomodo fiat sic explicat S. Bonaventura: „Cum hoc sacramentum sit unionis, effectus eius primus aut est unire, aut magis unire; sed non de novo unire, sed iam unitos magis unire. Magis autem unire est tripliciter: aut quia unitur maiori vinculo, ut ille magis unitur, qui maiorem habet caritatem; aut quia eodem vinculo unitur strictius ut ille qui secundum eundem habitum ferventius amat; aut quia eodem firmius, ut ille qui in eodem habitu est magis radicatus. Dicitur ergo hoc sacramentum magis unire, quia digne accedentem reddit ferventiorem, ut carbo ignitus, et iterum reddit fortiorem, ut bonus cibus. Et ex hoc, quod reddit caritatem magis ignitam, adiuvat ad consumendam peccati venialis rubiginem. Ex hoc, quod magis firmat, adiuvat ad vitandum omnia scelera. Et ratione utriusque valet ad augmentum virtutum, et maxime caritatis, quae est vinculum non quantum ad essentiam, sed quantum ad fervorem vel radicationem. Fervor enim minuitur quotidie per venialia, et radicatio; ideo oportet per hunc cibum restaurari deperditum . . . Ad illud, quod obiicitur, quod venialia delentur in contritione, dicendum, quod iste non est effectus primus, sed ex consequenti fit, quando homo indiget,

---

[1]) Bernard. Serm. 71, 5 in Cantic.

ut puta quando fervor caritatis per se non est ita intensus, quod peccata venialia deleat, adiungitur carbo divinus, per quem vigoratur, et vigorata delet venialia; nihilominus tamen, si non habet venialia, caritatis fervor vigoratur." [1]) — Huc spectant etiam illa Ioannis Chrysostomi verba: „Ab illa mensa recedamus tamquam leones ignem spirantes, diabolo terribiles . . . Hic sanguis animae nobilitatem marcescere non sinit, dum frequenter irrigat et nutrit . . Hic sanguis digne acceptus daemones procul pellit, angelos ad nos advocat ipsumque angelorum Dominum." [2])

b. Eucharistia *poenam* peccati remittit. Verum oportet hic distinguere Eucharistiae sacramentum et Eucharistiae sacrificium. Ut sacrificium est, habet vim satisfactivam, sicut infra patebit; ut sacramentum est, non est institutum ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum per unionem ad Christum. „Sed quia haec unitas fit per caritatem, ex cuius fervore aliquis consequitur remissionem non solum culpae, sed etiam poenae, inde est quod ex consequenti per quandam concomitantiam ad principalem effectum homo consequitur remissionem poenae, non quidem totius, sed secundum modum suae devotionis et ferroris." [3])

c. Carnis etiam *libidinem* cohibet ac reprimit: „Quis poterit tam efferos motus frangere? Quis pruritum ulceris huius ferre queat? Confidite, quia et in hoc gratia subvenit, ut securi sitis: sacramenti dominici corporis et sanguinis pretiosi investituram habetis . . . Si quis vestrum non tam saepe modo, non tam acerbos sentit iracundiae motus, invidiae, luxuriae, aut ceterorum huiusmodi: gratias agat corpori et sanguini Domini, quoniam virtus sacramenti operatur in eo, et gaudeat quod pessimum ulcus accedat ad sanitatem." [4]) „Ex hac mensa fons scaturit fluvios emittens spirituales. Ad hunc fontem eriguntur non salices infructuosae, sed arbores ad ipsum coelum pertingentes, quae fructus semper producunt tempestivos, qui nunquam marcescunt. Si quis aestuat, hunc adeat fontem et ardorem temperet. Nam aestum fugat et adusta omnia refrigerat: non quae ex solis ardore aestuant, sed quae igneis sagittis exusta sunt . . . . Ut si quis in liquefactum aurum manum vel linguam iniiciat, si tamen id fieri possit, statim inauratam reddit: id proposita mysteria longe melius animae praestant; fluvius enim igne ferventius ebullit; at non urit, sed abluit tantum." [5])

---

[1]) S. Bonav. 4 dist. 12 p. 2 a. 1 q. 3.
[2]) Chrysost. In Ioan. hom. 46.
[3]) S. Th. 3 q. 79 a. 5.
[4]) Bernard. Serm. de coena Dom.
[5]) Chrysost. l. c.

Qua vero ratione Eucharistia minuat concupiscentiam, discetur a S. Thoma: „Licet hoc sacramentum non directe ordinetur ad diminutionem fomitis, diminuit tamen fomitem ex quadam consequentia in quantum auget caritatem; directe autem confirmat cor hominis in bono, per quod etiam praeservatur homo a peccato." [1])

d. Eucharistia est pharmacum *immortalitatis*. Christus ipse hunc effectum Eucharistiae tribuit, cum dicat (Ioan. 6, 55): „Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die." Christus enim carnem nostram ex consanguinitate, quam cum ipso per unionem eucharisticam sortitur, velut suam ipsius carnem considerat gloriosae carni suae per resurrectionem conformandam. „Licet ergo corpus non sit immediatum subiectum gratiae, ex anima tamen redundat effectus gratiae ad corpus, dum in praesenti membra nostra exhibemus arma iustitiae Deo (Rom. 6, 13), et in futuro corpus nostrum sortietur (proprio et speciali titulo sc. propter specialem coniunctionem cum Christo factam per hoc sacramentum) incorruptionem et gloriam animae." [2])

e. Eucharistiae devote susceptae effectus et fructus esse solet *gaudium* spirituale. Qui effectus ex similitudine corporalis convivii deducitur. De eo ita loquitur S. Thomas: „Ex virtute huius sacramenti anima spiritualiter reficitur per hoc, quod anima spiritualiter delectatur et quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis divinae secundum illud Cant. 5, 1: Comedite, amici, et bibite et inebriamini, carissimi." [3]) Unde Eucharistia dicitur: *mel, panis omne delectamentum in se habens, calix inebrians, vinum laetificans cor hominis*. Hanc vero delectationem, cum ex actibus procedat amoris, ad quos homo in sumendo hoc sacramento excitatur, patet eo esse maiorem quo fervidiores illi sunt actus, et generatim ex devotione potius proficisci, qua quis accedit ad hoc sacramentum, quam ex sola quamvis digna eiusdem susceptione. [4])

SCHOLION 1. *Quo temporis instante* gratia conferatur Eucharistiam absque obice sumenti, accurate definire haud magni interesse videtur. Communis sententia tenet, id fieri, non cum ea ore suscipitur, sed cum deglutitur. Quaerunt praeterea doctores scholastici, utrum Eucharistia augeat gratiam non solum in ipsa sumptione, sed toto etiam illo tempore, quo species maneant in stomacho incorruptae. Id concedi et pie credi posse videtur, modo dispositio augeatur. Actuales gratiae per totum, quo in nobis Christus prae-

---

[1]) S. Th. 3 q. 79 a. 6 ad 3.

[2]) S. Th. 3 q. 79 a. 1 ad 3.

[3]) S. Th. l. c. ad 2.

[4]) Valent hic quae habentur ‚De imit. Chr.' 4, 12 et 15 et ‚Philothea' 4, 14. — Cf. de tota hac quaestione *Bellamy*, Les effets de la communion.

sens est, tempus certe nobis conferuntur; et perdurante devotione caritatis fervor tempore communionem consequente magis solet apparere.

2. Per se patet, Eucharistiae sacramentum tum ratione sacramenti generatim tum ratione modi, quo operatur — sc. operatur ad modum cibi — directe non prodesse, ut sacramentum est, nisi *sumentibus*. At indirecte *aliis* quoque, animabus praesertim purgatorii, maxime utile esse potest, tum propter indulgentias communioni haud raro annexas, tum quia communio ipsa est actus religionis coram Deo meritorius, qui pro aliis potest offerri, tum quia remissio poenae, quam suscipiens percipit, per modum suffragii aliis prodesse potest, tum quia preces, quas suscipiens pro aliis fundit, quo fervidiores esse solent, eo efficaciores quoque erunt. „Maximum hoc credimus adiumentum illis animabus (defunctorum) fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram iacet victima.“[1] Merito igitur a S. Congregatione damnatus est liber cuiusdam Theophili Raymundi, in quo communio pro mortuis oblata tamquam error traducitur.

Thesis 17.

Sumptio Eucharistiae necessaria est 1. necessitate praecepti, 2. medii necessitate quadam morali.

Illud dicitur necessarium necessitate *medii*, quod requiritur tamquam medium ad finem i. e. salutem; quae necessitas *absoluta* est, si illud ita requiritur, ut sine illo finis nullo modo obtineri possit, *moralis*, si illo deficiente nonnisi difficulter obtinetur. Necessitas vero *praecepti* dicitur ea, quae ex voluntate tantum oritur superioris praecipientis.

Quod necessitatem sumptionis attinet, ex Graecis schismaticis nonnulli et Calvinistae plures Eucharistiam necessariam esse dixerunt necessitate *medii* etiam parvulis, idque *absolute*.[2]

DEMONSTRATUR: **I.** Eucharistiae sumptio necessaria est necessitate *praecepti*.

1. Praeceptum *divinum* esse, vi cuius nemini, qui huius praecepti sit capax, ab Eucharistia prorsus abstinere liceat, ex verbis

---

[1]) Cyrill. Hier. Catech. 23, 9.

[2]) *Rosminii* damnata est haec propositio: „Quoniam qui non manducat carnem Filii hominis et bibit eius sanguinem, non habet vitam in se, et nihilominus qui moriuntur cum baptismate aquae, sanguinis aut desiderii certo consequuntur vitam aeternam: dicendum est, his, qui in hac vita non comederunt corpus et sanguinem Christi, subministrari hunc coelestem cibum in futura vita ipso mortis instante; hinc etiam sanctis V. T. potuit Christus descendens ad inferos seipsum communicare sub speciebus panis et vini, ut aptos eos redderet ad visionem Dei.“

Christi evincitur dicentis: „Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis“ (Ioan. 6, 54).

2. Quod *Ecclesiae* praeceptum attinet, „secundum diversum eius statum diversa circa hoc statuta emanaverunt. Nam in primitiva Ecclesia, quando magna vigebat devotio fidei christianae, statutum fuit, ut quotidie fideles communicarent. Postmodum vero, dimminuto fidei fervore Fabianus Papa indulsit, ut si non frequentius saltem ter in anno omnes communicent, scilicet in Pascha, Pentecoste et Natali Domini. Postmodum propter iniquitatis abundantiam refrigescente caritate multorum statuit Innocentius III in Concilio Lateranensi, ut saltem semel in anno scilicet in Pascha fideles communicent.“ [1])

2. Quod attinet necessitatem *medii* sumendae Eucharistiae:

1. *Nulla* est necessitas *absoluta.* Et sane: in tantum Eucharistia dici potest medium necessarium ad salutem, in quantum vel ad primam gratiam vel ad perseverandum in gratia medium esset necessarium; atqui ex neutro capite est medium necessarium.

Non ad gratiam *primam:* Tantum enim abest, ut Eucharistia medium necessarium sit ad primam gratiam, ut, quemadmodum thesi superiori probavimus, nullatenus sit instituta ad primam gratiam operandam. Non ad gratiam *secundam:* „Certo constat quamplures non solum parvulos sed etiam adultos salvos fieri sine Eucharistiae sumptione, quos vel impotentia vel ignorantia vel alia iusta causa excusat ab Eucharistiae usu.“ [2])

2. Eucharistiae sumendae est tamen adultis aliqua necessitas *moralis.* Id sane innuitur verbis Christi dicentis: „Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.“ Patet id quoque ex eis, quae thesi praecedenti de peccatis per Eucharistiam praecavendis et de concupiscentia minuenda diximus. Comprobatur vero luculenter quotidiana experientia.

SCHOLION. *Utramque* speciem eucharisticam sumendi necessitatem ex Hussitis docuerunt qui Calixtini vel Utraquistae vocantur, eosque Protestantes fere omnes secuti sunt, innisi praesertim verbis Christi: „Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.“

Quem errorem primum Concilium Constantiense, deinde Tridentinum damnavit, quod haec habet (Sess. 21 can. 1): „Si quis dixerit, ex Dei praecepto

---

[1]) S. Th. 3 q. 80 a. 10 ad 5.

[2]) Lugo, Disp. 3 sect. 2.

vel necessitate salutis omnes et singulos christifideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiae sacramenti sumere debere: a. s." Cf. can. 2 et 3.

Atque merito: nam necessitas utriusque speciei vel oreretur ex natura rei vel ex praecepto Christi; atqui neutrum dici potest. Non *ex rei natura:* nam, licet aliqui theologi (Halensis, Vasquez, Lugo etc.) uberiorem gratiae fructum ex sumptione utriusque speciei percipi velint, cum, ut probavimus, sub utravis specie Christus contineatur totus et integer, cumque ratio et essentia sacramenti tota inveniatur in utravis, „nulla certe gratia *necessaria* ad salutem eos defraudari patet, qui unam speciem solam accipiunt" [1]). Non *ex Christi praecepto:* nam, ut ait Concilium Tridentinum, „sancta Synodus, a Spiritu Sancto edocta atque ipsius Ecclesiae iudicium et consuetudinem secuta, declarat ac docet, nullo divino praecepto laicos et clericos non conficientes obligari ad Eucharistiae sacramentum sub utraque specie sumendum, neque ullo pacto salva fide dubitari posse, quin illis alterius speciei communio ad salutem sufficiat. Nam etsi Christus Dominus in ultima coena venerabile hoc sacramentum in panis et vini speciebus instituit et Apostolis tradidit, non tamen illa institutio et traditio eo tendunt, ut omnes christifideles statuto Domini ad utramque speciem accipiendam adstringantur. Sed neque ex sermone illo apud Ioannem recte colligitur, utriusque speciei communionem a Domino praeceptam esse, utcunque iuxta varias sanctorum Patrum et Doctorum interpretationes intelligatur. Namque qui dixit: Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, dixit quoque: Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum. Et qui dixit: Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, dixit etiam: Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Et denique qui dixit: Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo, dixit nihilominus: Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum."

Consuetudinem vero communicandi sub *una* tantum specie Concilium Constantiense (Sess. 13) dicit „ad evitandum aliqua pericula et scandala rationabiliter introductam esse". — Qua de re haec habet S. Thomas: „Quaeritur, quare populus non accipit sanguinem sub specie vini sicut sacerdos. Huius triplex ratio est: prima est, ad habendum vas congruum (specialiter consecratum) huius sanguinis contentivum; secunda ratio est vitandi periculum effusionis propter multitudinem, quae se circa altare comprimit; tertia ratio est, ad praecavendum erroris periculum: si enim populus rudis acciperet sanguinem sub specie vini, vix crederet, illum esse sub specie panis." [2])

---

[1]) Conc. Trid. Sess. 21 cap. 3.

[2]) S. Th. Op. 58, 29. — „Die Kelchentziehung, welche noch der Papst Gelasius I († 496) als ein Sacrilegium (eine Heiligtumsschändung) bezeichnete, begann erst vom 12. Iahrhundert an und wurde dann durch scholastische Spitzfindigkeiten gerechtfertigt." Luthardt, Apologetische Vorträge.

Trita sunt haec et inde a Chemnitio (Exam. p. 2 loc. 5) centies iam repetita et centies refutata. Ad Gelasium quod spectat, „dicendum quod loquitur quantum ad *sacerdotes*, qui sicut totum consecrant sacramentum, ita etiam toti communicare debent" (S. Th. 3 q. 80 a. 12 ad 1): id quod inde proba-

COROLLARIUM. Uberrimos et vere divinos dignae communionis fructus consideranti mirum esse non potest, Concilium Tridentinum (Sess. 22 cap. 6) optare, „ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent".

Attamen rem nimis exaggerant catholici nonnulli, qui quo efficacius Iansenistarum errorem impugnarent, asserere non dubitaverunt, usum *quotidianae* communionis a Christo ipso in baptismo singulis immediate concedi ideoque esse *de iure divino.* Iam anno 1679 die 12 febr. S. C. Conc. monuit, ut „episcopi et parochi seu confessarii redarguerent asserentes communionem quotidianam esse de iure divino". — Sana autem theologia haec hac de re docet: „Circa usum huius sacramenti duo possunt considerari. Unum ex parte ipsius sacramenti, cuius virtus est hominibus salutaris: et ideo utile est quotidie ipsum sumere, ut homo quotidie eius fructum percipiat . . . . Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur ut cum magna devotione et reverentia ad hoc sacramentum accedat: et ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est quod quotidie sumat. Unde Augustinus cum dixisset: «Accipe quotidie ut quotidie tibi prosit», subiungit: «sic vive, ut quotidie merearis accipere». Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta huius devotionis occurrunt, propter corporis indispositionem vel animae, non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc sacramentum accedere." [1]) „In hoc sacramento duo requiruntur, sc. desiderium coniunctionis ad Christum, quod facit amor, et reverentia sacramenti, quae ad donum timoris pertinet: primum incitat ad frequentationem huius sacramenti quotidianam; sed secundum retrahit. Unde si aliquis experimentaliter cognosceret, ex quotidiana sumptione fervorem amoris augeri et reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare; si autem sentiret, per quotidianam frequentationem reverentiam minui et fervorem non

---

tur, quod loco illi Gelasiano, qui legitur in Decreto Gratiani (3 p. de consecratione dist. 2 cap. 12), praefixus est titulus: „corpus Christi sine eius sanguine sacerdos non debet accipere". Alii volunt, Gelasium hic reprehendere illos dumtaxat, qui ex superstitione Manichaeorum a calice abstinebant. — Videlicet: antiquitus, sc. usque ad saeculum 9, Eucharistiam laici, maxime viri, manu solebant accipere, deinceps ea in ore ponebatur eorum; communio sub una tantum specie, quamvis usque ad saeculum 12 in ritu eucharistico celebrando rarius videatur occurrisse, tamen primis iam saeculis certe erat in usu et inde a saeculo 12 communior evasit. Cf. Hoffmann, Geschichte der Laiencommunion; Funk, Abhandlungen, 1, 11.

Verum quid his immorabimur? Satis enim constat, quam parvi et Pontificum et Conciliorum iudicia faciant istiusmodi homines, qui cum his ipsis iudiciis nos committere conantur. Audias Lutherum (Eine weise christliche Messe zu halten): „Wenn sich schon der Fall begeb, das es ein Concilium also wider einsetzet oder erlaubet, das wir alsdenn gleich eben darumb ehe wolten alles thun was wir moechten, ehe wir erst aus irem erlauben beide gestalt gebrauchen wollten. Ja vielmehr wolten wir nu das Concilium mit seinem spruch oder gesetz verschmehen, und entweder nur ein gestalt oder aber gar keine empfahen."

[1]) S. Th. 3 q. 80 a. 10.

multum augeri, talis deberet interdum abstinere, ut cum maiori reverentia et devotione postmodum accederet.“ [1]) „Si quaeritur, utrum expediat frequentare alicui, dicendum quod si videat se esse in statu Ecclesiae primitivae, laudandum est quotidie communicare; si autem in statu Ecclesiae finalis, utpote frigidum et tardum, laudandum est quod raro; si autem medio modo, medio modo se debet habere, et aliquando debet cessare, ut addiscat revereri, aliquando accedere, ut inflammetur amore: quia tali hospiti debetur honor, debetur et amor.“ [2]) Cf. plura hac de re penes Lugonem. Teneatur praesertim quod Innocentius XI sapienter decrevit: „Frequens ad sacram alimoniam accessus *confessariorum* secreta cordis explorantium iudicio est relinquendus.“

Verum, ne haec praepostere accipiantur, quod praxim et populi fidelis institutionem attinet, hisce nostris praesertim temporibus, quae suo tempore iam bene monuit Lugo, sedulo sunt retinenda. „Concionatores regulariter debent ad *frequentiam* incitare: tum quia populus hoc saeculo multo magis inclinat ad raritatis quam frequentiae vitium; tum, si frequentia reprehendatur, facile fiet, ut plures suam desidiam reverentiae velamine simulare velint; tum etiam, quia multo plura inconvenientia ex raritate nascuntur quam ex frequentia, nam ut plurimum ad frequentiam non declinabunt nisi timorati et pii . . . . Decet ergo theologum scire, quid doceat theologica veritas in hoc negotio, sermonem tamen temperare et apud plebem in favorem frequentiae loqui, prout ss. Patres et theologi omnes scholastici fecerunt. Faxit Deus, ita omnes sentiamus et loquamur, prout ad huius venerabilis sacramenti reverentiam magis expedit et ad nostrarum animarum utilitatem.“ [3])

O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur!

Caput III.

De Eucharistiae sacrificio.

Discrimen, quod interest inter Eucharistiae sacramentum, de quo egimus hucusque, et Eucharistiae sacrificium, quod sumus consideraturi, praecipuum est in eo, quod sacramentum est medium hominum sanctificandorum, sacrificium vero medium Dei colendi. Quae inde sequuntur alia discrimina summaque totius subsequentis tractationis capita dilucide sic exponit Catechismus Romanus: „Differunt plurimum inter se hae duae rationes. Sacramentum enim consecratione perficitur; omnis vero sacrificii vis in eo est ut offeratur: quare sacra Eucharistia, dum in pyxide continetur vel ad aegrotum

---

[1]) S. Th. 4 dist. 12 q. 3 a. 1.

[2]) S. Bonav. 4 dist. 12 p. 2 a. 2 q. 2.

[3]) Lugo, Disp. 17.

defertur, sacramenti, non sacrificii rationem habet. Deinde etiam, ut sacramentum est, iis, qui divinam hostiam sumunt, meriti causam adfert et omnes illas utilitates, quae superius commemoratae sunt; ut autem sacrificium est, non merendi solum, sed satisfaciendi quoque efficientiam continet: nam ut Christus Dominus in passione sua pro nobis meruit ac satisfecit, sic qui hoc sacrificium offerunt, quo nobiscum communicant, dominicae passionis fructus merentur ac satisfaciunt."

Agendum erit de *veritate*, de *essentia*, de *virtute* huius sacrificii.

Articulus I.

De veritate sacrificii eucharistici.

Errores contrarii. Sacrificii eucharistici veritatem infitiatus est *Lutherus*[1]), cui sectarii omnes consensu unanimi suffragati sunt, quamvis sensu latiore et improprio sacrificium vocare Eucharistiam subinde non recusent.

---

1) Lutherus, ut Missae sacrificium repudiaret, a diabolo se edoctum atque adductum esse candide fatetur: „Ich will an mir anheben und für euch heiligen Vetern eine kleine Beicht thun, gebet mir eine gute Absolution, die euch selbs nicht schedlich sey. Ich bin ein mal zu mitternacht aufferwacht, da fieng der Teufel mit mir in meinem hertzen eine solche Disputation an (wie er mir denn gar manche nacht bitter und sawer genug machen kan). Höret irs, Hochgelerter, wisset ir auch, das ir funffzehen jar lang habt fast alle tage Winkelmessen gehalten. Wie, wenn ir mit solcher Messe hettet eitel Abgötterei getrieben und nicht Christus Leib und Blut sondern eitel Brod und Wein da angebetet und anzubeten andern furgehalten? Ich antwortet, Bin ich doch ein geweiheter Pfaff, habe Cresem und Weihe vom Bischoff emphangen dazu solches alles aus befehl und gehorsam gethan, wie sollt ich denn nicht haben gewandelt, weil ich die wort mit ernst gesprochen und mit aller möglicher andacht Messe gehalten. Das weissestu furwar; ja, sprach er, es ist war; aber die Türcken und Heiden thun auch alles in iren Kirchen aus befehl und ernstlichem gehorsam. Die Pfaffen Jerobeam zu Dan und Bersebe theten alles vieleicht mit grösser andacht weder die rechten Priester zu Jerusalem. Wie wen deine Weihe Cresem und consecrirn auch unchristlich und falsch were, wie der Türcken und Samariter? Hie brach mir warlich der Schweis aus, und das hertz begont mir zu zittern und zu pochen. Der Teufel weis seine argument wol anzusetzen uns fortzudringen und hat eine schwere starcke sprache, und gehen solche Disputation nicht mit langen und viel bedenken zu, sondern ein augenblick ist ein antwort ums ander. Und ich habe da wol erfaren, wie es zugehet, das man des morgen die Leute im bette tot findet. Er kan den Leib erwürgen. Das ist eins. Er kan aber auch der Seelen so bange machen mit Disputirn, das sie ausfaren muss in einem augenblick wie ers mir gar offt fast nahe gebracht hat. Nu er hatte mich in dieser Disputation ergriffen, und ich wollte ja nicht gern fur Gott ein solchen un-

Doctrinam catholicam contra hos Concilium Tridentinum (Sess. 22) sic definivit:

„Deus et Dominus noster, etsi semel seipsum, in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut aeternam illic redemptionem operaretur: quia tamen per mortem sacerdotium eius extinguendum non erat, in coena novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectae sponsae suae Ecclesiae visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur, eiusque memoria in finem usque saeculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur; sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit; ac sub earundem rerum symbolis Apostolis, quos tunc Novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit; et iisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit per haec verba: hoc facite in meam commemorationem, uti semper catholica Ecclesia intellexit et docuit; nam celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Aegypto multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituit Pascha, seipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit eripuitque de potestate tenebrarum, et in regnum suum transtulit. Et haec quidem illa munda oblatio est, quae nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest: quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam praedixit; et quam non obscure innuit Apostolus Paulus Corinthiis scribens, cum dicit, non posse eos, qui participatione mensae daemoniorum polluti sunt, mensae Domini participes fieri: per mensam altare utrobique intelligens. Haec denique illa est, quae per varias sacrificiorum, naturae et legis tempore, similitudines figurabatur; utpote quae bona omnia, per illa significata, velut illorum omnium consummatio et perfectio complectitur.“ (Cap. 1.)

„Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari: a. s.“ (Can. 1.)

---

zeligen hauffen grewel auff mir lassen sondern meine unschuld verteidigen und höret im zu, was er für ursachen hette wider meine Weihe und Consecrirn.“ Von der Winckelmesse und Pfaffenweihe. 1853. — Sequuntur deinde argumenta „diabolica“; quae, cum a mendacii primo proficiscantur auctore, nisi sophismata vel mendacia non esse, opus non est ut demonstretur.

„Si quis dixerit, illis verbis: hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos sacerdotes; aut non ordinasse, ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum: a. s.“ (Can. 2.)

„Si quis dixerit, Missae sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere: a. s.“ (Can. 3.)

„Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto per Missae sacrificium, aut illi per hoc derogari: a. s.“ (Can. 4.)

Thesis 18.

Missa est sacrificium proprie dictum.

Generatim reperiri in N. T. aliquod sacrificium proprie dictum iugiter celebrandum probavisse sufficiet: hoc enim probato, cum de alio ritu controversia nulla sit, Eucharistiae celebrationem seu Missam sacrificium illud esse liquet.

Vocem *Missae* inde ab Ambrosio et Augustino in Ecclesia latina usitatissimam reperimus ad celebrationem Eucharistiae significandam. Quod ad vocabuli etymologiam attinet, absque dubio illud est originis latinae nihilque aliud significare videtur quam missionem seu dimissionem populi, quae finito evangelio et finito toto ritu fieri solebat; unde postmodum ad totam actionem eucharisticam significandam est translatum. [1])

Quando Missam proprie dictum sacrificium esse asserimus, profecto mens nostra non est, ut, quemadmodum Chemnitius imperite aeque ac impudenter catholicos calumniatur, summam illam verborum, rituum, gestuum, vestium etc. sacrificium dicamus, sed sacrificium dicimus actionem sacram, qua Eucharistia conficitur, et cuius illa omnia non sunt nisi accidentalia ornamenta.

DEMONSTRATUR: Missa *sacrificium* est proprii nominis.

I. Ex *ratione theologica* suadetur.

1. Ex idea ac necessitate *religionis.* Tanta est ex ipsa hominis natura, ut in tractatu de Verbo incarnato audivimus, coniunctio inter cultum Dei seu religionem et sacrificium proprie dictum „ut

---

[1]) Absurdissimi sunt Lutherus (Ep. in libr. de Missa priv.) et Chemnitius (Exam. 2 p.), qui nomen ab hebraeo מָעֻזִּים deducunt, quod apud Dan. 11, 38 de Antichristo dicitur, et quo, ut illi contendunt, significetur Missam esse arcem et robur Antichristi Romani i. e. Papae.

necesse sit, aut legem et religionem vere et proprie in Christi Ecclesia non reperiri, aut sacrificium quoque externum et proprie dictum“ [1]).

2. Ex comparatione cum *Vetere Testamento*. „Quoniam tempus gratiae revelatae requirit, quod iam non offeratur oblatio qualiscunque, sed pura, placida et plenaria, et nulla alia oblatio est talis nisi illa quae in cruce fuit oblata, sc. Christi corpus et sanguis: hinc est, quod necessario oportet in hoc sacramento non tantum figurative, verum etiam veraciter corpus Christi tamquam oblationem huic tempori debitam contineri.“ [2])

3. Ex comparatione ad sacrificium *crucis*. „Necessarium fuisse dicendum est, salutare hoc Eucharistiae sacrificium nobis a Domino relinqui, ut eo ipso praeter reliqua sacramenta meritum passionis eius non uni aut alteri tantum homini sed universae etiam Ecclesiae prodesset atque ut in ipsa perfectissima Christi lege visibile externumque sacrificium inveniretur, quo fideles Dei opem et auxilium implorare atque adeo impetrare possent. Nam si ante Christi adventum per ea sacrificia, quae futuram redemptionem praesignabant, patrum, qui per fidem in ipsum Redemptorem ferebantur, spes excitabatur, qua quidem erecti utilitatem passionis eius in se traducere potuerunt: multo quidem magis decuit, hoc Missae sacrificium, quod non offerendum sed oblatum in cruce Dominum significat atque comprehendit beneficium mortis eius, christianis omnibus conferri.“ [3])

— Quam triplicem rationem sic breviter enuntiat Leibnizius: „Conveniens erat religionem christianam sine sacrificio non esse, et oblationem nostram in Veteris Testamenti sacrificiis tantum praefiguratam, quemadmodum omnium dignissima et perfectissima est, ita et iugem ac perpetuam esse, cum et summi sacerdotis nostri officium sacerdotale perpetuum esse in Psalmo insinuetur.“ [4])

2. Ex *Scriptura* probatur.

1. *Figurae* sacrificii eucharistici insignes sunt sacrificium Melchisedech et agnus paschalis.

a. De *Melchisedech* legitur (Gen. 14, 18 sq.): „Melchisedech, rex Salem, proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi, benedixit ei (Abrahamo).“ Iam vero Melchisedech hic narratur sacrificium tulisse, quod typus est sacrificii eucharistici. Quod patet tum ex textu ipso: Melchisedech enim panem et vinum in sacrificium obtulisse exhibetur; tum ex Psalmo 109, 4 et Hebr. 5, 6;

---

[1]) Bellarm. De Missa 1, 20.

[2]) S. Bonav. Brevil. 6, 9.

[3]) Doctrina de sacrif. Missae proposita examinanda Patribus Tridentinis apud Theiner, Acta Conc. Trid. 2 p. 74.

[4]) Leibniz, Syst. theol. 53.

6, 20: „Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech“: Christus enim nec sacerdos in aeternum nec multo minus secundum ordinem Melchisedech proprie dici poterit nisi inquantum perenniter ac incruente offerat sacrificium, quod in solo eucharistico sacrificio locum habet.

Nec valet, quod dicunt Protestantes, Melchisedech legi panem et vinum non obtulisse, sed protulisse הוֹצִיא, ad Abraham sc. suorumque *refectionem*. Nam posita etiam hac explicatione, manet Melchisedechi typica ratio atque ad incruentum N. T. sacrificium habitudo; cum enim Aaroni in lumbis Abrahae benedicat, eius prae Aaronico sacerdotio apparet excellentia, et Christus ipse sacerdos dicitur esse secundum ordinem eius. Deinde nequit admitti explicatio illa. Quamquam enim verbum hebraicum per se non significet nisi proferre et ex hac sola voce sacrificium nequeat demonstrari, haec tamen prolatio panis et vini ex declaratione addita „erat sacerdos כֹּהֵן Dei altissimi“ ad oblationem determinatur sacrificalem. Non autem licet hoc additum ad sequentia trahi, sc. ita ut exhibeat rationem solius benedictionis: praeterquam enim quod huiusmodi textus lectio a Massorethis reprobatur, qui accentu soph-pasuc separant illud „erat sacerdos“ a subsequentibus, et contra unanimem commentatorum Hebraeorum est sensum[1]): nullus foret modus vel ritus peculiaris illius sacerdotii qui benedictione, utpote quae in V. T. non est propria sacerdotum, sola contineri diceretur. Manifestum igitur est, panem et vinum prolata fuisse sacrificii offerendi gratia, cui utique sacrificio epulum quoque sacrificum esset annexum.

Quodsi denique obiiciatur, si oblatio Melchisedech sacrificii eucharistici esset figura, Paulum in epistola ad *Hebraeos*, ubi et de Melchisedech loquitur et de Christi sacerdotio, rationem illam typicam debuisse commemorare, respondendum est, cum scopus Apostoli sit ut in Melchisedecho, qui quodammodo aeternus erat et Abrahamo benedixerat et decimas ab eo acceperat, Christi antitypi prae levitico sacerdotio excellentiam, sacrificium panis et vini ad propositum Apostoli non fecisse. Ceterum Paulus quoque aliquam huius sacrificii mentionem facere haud immerito existimatur, ubi scribit (Hebr. 5, 11): „De quo (Melchisedech) nobis grandis sermo et ininterpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.“

---

[1]) In Bereschit Rabba R. Samuel in cap. 14 Gen. dicit: „Actus sacerdotii tradidit: erat enim ipse sacrificans panem et vinum Deo sancto et benedicto“; R. Phinees in cap. 28 Num.: „Tempore Messiae omnia sacrificia cessabunt, sed sacrificium panis et vini non cessabit: sic dictum est Gen. 14: «Et Melchsidech rex Salem protulit panem et vinum»; Melchisedech enim, i. e. rex Messias, excipiet a cessatione sacrificium panis et vini, sicut dicitur Ps. 110: «Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech».“

Atque haec *Patrum* quoque est oblationis a Melchisedecho factae interpretatio. Clemens Alexandrinus: „Melchisedech, rex Salem, sacerdos Dei altissimi, qui vinum et panem sanctificatum dedit nutrimentum in typum Eucharistiae.“ [1]) Cyprianus: „In sacerdote Melchisedech sacrificii dominici sacramentum praefiguratum videmus secundum quod Scriptura divina testatur et dicit: «Et Melchisedech rex Salem protulit panem et vinum; fuit autem sacerdos Dei summi.» Quis magis sacerdos Dei summi quam Dominus noster Iesus Christus qui sacrificium Deo Patri obtulit et obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, i. e. panem et vinum, suum scilicet corpus et sanguinem . . . . Ut ergo per Melchisedech sacerdotem benedictio circa Abraham posset rite celebrari, praecedit ante imago sacrificii Christi in pane et vino scilicet constituta: quam rem perficiens et adimplens Dominus panem et calicem mixto vino obtulit; et qui est plenitudo veritatis veritatem praefiguratae imaginis adimplevit.“ [2]) Augustinus: „Noverunt qui legerunt, quid protulerit Melchisedech, quando benedixit Abraham; et si iam sunt participes eius, vident tale sacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum.“ [3])

b. *Agnus paschalis,* de quo Ex. 12, 3 sq. et Deut. 16, 1 sq., sacrificium erat et typus est Christi. Christi vero typus est non solum inquantum in cruce sacrificabatur, sed, prout simul erat epulum, praecipua quadam ratione inquantum Christus in Eucharistia offertur; unde in ipsis epulis paschalibus Eucharistia est instituta. „Etenim (καὶ γάρ = nam etiam) Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur, non in fermento veteri . . . sed in azymis sinceritatis et veritatis“ (1 Cor. 5, 7 sq.). Agni paschalis ritum veri nominis fuisse sacrificium, tum ex universo, qualis describitur, ritu consequitur, maxime inde quod Ex. 12, 7 sanguinis aspersio, quae certe est sacrificalis, praescribitur, tum ex disertis nominibus, quibus „Phase immolari“ dicitur (Deut. 16, 2) et totus ritus „victima transitus“ vocatur (Ex. 12, 27).

Ex *Patribus* agni paschalis sacrificii eucharistici ritus typum dicentibus audiatur Chrysostomus: „Ille quippe agnus figura erat alterius agni spiritualis, et ovis ovem praenotabat. Atque illud quidem umbra, hoc veritas erat. Cum apparuisset sol iustitiae, umbra cessavit; oriente quippe sole solvitur umbra. Ideo in eadem ipsa mensa utrumque pascha perficitur et typi et veritatis. Quemadmodum enim pictores in eadem ipsa tabula et lineas circumducunt

---

1) Clem. Alex. Strom. 4, 25.
2) Cyprian. Ep. 63.
3) Augustin. C. adv. leg. et proph. 20.

et umbram depingunt tuncque colorum veritatem apponunt: sic et Christus fecit; in eadem ipsa mensa typicum pascha descripsit et verum addidit.“ [1])

2. *Vaticinium* Veteris Testamenti, quo eucharisticum sacrificium praedicitur, est insigne illud *Malachiae 1, 10 sq.:*

„Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.“

His verbis cultui Veteris Testamenti sacrifico universo sacrificium novum quoddam praenuntiatur substituendum. Deus enim occasione potitus oblationum illegitimarum, de quibus conqueritur, ita cultum sacrificiorum abolendum praedicit, ut cultus sacrificus ei substituatur, quo apud omnes gentes ipsius nomen agnoscatur ac glorificetur, cultus sacrificus proinde N. T. universalis. Atqui sacrificium hoc novum aliud non est quam sacrificium eucharisticum. Et sane:

a. Sacrificium illud novum nequit intelligi sacrificium *improprie* dictum, scilicet opus bonum quodcunque: nam huiusmodi sacrificia impropria semper ferebantur, etiam tempore sacrificiorum illorum, quae dicuntur abolenda; novum illud sacrificium ita exhibetur introducendum, ut sacrificiis, quae proprie dicta erant sacrificia, substituatur; sacrificium vocatur simpliciter et absque addito, imo in textu originali ea adhibentur vocabula, quae in usu liturgico semper sensum habent sacrificum.

b. Illud vaticinium nequit intelligi de sacrificiis *Gentium* idololatrarum: haec enim nullo modo oblatio munda sunt vel Deo accepta.

c. Neque de sacrificio *Iudaeorum* alio: omnia enim eorum sacrificia dicuntur repudianda, et praeterea c. 3 (coll. Is. 26) novum illud sacrificium exhibetur celebrandum a sacerdotibus, qui assumendi dicuntur ex omnibus gentibus.

d. Nec denique *crucis* sacrificium intelligi potest, *prout* est crucis: nam „ab ortu solis usque ad occasum“ i. e. ubique terrarum, „in gentibus“ בַּגּוֹיִם i. e. apud gentes, quae non sunt Israelitae, in „omni loco“ dicitur offerendum: quae sacrificio crucis prout est crucis non conveniunt. Nomen porro, quo novum illud sacrificium appellatur, eiusmodi est, ut sensu maxime proprio nisi incruentum sacrificium non significet; מִנְחָה i. e. sacrificium incruentum diserte contradistinguitur a cruento זֶבַח (Ps. 40, 7).

---

[1]) Chrysost. Hom. 1 de prod. Iudae 4.

Patrum de Malachiae vaticinio doctrina manifesta est. In Doctrina Apostolorum haec leguntur: „Κατὰ κυριακὴν δὲ κυρίου συναχθέντες κλάσατε ἄρτον καὶ εὐχαριστήσατε, προεξομολογησάμενοι τὰ παραπτώματα ὑμῶν, ὅπως καθαρὰ ἡ θυσία ὑμῶν ᾖ. Πᾶς δὲ ἔχων τὴν ἀμφιβολίαν μετὰ τοῦ ἑταίρου αὐτοῦ μὴ συνελθέτω ὑμῖν ἵνα μὴ κοινωθῇ ἡ θυσία ὑμῶν (cf. Matth. 5, 23, ubi de vero sacrificio sermo est). Αὕτη γάρ ἐστιν ἡ ῥηθεῖσα ὑπὸ κυρίου. «ἐν παντὶ τόπῳ καὶ χρόνῳ προσφέρειν μοι θυσίαν καθαράν · ὅτι βασιλεὺς μέγας εἰμί, λέγει κύριος, καὶ τὸ ὄνομά μου θαυμαστὸν ἐν τοῖς ἔθνεσι».“ [1]) Res est clara: eucharistica coena diserte sacrificium esse docetur et quidem sacrificium illud purum, quod vaticinatus est Malachias. Iustinus: „Sacrificium similae typus erat panis Eucharistiae, quem Dominus tradidit facere. De sacrificiis a vobis (Iudaeis) quondam oblatis dicit Deus per Malachiam: «Non est mihi voluntas etc.» De sacrificiis autem panis Eucharistiae et calicis Eucharistiae a nobis gentibus in omni loco ei oblatis praedixit tunc nomen eius a nobis glorificari.“ [2]) Irenaeus: „Eum, qui ex creatura panis est, accepit et gratias egit dicens: «Hoc est corpus meum». Et calicem similiter, qui est ex ea creatura quae est secundum nos, suum sanguinem confessus est et Novi Testamenti novam docuit oblationem. Quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo, ei qui alimenta praestat . . . De quo in duodecim prophetis Malachias sic praesignificavit: «Non est mihi voluntas in vobis etc.» [3])“ Augustinus: „Aperite oculos tandem aliquando et videte, ab oriente sole usque in occidentem, non in uno, sicut vobis fuerat constitutum, sed in omni loco offerri sacrificium christianorum, non cuilibet Deo, sed ei, qui ista praedixit, Deo Israel . . . non secundum Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech.“ [4])

3. *Promissio* facta a Christo Domino sacrificii eucharistici haud immerito existimatur posita in ipsis illis a Christo dictis quibus adversarii religionis christianae ad cultum omnem externum subvertendum abutuntur. Verba sunt illa Ioan. 4, 21 sq.: „Venit hora, quando neque in monte hoc neque in Ierosolymis adorabitis Patrem . . .; sed venit hora et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.“ Loquitur enim Christus hic, quemadmodum Samaritana, non de adoratione quacunque, sed de adoratione nobilissima, quae continetur sacrificio; dicit vero in oppositione ad sacrificia Iudaeorum et Gentilium hoc sacrificium fore spirituale et verum nec uni

---

1) Doctr. Ap. 14, 1 sq.
2) Iustin. Dial. cum Tryph. 41, 111, 117.
3) Iren. Adv. haer. 4, 32.
4) Augustin. Adv. Iud. 13.

tantum loco alligatum: quae omnia de alio sacrificio apte non intelliguntur quam de sacrificio eucharistico.

4. *Institutio* sacramenti Eucharistiae eam sacrificium esse ostendit.

Verbis „hoc facite in meam commemorationem", quae Paulus declarat valere usque ad secundum Domini adventum, Christus Apostolos eorumque successores iussit Eucharistiam consecrantes verum offerre sacrificium, si ipse tunc consecrando, prout consecravit seu praesentem se constituit in statu cibi, verum sacrificium obtulit. Atqui in ultima coena Christus et obtulit verum sacrificium et declaravit a. se verum offerre sacrificium, idque b. offerre, prout in statu cibi tunc praesentem se statuit. Et sane:

a. Corpus Christi exhibetur dandum et frangendum, sanguis fundendus non solum in usum Apostolorum, sed *pro* Apostolis; pro *multis,* ideoque etiam pro iis quibus non erat cibus; in *remissionem peccatorum.* Atqui haec manifeste positionem illam sacrificam esse declarant.

b. Positionem illam declarari sacrificam formaliter prout erat positio in statu cibi, non vero solum prout idem corpus et idem sanguis postea in cruce erat sacrificandum, patet: tüm quia idem quod exhibetur sacrificandum *frangi* (κλώμενον 1 Cor. 11, 24) dicitur, quae vox proprie de pane dicitur et in usu loquendi biblico idem significat ac ministrare in cibum; tum quia non simpliciter sanguis dicitur effundi, sed sanguis ut est in *calice,* prout ex Luca patet (ποτήριον ἐκχυνόμενον).

Animadvertendum est effusionem sanguinis sensu proprio locum non habere nisi in sacrificio crucis. At cum qui per sanguinis effusionem victima erat in cruce, idem etiam in Eucharistia constituatur victima, praesertim cum modus, quo in Eucharistia fit praesens (vi verborum sc. corpus seorsim a sanguine), mystice repraesentet illam realem sanguinis effusionem, in Eucharistia quoque Christus propter intimam cum crucis sacrificio relationem sanguinem effundere dici potest. Duo ergo in sacrificio eucharistico sunt consideranda: praesens oblatio et illa ad crucis sacrificium relatio. Unde discrimen illud grammaticum, quod in narratione institutionis inter textum graecum et versionem vulgatam intercedit, facile explicatur. In textu graeco et in textu Vulgatae versionis ad normam codicum a Wordswortt, accuratius exarato dicitur in tempore praesenti „effunditur": in recto igitur oblatio praesens significatur, et relatio illa tantum in obliquo; in versionis Vulgatae editione Clementina dicitur in tempore futuro „effundetur": ubi in recto exhibetur relatio, in obliquo oblatio praesens. Idem fere dicendum videtur

de discrimine alio quod est in narratione consecrationis panis; sc. quod textus graecus Pauli habet „frangitur", textus vulgatus „tradetur".

Ex *Patribus* verba institutionis de sacrificio explicantibus audiatur Nyssenus: „Non ex proditione sibi impendentem necessitatem, non Iudaeorum quasi praedonum impetum, non iniquam Pilati sententiam expectat, ut eorum malitia sit communis hominum salutis principium et causa; sed consilio suo antevertit et arcano sacrificii genere, quod ab hominibus cerni non poterat, se ipsum pro nobis hostiam offert et victimam immolat, sacerdos simul existens et agnus Dei, ille qui mundi peccatum tollit. Quando id praestitit? Cum corpus suum discipulis congregatis edendum et sanguinem bibendum praebuit, tunc aperte declaravit, agni sacrificium iam esse perfectum. Nam victimae corpus non est ad edendum idoneum, si animatum sit. Quare cum corpus edendum et sanguinem bibendum discipulis exhibuit, iam arcana et non aspectabili ratione corpus erat immolatum." [1])

5. *Apostolorum intellectus ac praxis* veritatem sacrificii eucharistici comprobant.

Celebratio ritus eucharistici seu fractio panis nomine λειτουργία insignitur, imo λειτουργία, qua „Domino" ministratur (Act. 13, 2); atqui hac voce in usu loquendi biblico tum Veteris Testamenti (Num. 8, 22; 16, 9; 18, 4) tum Novi (Luc. 1, 23; Hebr. 9, 21) significatur ministerium sacerdotale ad quod officium sacrificia offerendi necessario spectat. Ergo illud λειτουργούντων τῷ κυρίῳ (Act. 13, 2) ab Erasmo merito vertitur: „sacrificantibus Domino". Unde etiam factum est, ut postmodum apud Graecos nomen λειτουργία usitatissimum esset ad sacrificium designandum eucharisticum.

Apostolus (1 Cor. 10, 16 sq.) ex analogia sumptionis Eucharistiae ad Ethnicorum et Iudaeorum epulas sacrificales concludit, intimam inter Christum et nos per Eucharistiae sumptionem fieri unionem; atqui haec conclusio supponit etiam Eucharistiam sacrificium esse. Quod quidem Apostolus clare enuntiat vv. 20, 21: „Non potestis calicem Domini bibere et calicem daemoniorum, non potestis mensae Domini participes esse et mensae daemoniorum". Nam praeterquam quod vox τράπεζα שֻׁלְחָן et a scriptoribus sacris (Mal. 1, 7; Ez. 44, 16; Is. 65, 11) et a profanis (cf. Steph. Thes.) et a Patribus (Orig. C. Cels. 8, 17; Chrysost. Hom. 3, 4 in Eph.; Basil. Ep. 297 al. 73; Greg. Nyss. Or. in bapt. Chr.) adhibetur pro altari, hic ab Apostolo Iudaeorum et Gentilium sacrificia ideo commemorantur, ut ostendatur,

---

[1]) Gregor. Nyss. Or. 1 in Chr. resurr.

Christianorum sacrificium non posse simul participare cum sacrificio Gentilium, unde ad utrumque ritum significandum eadem utitur voce mensae. Hinc Concilium Tridentinum (Sess. 22 cap. 1) sacrificium a Malachia praedictum, „non obscure, ait, innuit Apostolus Paulus Corinthiis scribens cum dicit, non posse eos qui participatione mensae daemoniorum polluti sint mensae Domini participes fieri, per mensam altare utrobique intelligens".

Apostolus (Hebr. 13, 9 sq.) haec habet: „Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis (βρώμασιν), quae non profuerunt ambulantibus in eis. Habemus altare (θυσιαστήριον), de quo edere (φαγεῖν) non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt." Quibus verbis quamquam cum S. Thoma, Estio aliisque dicatur significari sacrificium crucis, ita ut „altare" sit ipsa crux, et „edere" intelligatur figurate de manducatione spirituali, tamen cum plerisque veteribus etiam eucharisticum sacrificium significari recte dicitur, tum propter sensum verborum obvium (βρώματα, θυσιαστήριον, φαγεῖν), tum propter contextum, cuius scopus est, ut qui a iudaismo ad fidem venerant arcerentur, ne propter escas sacrificales relaberentur in illum. — Ceterum quod Apostolus in sua ad Hebraeos epistola agens de N. T. sacerdotio sacrificii eucharistici mentionem ampliorem non facit, inde est, quod non de omni sacerdotio Novi Testamenti quocunque modo offerente mens est Apostolo disserendi, sed de Christi sacerdotio, quatenus cruento sese obtulit sacrificio et sacrificio hoc infiniti valoris praestantiam suam prae Aaronico sacerdotio sacrificia inefficacia offerente ostendit. Quare idem Apostolus quando sacrificii illius unitatem urget (7, 27; 9, 12 sq.; 10, 10 sq.), excludit sane eam multiplicationem, qua aliae et aliae offerantur hostiae et quae ideo iterentur, ut „redemptio inveniatur", quia videlicet sacerdos ipse „infirmitatem" habeat et sacrificium eius non sit plene efficax, non vero excludit repetitionem, qua unum crucis sacrificium perenniter repraesentetur meritumque eius infinitum singulis applicetur. Scilicet: „eundem semper offerimus, h. e. non alias ovem alteram alias aliam sed eandem perpetuo; itaque unicum est sacrificium." [1])

3. Ex *Traditione* Ecclesiae res probatur.

Plura Traditionis testimonia ad textus Scripturae explicandos allata sunt. Iuvabit hic breviter secundum ordinem temporis ostendere, quae Patrum *vetustissimorum* hac in re fuerit doctrina.

In Doctrina Apostolorum Eucharistia diserte dicitur θυσία, cuius oblatio exigitur ad normam sacrificii de quo Christus apud Matth. 5, 23, quaeque dicitur esse eadem illa θυσία καθαρά, quam in omni-

---

[1]) Chrysost. Hom. 17. in h. l.

bus gentibus futuram esse praedixit Malachias.[1] Clemens Rom. episcopos et diaconos cum sacerdotibus et levitis, τὸ εὐχαριστεῖν cum V. T. θυσίαις comparat.[2] Ignatius sicut unam Eucharistiam sic „unum altare et unum episcopum“ [3] esse dicit, „absque episcopo“ [4] agapen facere non licere, monet crebrius ad εὐχαριστίαν conveniendum esse, quippe qua „potentiae Satanae destruantur et solvatur perditio ipsius in concordia fidei“ [5]. Iustinus Eucharistiae confectionem tribuit episcopo (προεστώς), distributionem cibi eucharistici diaconis[6], illud porro τοῦτο ποιεῖτε (1 Cor. 11, 24) sic interpretatur, ut significet τοῦτον τὸν ἄρτον et τοῦτο τὸ ποτήριον εἰς ἀνάμνησιν τοῦ πάθους vel τοῦ σεσωματοποιεῖσθαι τοῦ Χριστοῦ [7]; quibus verbis non solum sacrificium precum[8], sed omnino corporis et sanguinis Christi significare dicendus est.[9] Irenaeus docet unum ab Ecclesia Deo oblatum „sacrificium purum“ esse, a Iudaeis vero, „qui Verbum non receperint per quod offertur Deo“, non offerri, neque ab haereticis non recte sentientibus de Deo Verbo et Creatore, quippe quibus „non constet eum panem in quo gratiae actae sint corpus esse Domini sui et calicem sanguinis eius“, et qui „offerendo abstinere“ deberent; Deum porro velle non quidem propter seipsum, sed propter nos „ne simus infructuosi“, „nos offerre munus ad altare frequenter sine intermissione“.[10] Tertullianus reprehendit eos, qui fratribus subtrahunt osculum pacis, quaerens: „Quale sacrificium est a quo sine pace receditur?“ Idem vituperat eos, qui „stationum diebus

---

1) Doctr. Ap. 14, 1 sq. — „Die Eucharistie war mehr als ein Opfer der Lippen. Schon die Didache sieht mit der später solenn gewordenen Maleachistelle in der Eucharistie *die* θυσία καθαρά der neutestamentlichen Gemeinde.“ Loofs, Realencyklopädie, 1891, p. 45.

2) Clem. Rom. 1, 40 et 41. — „So unschuldig es an sich ist, dass Clemens die ἐπίσκοποι und διάκονοι mit den Priestern und Leviten, das εὐχαριστεῖν mit den alttestam. θυσίαι in Parallele setzt, bezeichnend ist's doch: man sieht, die εὐχαριστία (d. i. das εὐχαριστεῖν) ist als Amtsfunction einem «kultischen» Opfer schon näher gerückt.“ Loofs l. c.

3) Ignat. Phil. 4.

4) Ignat. Smyrn. 8, 2.

5) Ignat. Eph. 13.

6) Iustin. Ap. 1, 65.

7) Iustin. Dial. 41 et 70.

8) Harnack, Dogmengesch. 1, 179.

9) „Bedenkt man, dass das εὐχαριστεῖν dem προεστώς oblag, dass er also es war, der τὸν ἄρτον ἐποίησεν εὐχαριστῶν εἰς ἀνάμνησιν τοῦ πάθους τοῦ Χριστοῦ, so muss man m. E. zugeben, dass von dieser Formel bis zu den Worten Cyprians: sacerdos id quod Christus fecit imitatur et sacrificium verum et plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri (Ep. 63, 14), der Weg gar nicht weit ist.“ Loofs l. c. p. 46.

10) Iren. Adv. haer. 4, 17 et 18.

non putant sacrificiorum orationibus interveniendum", interrogans: „Nonne solemnior erit statio tua, si et ad altare Dei steteris? Accepto corpore Domini et reservato, utrumque salvum est: et participatio sacrificii et executio officii." [1]) Idem porro Tertullianus haec testatur: „Eucharistiae sacramentum . . . non de aliorum manu quam praesidentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus" [2]). Porro idem docet, pro defunctis offerri sacrificium eosque Deo commendari „per sacerdotem" [3]). Cyprianus, quem supra audivimus sacrificium Melchisedech eucharistici sacrificii explicare typum, ut probet non solum aqua, sed vinum maxime oportere ut in calicem infundatur, haec habet: „Apparet sanguinem Christi non offerri, si desit vinum calici, nec sacrificium dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio et sacrificium nostrum responderit passioni." Utque id magis probet, haec addit: „Si Iesus Christus Dominus et Deus noster ipse est summus sacerdos Dei Patris et sacrificium Patri seipsum primus obtulit et hoc fieri in sui commemorationem praecepit, utique ille sacerdos vice Christi vere fungitur, qui id quod Christus fecit imitatur, et sacrificium verum et plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre secundum quod ipsum Christum videat obtulisse." [4]) Hippolytus „mensam", quam Deus nobis Prov. 9, 2 dicitur paravisse, interpretatur „sanctae Trinitatis cognitionem, necnon venerandum sanctumque eius corpus ac sanguinem, quae in arcana et divina mensa quotidie perficiuntur et sacrificantur (ἐπιτελοῦνται θυόμενα) in memoriam nunquam non recolendae memoriae et primae illius divinae et arcanae coenae." [5]) Eusebius postquam Iudaeorum sacrificia figuras esse ostendit „venerabilis et Deo acceptae et magnae hostiae venturae, quae totius mundi expiatio existeret", sc. „Christus Dei", dicit: christiani „quando illius memoriam corporisque eiusdem et sanguinis recordationem quotidie celebrant (ἐπιτελοῦντες), ad longe praestantius et sacrificium et munus (θυσίας τε καὶ ἱερουργίας) assumpti sunt, quam illud antiquius fuerit." [6]) Addatur denique Epistola presbyterorum et diaconorum Achaiae de martyrio S. Andreae, in qua Andreas inducitur Aegeae proconsuli sacrificium diis ferendum

---

[1]) Tertull. De or. 14.

[2]) Tertull. De or. 3.

[3]) Tertull. De exhort. cap. 11. — In quem locum haec habet Loofs l. c.: „Der Schritt bis zum priesterlichen Opfer, wie es die Kirche der zweiten Hälfte des dritten Iahrhunderts kennt, ist klein."

[4]) Cyprian. Ep. 63.

[5]) Hippolyt. Fragm. in Prov. 9. Cf. Bardenhewer, Des h. Hippolytus Commentar zum Buche Daniel, p. 96.

[6]) Euseb. Dem. evang. 1, 10.

imperanti respondens: „Omnipotenti Deo, qui vivus et verus est, ego omni die sacrifico non thuris fumum nec taurorum mugientium carnes nec hircorum sanguinem, sed immaculatum agnum quotidie in altari sacrifico, cuius carnes posteaquam omnis populus credentium manducaverit, et cuius sanguinem biberit, agnus qui sacrificatus est, integer perseverat et vivus". Aegeae porro quaerenti: „Quomodo potest hoc fieri?" Andreas sic respondit: „Si vis discere, quomodo potest hoc fieri, assume formam discipuli, ut possis doceri quod quaeris. Audisti mysterium crucis, audisti mysterium sacrificii. Si credideris Christum Filium Dei, qui crucifixus est a Iudaeis, verum Deum esse, pandam tibi quo ordine occisus vivat agnus: qui cum sacrificatus fuerit et comestus, integer tamen et immaculatus in suo regno permanet." Aegeas dixit: „Quum sit occisus et ab omni populo, ut asseris, devoratus, quomodo integer perseverat et vivus?" Andreas respondit: „Si credideris ex toto corde tuo, discere poteris: si non credideris, penitus tu nunquam ad indaginem huius veritatis attinges." [1]) — De Patrum subsequentium doctrina nec apud Protestantes dubium est ullum. Eos ritum eucharisticum proprie nominis sacrificium a sacerdotibus offerendum habuisse, omnes admittunt. [2]) Quare a testimoniis eorum afferendis supersedere possumus. Sapientiores inter Protestantes etiam anteriorum Patrum prorsus eandem fuisse sententiam fatentur. Audiatur Io. Ern. Grabius, homo Lutheranae primum, deinde Anglicanae sectae addictus. In adnot. ad lib. 4 S. Irenaei haec habet: „Certum est, Irenaeum ac omnes, quorum scripta habemus, Patres Apostolis sive coaevos sive proxime succedentes s. Eucharistiam pro novae legis sacrificio habuisse, et panem atque vinum tamquam sacra munera in altari Deo Patri obtulisse, ante consecrationem quidem velut primitias creaturarum in recognitionem supremi eius super universa dominii (?), post consecrationem vero ut mysticum (substantiale tamen ac reale) corpus et sanguinem Christi ad repraesentandam cruentam personalis (debuit dicere: in statu connaturali) eius corporis ac sanguinis in cruce oblationem, et beneficia mortis eius omnibus, pro quibus offerretur, impetranda. Atque hanc non privatam particularis Ecclesiae vel

---

[1]) Est haec epistola monumentum certe vetustissimum; quamvis quae Gallandius (Bibl. vet. Patr. 1 prol. c. 4) et Woogius, editor textus graeci, circa annum 80 eam conscriptam esse existimantes, de auctoritate et antiquitate huius epistolae disputant, non omnibus probentur. Cf. Tischendorf, Acta Apost. apocr. Proleg. 6.

[2]) De saeculo 3 haec habet Harnack (Dogmengesch. 1, 392): „Die Umwandelung des Cultus nach dem Muster der antiken Mysterien und des heidnischen Opferwesens ist evident und von protestantischen Gelehrten allerseits zugestanden."

Doctoris, sed publicam universalis Ecclesiae doctrinam atque praxin fuisse, quam illa ab Apostolis, Apostoli ab ipso Christo edocti acceperunt, diserte docet Irenaeus, atque ante ipsum Iustinus Martyr, cuius ut et s. Ignatii, Tertulliani, Cypriani aliorumque verba describere non est necesse . . . Opto ut postquam multi pii doctique e parte Protestantium viri hunc Lutheri et Calvini errorem ac veram apostolicae Ecclesiae doctrinam bene agnoverunt, huius quoque sanctissimas formulas liturgicas, quibus dictum sacrificium Deo offertur, ab illis male e suis coetibus proscriptas in usum revocent et hunc summum divinae maiestati honorem debite reddant."

SCHOLION. Ritus Eucharistiae sacrificus non solum in libris scriptis, sed modo quodam insigni et aspectabili ante oculos nobis sistitur monumentis antiquitatis quibusdam sculptis vel pictis, quae nobis supersunt. Ita v. g. in pictura (saec. 2 vel 3 ineuntis) coemeterii Romani, quod S. Callisti dicitur, in cubili eodem, in cuius aliis parietibus baptismi et fortasse etiam poenitentiae sacramenta apparent depicta, super altare posita panem et piscem (ἰχθύς) cernimus, adstantes vero ex una parte sacerdotem pallio indutum manu dextra super proposita extensa, ex parte altera feminam habitu orantis manibus sursum extensis (Fidem vel Ecclesiam); in pariete adversa conspicitur sacrificium Abrahami, quod satis clare sensui symbolice exprimendo apparet accommodatum, prope vero prandium quod Christus ad mare Tiberiadis cum discipulis instituit.

Similiter porro, imo praeclarius etiam idem argumentum cerni potest repraesentatum in insigni quadam picturarum serie a. 1893 Romae in capella graeca, quae dicitur, coemeterii S. Priscillae inventa. Conspicitur ibi uti praeparatio baptismus sub figura hydropici a Christo sanati et aquae iubente Moyse ex rupe profluentis et adoratio Verbi incarnati per magos, sequitur deinde, quod picturarum harum omnium est centrum, *fractio panis*, quae communionem praecedit, supra eum locum posita, ubi altare fuit, sequitur denique illam fractionem sacrificam intelligendam esse ostendens sacrificium Abrahami et communionem ipsam innuens cibus Danieli inter leones mire allatus.[1])

Quis quantumvis rei christianorum symbolicae ignarus et coenam dominicam et sacrificium N. T. incruentum, universam ideoque Eucharistiam hic depictam sponte non confitebitur? Ultro qui viderit recordabitur illius: „In figuris praesignatur, cum Isaac immolatur"; et illius: „Fecit prandium Dominus illis septem discipulis suis, de pisce scilicet, quem prunis superpositum viderant, huic adiungens ex illis quos ceperant, et de pane quem nihilominus eos vidisse narratum est: piscis assus Christus est passus; ipse est et panis, qui de coelo descendit; huic incorporatur Ecclesia ad participandam beatitudinem sempiternam." [2])

---

1) Cf. Wilpert, Fractio panis.
2) Augustin. In Ioan. tr. 123.

Spectat huc etiam pulcherrimum illud *Abercii* epigramma, quod est exeuntis saeculi 2 quodque sic legitur:[1])

„ . . . . . . πίστις πάντη δὲ προῆγε
Καὶ παρέθηκε τροφὴν πάντη ΙΧΘΥΝ ἀπὸ πηγῆς
Παμμεγέθη καθαρόν, ὃν ἐδράξατο παρθένος ἁγνή,
Καὶ τοῦτον ἐπέδωκε φίλοις ἔσθειν διὰ παντός
Οἶνον χρηστὸν ἔχουσα, κέρασμα διδοῦσα μετ'ἄρτου."

„Fides ubique mihi dux erat et ubique mihi proposuit cibum Piscem ex fonte magnum, purum, quem pura Virgo prehenderat, et hunc amicis semper porrigit manducandum, habens vinum praeclarum, dans mixtum una cum pane."[2])

OBIICITUR a Luthero argumentum, quod suae in hac re doctrinae fundamentum vocat, quod quia ignoraverint, sacerdotes et episcopos omnes idololatras factos esse dicit. Argumentum est huiusmodi: coena Domini est sacramentum ac testamentum Christi: at neque sacramentum neque testamentum sacrificium esse potest: sacrificium enim est, quod nos damus Deo, sacramentum vero et testamentum, quod a Deo datur nobis. Iam vero supponitur hic a Luthero sacrificium Missae esse opus nostrum in oppositione ad opus Christi, cum non minus sit opus Christi sese offerentis quam sacramentum et testamentum opus Christi est sese nobis in cibum praebentis. Scilicet: Eucharistia sacramentum est, quatenus est signum efficax gratiae; testamentum, quatenus Dei promissa obsignat et N. T. sanguinem continet; sacrificium, quatenus offertur Deo in agnoscendum supremum eius dominium. Haec vero nullo modo se excludere nemo non videt. — „Tua sunt omnia, et quae de manu tua accepimus dedimus tibi" (1 Paral. 29, 14.)

Articulus II.

De essentia Eucharistiae sacrificii.

De essentia sacrificii eucharistici agentibus duplex nobis quaestio tractanda erit: 1. Quoniam in toto illo ritu, qui sacrificii eucharistici seu Missae nomine insignitur, plures inveniuntur partes, actus sc. et preces, quaeritur, *quaenam harum partium* sit ea, in qua collocanda sit sacrificii huius essentia cuique toti ac soli sacrificii definitio competat. 2. Quaeritur, quaenam sit *propria ac specifica ratio* sacrificii Missae, seu quomodo ei competat illud, quod de cuiusvis sacrificii essentia esse alibi diximus.[3])

---

[1]) Cf. De Rossi, Inscr. 2, 13 sq., qui illud vocat „epigramma dignitate et pretio inter christiana facile princeps".

[2]) Contra G. Ficker, A. Harnack, Dieterich epigrammatis huius originem christianam perperam infitiatos cf. Wilpert, Fractio panis, 3. Anhang; Duchesne, Bulletin critique, 1897, 101 sq.; Zeitschrift für kath. Theol. 1897, 673 sq.; Katholik, 1897, 1, 226 sq.

[3]) Cf. tract. de Verbo incarn. th. 31.

Utrique quaestioni quae respondentur non omnia aeque sunt certa. Sunt quae certissima sint, imo quae fide credenda probentur; sunt in quibus certitudo non habeatur ac proinde libere opinandi permittatur theologis facultas. Atque hoc mirum esse non potest. Namque revelatum quidem est ideoque certissimum, Missam esse veri nominis sacrificium, revelatum eo ipso, in Missa reperiri quaecunque sacrificii essentiam constituunt; non tamen propterea diserte atque explicite revelatum censeri potest, vel quae sint omnes solaeque sacrificii cuiusvis notae essentiales, vel in quo proprie huius sacrificii eucharistici essentia sit statuenda. Quemadmodum in omnibus fidei nostrae mysteriis evenit: tanta ex divina revelatione huic rei affunditur lux, ut clare intelligatur credenda; tantae manent umbrae, ut, quod non intelligitur, salubriter credatur.

Ut vero in re tanta tuto ingrediamur calle, prae oculis nobis habenda erunt quae docuit Concilium Tridentinum (Sess. 22 c. 2), scilicet: „In divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruente obtulit . . . . *Una eademque est hostia, idem nunc offerens* sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in *cruce* obtulit, *sola offerendi ratione diversa.*“

Itaque dicetur 1. de huius sacrificii *essentia* [th. 19]; 2. de eius *ratione formali* [th. 20].

Thesis 19.

Essentia sacrificii Missae continetur 1. consecratione, 2. consecratione utriusque speciei.

Alii in *oblatione vocali*, quae ante et post consecrationem habetur, alii in *fractione*, quae post consecrationem fit, alii in *sumptione*, alii in *consecratione* et *sumptione* simul, alii iique plurimi in *sola consecratione* actionis sacrificae essentiam reperire sibi videntur. Ultimam hanc defendimus sententiam. — Quod autem alteram theseos partem spectat, notandum est: licet etiam una iam consecratione Christus constituatur praesens licetque concedendum videatur, consecrationem alterutrius speciei aptam esse, ut *potuerit* in sacrificium institui, iuxta praesentem tamen institutionem sacrificium eucharisticum *non fieri* nisi utriusque speciei consecratione, est sententia communior et probabilior. [1])

[1]) Fuerunt aliqui (Henno, Gotti etc.), qui alterutram consecrationem solam ad sacrificii essentiam sufficere existimarent. Rationes cur haec sententia probabilis possit videri, exponit Fr. Schmid, Zeitschrift für kathol. Theologie, 1892, 97 sq.

DEMONSTRATUR: **1.** *Consecratione* huius sacramenti sacrificium eucharisticum offertur.

1. Ita Patres senserunt. Cf. verba clarissima Chrysostomi th. 3 et Gregorii Nysseni th. 18.

2. Et sane: Christus sacerdos ministerio sacerdotum nomine et in persona ipsius operantium non alia re sese offert quam qua in ultima coena sine eorum ministerio sese obtulit. Atqui Christus in ultima coena nulla alia re sacrificium se obtulit quam consecratione, qua sub panis speciebus praesens sistebatur.

3. Confirmatur: Concilium Tridentinum (Sess. 22 cap. 1) docet, verbis „hoc facite in meam commemorationem" factam esse potestatem offerendi sacrificium; at his verbis imprimis potestas consecrandi data est. Praeterea „sacerdos in sua ordinatione solum accipit potestatem «offerendi sacrificium» . . . ergo ipsum consecrare est offerre, alioquin non apparet, ubi datur ei principalis potestas, quam habet in ordine ad consecrandum." [1])

2. *Utriusque speciei* consecratione fit sacrificium.

1. „Christus *ipse* in utraque specie obtulit, quas non sine causa in diversis materiis et diversis verbis consecravit, nec sine mysterio in consecrando calice addidit illa verba, «hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum», indicans per sui sanguinis effusionem perfectam esse remissionem peccatorum; et ideo ad hunc effectum applicandum institui sacrificium, quod illam effusionem repraesentet per separatam sanguinis a corpore consecrationem. Post illud autem factum praecepit nobis, ut eodem modo offeramus, dicens: «hoc facite in meam commemorationem.» Et ita Ecclesia semper intellexit et servavit. Est ergo utraque consecratio simpliciter necessaria, ut hoc sacrificium constet." [2])

2. Id exigitur ex ipsa *natura* huius sacrificii. Scilicet: „Repraesentatio dominicae passionis agitur in ipsa consecratione huius sacramenti, in qua non debet corpus sine sanguine consecrari." [3]) Consecratio utriusque speciei „valet ad repraesentandam passionem Christi, in qua seorsim fuit sanguis a corpore separatus; unde et in forma consecrationis sanguinis fit mentio de eius effusione" [4]).

Duo hic a S. Thoma affirmantur: sacrificium Missae repraesentationem esse sacrificii cruenti; hanc porro esse rationem, cur duplex consecranda sit species. Prius illud paulo post distinctius vide-

---

[1]) Lugo, Disp. 19 sect. 3.
[2]) Suarez, Disp. 75 sect. 6.
[3]) S. Th. 3 q. 80 a. 12 ad 3.
[4]) S. Th. 3 q. 76 a. 2 ad 1.

bimus. Alterum ita explicat Suarezius: „Aliud est loqui de quolibet signo seu indicio mortis Christi, aliud vero de expressa repraesentatione passionis eius. Primum enim reperiri potest in qualibet specie per se sumpta, tamen valde implicite et obscure: quia corpus licet ex se et ex vi verborum non dicat determinate corpus vivum, tamen etiam non excludit illud; et ideo consecratio corporis ut sic non satis significat corpus mortuum . . . et idem fere est de consecratione sanguinis per se sumpta: nam etiam sanguis potest esse in venis et extra venas . . . Necessaria ergo est separata utriusque speciei consecratio, ut sit expressa repraesentatio passionis atque adeo mystica mactatio." [1])

COROLLARIUM **1.** *Christus* ergo ipse huius sacrificii *offerens* est princeps. „Adest Christus et nunc is qui mensam illam apparavit, hic ipse hanc nunc exornat: non enim homo est, qui facit, ut proposita efficiantur corpus et sanguis Christi, sed ipse Christus qui pro nobis crucifixus est; figuram implens (σχῆμα πληρῶν) stat sacerdos verba illa proferens, virtus autem et gratia Dei est." [2]) — Sacerdos „ex hominibus assumptus" offerens est secundarius et, ut audivimus *minister proprius*. Quid ergo sibi vult, quod sacerdos Missam celebrans numero utens plurali populum sibi offerenti adiungere videatur? Quid illud: „Orate, fratres: ut meum ac *vestrum* sacrificium acceptabile fiat"? Respondet Innocentius III: „Sacerdos non tantum in suo, sed in *totius Ecclesiae* persona sacrificat." [3]) Quod idem sic exprimit Augustinus: „Quotidianum Ecclesiae sacrificium, quae cum ipsius capitis corpus sit, se ipsam per ipsum discit offerre." [4])

2. Quodsi de *ipsa re oblata* quaeratur quae sit, manifestum est, eam non esse, ut quidam opinati sunt, panem vinumque et corpus Christi, sed *corpus Christi sub speciebus* panis et vini; panem vero et vinum non esse nisi terminum a quo actione sacrifica desinentem ac convertendum. Oblatio autem panis et vini consecrationem praecedens ad integritatem et plenitudinem pertinet huius sacrificii, non tamen ad essentiam.

3. Licet admitti non possit, sacerdotis *communionem* ad sacrificii huius essentiam spectare, quod tuentur Dominicus Soto, Bellarminus, Valentia, Salmanticenses, ideoque ea nec proprie sacrificii consummatio sit vocanda, nihilominus sacrificium hoc eiusmodi est, ut vi divinae institutionis intime ad victimam offerenti participandam ordinetur. Unde Concilium Toletanum XII (a. 681) can. 5 quaerit indignabundum: „Quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur?"

4. Multo minus ad essentiam sacrificii eucharistici spectabit communio fidelium. „*Privatam*" vocant huiusmodi Missam, in qua fideles non communicant: quamquam sensu proprio nulla Missa, utpote quae necessario sit actus

---

[1]) Suarez, l. c.
[2]) Chrysost. Hom. 1 de prod. Iudae.
[3]) Innoc. III De sacr. Missae 3, 5.
[4]) Augustin. De civ. Dei 10, 20.

publici cultus nomine totius Ecclesiae exercendus, privata dici potest. Atque haec est illa Missa privata, contra quam tanto furore debacchatus est *Lutherus.* Haec vero de ea statuit Concilium Tridentinum (Sess. 22 cap. 6 et can. 8): „Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius sacrificii fructus uberior proveniret: nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas et illicitas damnat, sed probat atque adeo commendat, siquidem illae quoque Missae vero communes censeri debent; partim quod in eis populus spiritualiter communicet; partim vero quod a publico Ecclesiae ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur." — „Si quis dixerit, Missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse ideoque abrogandas: a. s." [1])

Synodus quoque *Pistoriensis* hac in re erravit, cum enuntiato principio „victimae participationem esse partem sacrificii essentialem" prop. 28 statuit, „non tamen se damnare ut illicitas Missas illas, in quibus adstantes sacramentaliter non communicant, *ideo* quia isti participant licet minus perfecte de ipsa victima, *spiritu* illam recipiendo." Quae doctrina, „quatenus insinuat, ad sacrificii essentiam deesse aliquid in eo sacrificio, quod peragatur sine ullo adstante sive adstantibus, qui nec sacramentaliter nec spiritualiter de victima participant, et quasi damnandae essent ut illicitae Missae illae, in quibus solo sacerdote communicante nemo adsit, qui sive sacramentaliter sive spiritualiter communicat", a Pio VI in Constitutione ‚Auctorem fidei' damnata est ut „falsa, erronea, de haeresi suspecta eamque sapiens".

SCHOLION. Quamvis, ut vidimus, ad essentiam Missae sacrificii nihil pertineat nisi consecratio, ad integritatem offertorium et communio: decuit tamen quam maxime haec ipsa aliis praeterea *ceremoniis* ac precibus amplificari atque ornari. Atque ita decursu temporis factum esse videmus; et „hoc sacramentum praeceptum est celebrari cum solemnitate praecipua tam quantum ad locum quam etiam ad tempus, et quantum ad verba et orationes et quantum ad vestimenta in celebratione Missarum: ut tam ipsi sacerdotes conficientes quam etiam suscipientes percipiant gratiae donum, per quam purgentur, illuminentur, perficiantur, reficiantur, vivificentur et in ipsum Christum per excessivum amorem ardentissime transferantur." [2])

Huc pertinent quae contra Protestantes, Iansenistas, Pistorienses Ecclesia de *idiomate, modo recitandi, ceremoniis* sapienter decrevit; quorum haec sunt praecipua: „Cum sancta sancte administrari conveniat sitque hoc om-

---

[1]) „Ex quo sanctissimum sacrificium in omnibus ecclesiis quotidie celebrari laudatissima pietate institutum est, consequens fuit, ut sufficere iudicaretur perceptio offerentis sacerdotis; atque haec Missarum, quas privatas vocant, origo est, quarum fructu sane maximo privari Ecclesiam cum divini honoris detrimento aequum non est. Nec quia diu illis caruit Ecclesia Christi, hodie cum summa offensione fidelium praeclara instituta sunt abolenda, nec protinus ad veterem simplicitatem in externis redeundum est." Leibniz, Syst. theol. cap. 53.

[2]) S. Bonav. Breviloq. 6, 9.

nium sanctissimum sacrificium, Ecclesia catholica ut digne reverenterque offerretur ac perciperetur, sacrum *canonem*[1]) multis ante saeculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem ac pietatem quandam redoleat: mentesque offerentium in Deum erigat; is enim constat cum ex ipsis Domini verbis tum ex Apostolorum traditionibus ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus.“ (Conc. Trid. Sess. 22 c. 4.)

„Cumque natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli: propterea pia mater Ecclesia *ritus* quosdam, ut scilicet quaedam submissa voce, alia vero elatiore in Missa pronuntiarentur, instituit, *ceremonias* item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes aliaque id genus multa, ex apostolica disciplina et traditione, quo et maiestas tanti sacrificii commendaretur et mentes fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.“ (Ibid. c. 5.)

„Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen visum est Patribus, ut vulgari passim *lingua* celebraretur. Quamobrem retento ubique cuiusque ecclesiae antiquo et a s. Romana Ecclesia, omnium ecclesiarum matre et magistra, probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant et non sit, qui frangat eis, mandat s. Synodus pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se vel per alios ex iis, quae in Missa leguntur, aliquid exponant; atque inter caetera sanctissimi huius sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus praesertim dominicis et festis.“ (Ibid. c. 8.) Cf. ibid. can. 6, 7, 9; et propositiones Pistoriensium damnatas 31, 32, 33, 66.

Thesis 20.

Consecratio, ut sit sacrificium, eo habet, quod 1. intrinsecus relationem involvit ad sacrificium crucis, 2. Christus corpus praesens constituit in statu sacramentali.

Quaestio, quam solvendam aggredimur, difficilis est. Pauca de ea dicemus ac sobrie, solliciti imprimis quam maxime, ne in re tanta a communiori theologorum sentiendi ratione discedamus. Duabus igitur notis augustissimi Missae sacrificii essentiam contineri existimamus: quarum altera *relatio* est, altera aliquid *absoluti*, utraque necessaria nec altera ab altera seiungenda. Relativum ergo

---

[1]) ‚*Canon*‘ consecrationis illa pars Missae vocatur, quae a finita Praefatione usque ad Orationem dominicam decurrit. „Vocatur autem Canon, quia est veluti regula praescripta et servanda in actione huius sacrificii. Successu temporis paulatim perfectus est usque ad Gregorium I, ex quo tempore nullam novam additionem accepit.“ Suarez, Disp. 83 sect. 2. — De Missae liturgia cf. Thalhofer, Liturgik 2, 1 Abteil.

hoc sacrificium dicemus, non tamen relativum eo sensu ac si essentia in mera relatione consistat; absolutum dici poterit, minime vero ita absolutum, ut esse simul relativum non sit de eius essentia.

Sacrificium *posse* esse relativum, quin sit mere relativum, ex sacrificiis V. T. patet. Relativa haec enim erant ad sacrificium N. T., et ex hac relatione quaecunque eis inerat virtus oriebatur; nihilominus aliquid absoluti quoque erant in ratione sacrificii ac in se ipsis vera sacrificia. „Huius sacrificii caro et sanguis ante adventum Christi per victimarum similitudinem promittebatur, in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur, post ascensum Christi per sacramentum memoriae celebratur.“ [1]) — Non eodem sane modo, quo illa vetera, Missae sacrificium rationem absoluti sibi vindicare dicendum est: est enim, tum quod offerentem tum quod hostiam oblatam spectat, idem re sacrificium ac sacrificium crucis, quod repraesentat; at cum docente ipso Concilio Tridentino *ratio* offerendi in utroque diversa sit, nihil omnino obstare videtur, quominus sarta tecta manente unitate, quam ratione sacerdotis et victimae tueri oportet, diversitas admittatur aliqua ratione ipsius *actus* sacrifici, ac proinde quominus hic actus praeterquam quod ratione, qua ponatur, actum repraesentet quo in cruce Christus se obtulit, habeat tamen etiam in se quodcunque ad actus vere sacrifici rationem exigitur. „Nostrum sacrificium convenit cum sacrificio crucis in re oblata, differt tamen in actione et ritu sacrificandi.“ [2]) „Testimonia Patrum, qui docere videntur, idem omnino esse sacrificium Christi incruentum, quod in Missa offertur, et cruentum, quod in cruce oblatum est, explicari debent iuxta sensum Concilii Tridentini, ut eadem sit victima et res oblata, non autem eadem sit immolatio et actio sacrificandi.“ [3]) Admitti ergo nequit quod asserit Stoeckl, secundum Ecclesiae doctrinam in crucis et Missae sacrificio „unam eandemque esse sacrificandi actionem.“ [4]) Imo ut Missa crucis sacrificium realiter repraesentet, omnino videtur requiri, ut et ipsa in se veri sacrificii rationem contineat. „Non potest repraesentare Eucharistia oblationem crucis, nisi Eucharistia esset sacrificium.“ [5])

DEMONSTRATUR: **1.** De essentia sacrificii Missae est, ut sit *relativum ad sacrificium crucis.*

1. Haec est doctrina *Ecclesiae.*

---

[1]) Augustin. C. Faust. 20, 21,

[2]) Suarez, Disp. 76 sect. 1.

[3]) Vasquez, Disp. 222 c. 2.

[4]) Stöckl, Das Opfer § 114.

[5]) Didacus de Paiva, theologus Tridentinus, apud Theiner, Act. Conc. Trid. p. 66.

Concilium Tridentinum dicit (Sess. 22 c. 1), ideo Christum „sacrificium hoc reliquisse, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur eiusque memoria in finem usque saeculi permaneret etc.“; et (c. 2) „una, inquit, eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio qui se ipsum tunc in cruce obtulit sola offerendi ratione diversa.“

Patres de hac relatione saepissime loquuntur. Praeter ea, quae thes. 19 allata sunt, perpendantur haec:

„Apparet, inquit Cyprianus, sanguinem Christi non offerri, si desit vinum calici, nec sacrificium dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio et sacrificium nostrum *responderit passioni* . . . *Quia passionis eius mentionem in sacrificiis omnibus facimus, passio est enim Domini sacrificium,* quod offerimus, nihil aliud, quam ille fecit, facere debemus.“ [1]) „Ante agnus offerebatur, ita Ambrosius, nunc Christus offertur, sed *offertur quasi homo quasi recipiens passionem.*“ [2]) „Haec singulariter victima, inquit Gregorius Magnus, ab aeterno interitu animam salvat, quae illam *nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat,* qui licet resurgens a mortuis iam non moritur et mors ei ultra non dominabitur, tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens pro nobis iterum *in hoc mysterio* sacrae oblationis *immolatur* . . . Hinc ergo pensemus, quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra *passionem unigeniti Filii semper imitatur.*“ [3])

Hinc etiam in *Liturgia* haec leguntur: „Maiestati tuae accepta sint dona, *in quibus ipsa Unigeniti tui vulnera tibi offerimus* nostrae pretia libertatis.“ [4]) „Super altaria tua *aspersionem sanguinis,* melius loquentem quam Abel, *innovemus.*“ [5])

2. Relatio ad sacrificium crucis patet ex *ipso modo, quo a Christo Missae sacrificium institutum est.*

a. Christus Missae sacrificium ut mortis suae repraesentationem fieri *iussit.* „Hoc est corpus meum, quod pro vobis *tradetur* (frangitur, datur) etc.; hoc facite in meam commemorationem.“ „Quotiescunque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, *mortem* Domini annuntiabitis, donec veniat.“

b. Christus ita hoc Missae sacrificium *instituit,* ut seorsim vi verborum idem corpus et idem sanguis ibi praesens ponatur, qui sanguis in cruce vere effusus est et a corpore eodem separatus. —

---

1) Cyprian. Epist. 63 ad Caecil.
2) Ambros. De off. 1, 48.
3) Gregor. M. Dial. 4, 58.
4) Secr. in festo ss. 5 Vuln.
5) Secr. in festo pret. Sang.

Cf. hac de re loca S. Thomae in superiori et testimonia Patrum in hac thesi allegata.

— Ex his omnibus manifestum est, Missae sacrificium relativum esse atque ita quidem relativum, ut sine hac relatione prorsus non intelligatur. [1])

2. Altera sacrificii Missae nota essentialis est in eo, quod Christus, victima crucis, ibi praesens ponitur *in statu sacramentali;* quae positio proprie dicta est sacrificii *ratio formalis.*

Iam vero quaeritur, *quomodo* per positionem in statu sacramentali habeatur sacrificium, aliis verbis, quid sit illud quod celebrationem Eucharistiae formaliter constituat in ratione proprie dicti sacrificii. Cui quaestioni ut respondeant, in varias theologi catholici abeunt sententias; ex quibus eam tibi eligas, quae maiori rationum pondere videatur fulciri quaeve „magis sapiat devotioni et contemplationi tam ineffabilis mysterii“ [2]). Sententiae praecipuae ad has fere revocantur.

1. Alii, *Suarez* [3]) et *Scheeben* [4]), in Missae sacrificio rationem actionis sacrificae non in alia dicunt inveniri immutatione, quam quod destructo pane et vino per *transsubstantiationem in Dei honorem praesens fiat* ac veluti producatur res nobilissima, Christus sc. Deus-homo. Verum plerisque theologis haec sententia quamvis nobilis non admodum probatur: non enim videtur explicare, quis sit ille status victimae, quae sane — res certe nobilissima nobilissimoque modo oblata — siquidem in sacrificium offertur, formaliter ut *victima* praesens constituitur; est enimvero „contra communem omnium concipiendi et loquendi modum dicere, rem aliquam, quando producitur,

---

[1]) Pulchre hanc relationis rationem exprimunt plurimae picturae (e. g. celebris „adoratio Agni“ asservata in cathedrali Gandav.), in quibus e latere Christi vel Agni aperto sanguis cernitur fluens in calicem in altari positum. Pulcherrime eam exprimit S. Hildegardis dicens (Scivias 2 visio 6): „Vidi, cum Filius Dei in cruce pependit, quod praedicta muliebris imago (Ecclesia) veluti lucidus splendor ex antiquo consilio propere progrediens per divinam potentiam ad ipsum adducta est, et sanguine, qui de latere eius fluxit, se sursum elevante perfusa; ipsi per voluntatem superni Patris felici desponsatione associata est atque carne et sanguine eius nobiliter dotata. Et audivi vocem de coelo illi dicentem: haec fili sit tibi sponsa in restaurationem populi mei, cui ipsa mater sit animas per salvationem Spiritus et aquae regenerans. Et cum eadem imago iam hoc modo in viribus suis proficeret, vidi quasi quoddam altare, ad quod ipsa frequenter accedens dotem suam devote revisebat, eam superno Patri et angelis eius humiliter ostendens.“

[2]) Sporer, Theol. sacrament. p. 2 c. 2 sect. 3.

[3]) Suarez, Disp. 75 sect. 5.

[4]) Scheeben, Mysterien § 72, Dogm. 5 § 270.

sacrificari . . . Secus enim templi constructio esset verum sacrificium, et templum illud de novo factum diceretur vere sacrificatum.“ [1])

2. Alii destructionem aliquam in sacrificio universe sumpto intervenire debere concedentes, quod Missae sacrificium attinet, hanc destructionem, qua Deus auctor vitae et mortis declaretur, cum Missa essentialiter commemorativa sit sacrificii crucis, cum *Vasquezio* [2]) in hac ipsa *commemoratione* vel cum *Lessio* [3]) in repraesentationis illo *modo,* quo ex vi verborum atque adeo ex sese fit *separatio,* satis reperire sibi videntur. At haec quoque explicatio aliis plurimis manca esse videtur. Declaratur enim, quomodo sacrificium Missae sit relativum, non vero quomodo ipsum verum sacrificium sit; erit ergo repraesentatio vel imago veri sacrificii, quin separatio illa mystica, qua nulla in re fit separatio nec destructio, quidquam addere possit; erit „nuda commemoratio sacrificii in cruce peracti“ (Trid.), non erit verum sacrificium. Neque dicatur, ideo non meram commemorationem esse sacrificii crucis, sed ipsum sacrificium, quia ipse Christus praesens constituatur: quia licet e. g. „filia Iephte, quae olim fuit sacrificata, nunc resurgeret et adesset in tragoedia, qua sua mors repraesentaretur, non diceretur nunc vere et proprie sacrificari“ [4]).

3. Ad hanc sententiam accedere videtur *Thalhofer* [5]), licet rem paulo secus concipiat. Forma interna sacrificii huius iuxta ipsum consistit actu illo Christi interno, quo in cruce mortem acceptavit, perseverante et iugiter reproducto quemadmodum in sacrificio coelesti (quod tamen non est sacrificium proprie dictum [6]), ita etiam in altari („Es ist wie am Kreuze dieselbe Opferthat actuell festgehalten und beziehungsweise reproduzirt“); formam externam, qua „sacrificium coeleste“ adspectabile efficitur in altari, in separatione illa mystica collocat. Hanc separationem, cum nullo modo sit vera separatio vel corporis Christi immutatio, per se non videri constituere rationem actionis sacrificae, iam diximus; quod illum actum Christi internum perseverantem spectat, perseverat sane aliquo modo hic actus caritatis tum in coelo tum in altari: verum, cum ex omnium consensu sacrificium exigat actum, quo immutetur res *sensibilis,* nec sufficiat actus mere internus quantumvis in imagine ad extra repraesentatus, quomodo hic actus rationem actionis sacrificae proprie dictae vindicare sibi possit, intelligere non valemus.

---

[1]) Lugo, Disp. 19 sect. 4.
[2]) Vasquez, Disp. 222.
[3]) Lessius, De div. perf. 12, 13.
[4]) Lugo, l. c.
[5]) Thalhofer, Das Opfer des A. u. N. Bundes; Liturgik § 15.
[6]) Cf. tract. de Verbo incarn. th. 31.

4. Est explicatio *P. Billot*, iuxta quam ratio formalis sacrificii huius absolute sumpti reponenda est in *mactatione mystica* secundum se, i. e. „in sacramentali separatione sanguinis a corpore, non praecise quia et inquantum repraesentat oblationem crucis ad sensum Vasquezii; multo minus quia et inquantum foret ex sese occisiva Christi, nisi impediretur per aliam causam, ut dicit Lessius: sed quia et inquantum sistit Christum sub speciebus sacramenti *in quodam externo habitu mortis et destructionis*, ac per hoc nata est, non secus ac realis destructio victimae in propria specie, vere et realiter subiectare symbolicam significationem quae sacrificio propria est.“ [1]) Atque haec quidem egregie sunt dicta. Nihilominus desiderari adhuc posse videtur accuratior explicatio, in qua tandem re illa mystica mactatio et ille habitus externus mortis et destructionis, qui in sola repraesentatione non videtur consistere, in sacrificio hoc eucharistico reperiatur. Quocirca cum sententia exposita et poterit, secus ac laudatus auctor censet, et ni fallimur, debebit componi explicatio alia veram in hoc sacrificio admittens aliquam destructionem.

5. Sententia itaque est *Lugonis, Franzelinii* aliorumque multorum, qui ad rationem sacrificii proprie dicti et immutationem in ipsa re oblata et destructionem aliquam, licet non necessario physicam, intervenire debere profitentes, in eo ipso formalem rationem actionis sacrificae in hoc mysterio ponunt, quod Christus corpus suum praesens constituit in *tali* statu, sc. in statu sacramentali, sub speciebus nimirum *alienis*, maxime, quia hic status, cum species sint panis et vini, est status *cibi ac potus:* huiusmodi enim positio, aiunt, satis efficit, ut Christus sit ibi ad modum *victimae* et in statu *exinanitionis*. Audiatur ipse Lugo: „Licet ipsa consecratione non destruatur substantialiter, sed tamen destruitur humano modo, quatenus accipit statum decliviorem et talem, quo reddatur inutile ad usus humanos corporis humani et aptum ad alios diversos usus per modum cibi.“ [2]) Audiatur hanc explicationem fusius exponens Franzelin: Christus „dat se ipsum Ecclesiae suae per suos ministros sacerdotes constituendum corpore et sanguine suo in tali modo existendi sub speciebus panis et vini, ut vere sit in statu cibi ac potus; ut (formaliter quatenus constituitur sub his speciebus) desinat omnis actus connaturalis vitae corporeae pendens a sensibus; ut nihil secundum corpus possit agere connaturaliter; ut corpus eius ac sanguis, in quantum praesentia eius alligatur speciebus, permittatur quodammodo arbitrio creaturarum non secus ac si esset res inanimata; in tali vero conditione se constituit, ut ipse summus sacerdos pro tota Ecclesia, cuius ipse est caput, et

---

[1]) Billot, De Euchar. p. 567.

[2]) Lugo, Disp. 19 sect. 5.

Ecclesia per ipsum exprimat in corpore et sanguine sacratissimo supremum Dei dominium et absolutam dependentiam omnis creaturae, cuius ipse homo Iesus Christus est primogenitus, et simul exprimat et exhibeat satisfactionem pro reatibus olim consummatam huius ipsius corporis traditione et huius sanguinis effusione. Atqui talis ,exinanitio' ad exprimendam maiestatem absoluti dominii Dei et satisfactionem pro reatibus nostris morte completam non solum satis intelligitur ut vere et proprie sacrificalis, sed etiam, excepto sacrificio cruento in cruce, nullam sublimiorem ac profundiorem rationem veri et proprii sacrificii concipere possumus. Non ergo est dubium, in ipso modo existendi sacramentali corporis et sanguinis Christi aptitudinem et, supposita institutione, actualem significationem sacrificalem et proinde rationem internam veri et proprii sacrificii non solum sufficienter, sed etiam insigniter contineri." [1])

Modus vero hic explicandi et in seipso nobilis est et optime congruere videtur cum doctrina ac loquendi ratione *Patrum*. Eum praeprimis haec testimonia commendare videntur:

„Is qui typice manducatus est in Aegypto, hic ultro *se ipsum immolat . . . cibum vitae ipse se ipsum proponens.*" [2]) „Cum corpus suum discipulis congregatis edendum et sanguinem bibendum praebuit, tunc aperte declaravit, agni sacrificium iam esse perfectum. Nam victimae corpus non est ad edendum idoneum, si animatum sit. *Quare* cum *corpus edendum* et *sanguinem bibendum* discipulis exhibuit, iam arcana et non aspectabili ratione *corpus erat immolatum.*" [3]) „*Exinanivit* semetipsum; quapropter *sic* appellatur inenarrabile mysterium et novum Dei testamentum, quando se ipsum nobis dat in *mystica coena* . . . Novum testamentum est: hoc facite. Haec est Dei *exinanitio* ad nos, ut possimus eum capere. De *hoc* enim tremendo mysterio dicit Apostolus, quod se ipsum *exinanivit.*" [4])

COROLLARIUM. Sacrificium Missae si cum *sacrificio crucis* comparetur, siquidem, quod in re sacrifica maxime attenditur, et sacerdos principaliter offerens et victima in utroque sint eadem, *simpliciter idem specie sacrificium* dicendum est; diversitas solum est in actione sacrifica, sacerdote visibiliter offerente, fine ac effectu, mutua ad invicem relatione. Maior etiam identitas

---

[1]) Franzelin, De Euchar. th. 16. — Singularis est quamvis ex iisdem principiis deducta sententia Cardinalis *Cienfuegos* (Vita abscond. 5, 2 sq.) de ratione actionis sacrificae in Eucharistiae sacrificio. Putat enim hanc consistere in eo, quod vita sensitiva vel a sensibus pendens Christi Domini sub speciebus virtute divina primum concessa, deinde, postquam exstitit actu, ablata sit aut impedita imperio suae voluntatis humanae.

[2]) Cyrill. Alex. Hom. in coen. myst.

[3]) Gregor. Nyss. Or. 1 in resurr. Chr.

[4]) Dionys. Alex. (?) Resp. adv. Paulum Samos. q. 7.

apparet inter Missae sacrificium et illud, quod Christus ipse in ultima *coena* obtulit: non solum enim idem in utroque est sacerdos principalis ac victima eadem, sed idem quoque specie actus sacrificus. Quôdsi tandem de distinctione numerica quaeras, cum haec ex actione potius quam ex re oblata et persona offerente desumatur, sacrificium crucis, coenae, altaris *numero plura* dicenda sunt.

Articulus III.

De virtute Eucharistiae sacrificii.

De virtute sacrificii Missae disserentes tum 1. de *effectibus* quos operatur, tum 2. de *efficientia* seu modo ipso operandi loquamur oportet. Effectus alii in *Dei* cultu, qui omnis sacrificii est finis princeps, consistunt; alii *nobis* obveniunt, et fructus vocantur. Prius de utriusque rationis effectibus quaeramus: est vero fere idem ac quaerere de finibus, ad quos obtinendos hoc sacrificium est institutum. Quocirca agetur 1. de Missae *effectibus* [th. 21], 2. de Missae *efficientia* [th. 22].

Thesis 21.

Missae sacrificium non solum latreuticum et eucharisticum, sed etiam impetratorium et propitiatorium est.

Quadruplex ratione finis audivimus esse sacrificium: latreuticum, eucharisticum, impetratorium, propitiatorium. Iam vero universam hanc sacrificiorum rationem in Missae sacrificio reperiri dicimus. De duobus prioribus nulla est difficultas vel controversia. *Protestantes* enim facile concedunt, Missam esse sacrificium eucharisticum et latreuticum, non quidem quod velint esse sacrificium proprie dictum, sed improprie et largo sensu. At esse propitiatorium et impetratorium praesertim aliis quam ipsis sumentibus, nullo modo admittunt nec possunt admittere, nisi fateantur Eucharistiam non solum esse sacramentum sed etiam sacrificium proprie dictum: non enim sacramenta prosunt aliis quam sumentibus.

Doctrina *catholica* clare definita est a Concilio Tridentino (Sess. 22 cap. 2 et can. 3): „Si quis dixerit, Missae sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem *propitiatorium*, vel soli prodesse sumenti, neque *pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus* offerri debere: a. s.“ — Propitiatorium ergo et impetratorium Missae sacrificium esse probandum est. Quid vero inter utramque hanc rationem intersit, ita explicat

Lugo: „Advertendum est virtutem illam ad impetrandum habere terminum formaliter diversum ab eo, quem habet virtus ad satisfaciendum vel expiandum: nam illa prior tendit ad movendam *liberalitatem* Dei a qua impetrat bona; haec vero posterior tendit ad *clementiam*, seu ad placandum Deum, ne irascatur, indignetur et inferat malum: prius pertinet ad sacrificium ut est impetratorium, secundum ad idem ut est propitiatorium.“ [1])

DEMONSTRATUR: Missa sacrificium est *impetratorium* et *propitiatorium.*

1. Ex relatione ad *sacrificia typica V. T.*

Inter sacrificia Veteris Testamenti erat sacrificium impetratorium et propitiatorium; imo in illis sacrificiis ratio „sacrificii pro peccato“ erat omnino praecipua. Atqui ita Missae sacrificium sacrificiis V. T. successit, ut rationes eorum diversas, in quantum non erant propriae illius oeconomiae, in se uno complecteretur. „Legalium differentiam hostiarum unius sacrificii perfectione sanxisti.“ [2]) „Omnem differentiam hostiarum unius corporis et sanguinis complet oblatio.“ [3])

2. Ex relatione ad *sacrificium prototypum in cruce oblatum.*

Christus ipse sacrificium hoc instituens ita loquitur, ut illud quam maxime in commodum nostrum et aliquo modo etiam remissionem peccatorum institutum esse pateat. „Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur; hic est sanguis meus, qui pro vobis, pro multis, in remissionem peccatorum effunditur.“

„Necessarium nobis erat, ut coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium; ut quia quotidiana et indefessa currebat pro hominum salute redemptio, perpetua etiam esset redemptionis oblatio, et perennis victima viveret in memoria et semper praesens esset in gratia.“ [4]) „Offerunt quotidie sacerdotes nostri, sed ad recordationem mortis eius. Et quia nos quotidie peccamus et quotidie indigemus mundari, quia ille non potest iam mori, dedit nobis hoc sacramentum corporis et sanguinis sui, ut sicut passio illius redemptio et absolutio fuit mundi, ita etiam ista oblatio redemptio et mundatio sit omnibus in vera fide offerentibus.“ [5])

3. Ex Missae sacrificio ipso prout *Liturgiis* nobis explicatur.

Non enim solum intra Missae celebrationem semper et ubique preces dicebantur impetratoriae et propitiatoriae, sed *sacrificium*

---

[1]) Lugo, Disp. 19 sect. 9.
[2]) Secr. 7 dom. p. Pent.
[3]) Cf. Leo M. Serm. 58.
[4]) Caesar. Arel. De corpore et sanguine Domini.
[5]) Primasius in Hebr. 10.

ipsum ceu impetratorium et propitiatorium offerri diserte saepe declaratur.

„Offerimus tibi hoc incruentum sacrificium pro peccatis nostris et ignorantiis populi.“ [1] „Offeram tibi incruentum hoc et rationabile sacrificium in remissionem peccatorum meorum, veniam delictorum populi, requiem et refrigerium patrum nostrorum qui obdormierunt.“ [2]

„Postquam vero perfectum est spirituale sacrificium, incruentus cultus, super illam propitiationis hostiam obsecramus Deum pro communi ecclesiarum pace, pro recta mundi compositione, pro imperatoribus, pro militibus et sociis, pro iis, qui infirmitatibus laborant, pro his, qui afflictionibus premuntur: et universim pro omnibus, qui opis indigent, precamur nos omnes et hanc victimam offerimus. Postea recordamur quoque eorum, qui obdormierunt: primum patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, ut Deus eorum precibus et legationibus orationem nostram suscipiat. Deinde et pro defunctis sanctis patribus et episcopis et omnibus generatim, qui inter nos vita functi sunt, oramus, maximum hoc credentes adiumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram iacet victima . . . Nos pro defunctis, etiamsi peccatores sint, preces Deo offerentes non coronam plectimus: sed Christum mactatum pro peccatis nostris offerimus, clementem Deum tum pro illis tum pro nobis propitiare satagentes.“ [3]

SCHOLION. Per se patet, Missae sacrificium non posse offerri sive pro sanctis in coelo sive pro damnatis in inferno: illi eo non indigent, istos iuvare non potest. Verum non solum non offertur pro sanctis, sed nec sanctis offertur: est enim sacrificium, ut alibi audivimus, actus latriae. Aliud sane est, quod Missae dicuntur offerri in *honorem sanctorum:* de qua re haec contra Reformatorum calumnias statuit Concilium Tridentinum (Sess. 22 cap. 3): „Quamvis in honorem et memoriam sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit: unde nec sacerdos dicere solet: «offero tibi sacrificium Petre vel Paule»; sed Deo de illorum victoriis gratias agens eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam facimus in terris.“

---

1) Liturg. Iacobi et Chrysostomi.
2) Liturg. Syrorum.
3) Cyrill. Hierosol. Catech. myst. 5, 8.

Thesis 22.

Missae sacrificii valor 1. non solum ex opere operantis est, sed praecipue ex opere operato, 2. merita Christi in cruce consummata applicando modo finito, 3. remissionem peccatorum nonnisi mediate efficiendo.

Quae in thesi affirmantur, vel ex iis quae de ratione sacrificii universe spectati diximus, vel ex iis quae hactenus de hoc Missae sacrificio demonstravimus, sponte consequuntur quamvis non omnia eadem certitudine; ideoque declaratione magis indigent quam probatione.

Patet locutionem ‚*ex opere operato*' non eundem habere sensum, si de Missae sacrificio dicatur et si de sacramentis: sacramenta enim recte dicuntur ut Dei instrumenta operari ex opere operato sc. gratiam; Missae vero sacrificium dici nequit gratiam ex opere operato operari, cum nec in Deo nec in nobis quidquam efficiat; sed ex opere operato valorem habere eucharisticum, latreuticum, impetratorium, propitiatorium.

DEMONSTRATUR: Sacrificii eucharistici valor praecipuus est *ex opere operato*.

Quatuor videlicet distingui oportet personas vel personarum genera, a quibus sacrificium hoc offeratur: Christus imprimis sacerdos primarius, minister rite ordinatus sacerdos secundarius, Ecclesia, ut societas est, publico hoc sacrificio per sacerdotes suos Deum colens, fideles denique aliqua sua opera ad sacrificium concurrentes. Iam vero, quoniam oblationis cuiuscunque valor pendet non solum a rei oblatae pretio et modo offerendi, sed etiam singulari quadam ratione a *persona offerente,* diversum sacrificii Missae valorem esse patet, prout a diversis illis offerentibus proficiscatur.

Sacerdos homo et ceteri fideles Missam celebrantes vel celebrandam curantes eique assistentes bonum profecto opus operantur; quapropter, ut in operibus bonis evenit, modo conditiones requisitae non desint, impetrant, satisfaciunt, merentur: at operis valor prout in eorum bonitate vel dignitate fundatur, *ex opere operantis* dicendus erit.

Ecclesia offert: sponsa dilecta Patri offert sponsum; iam vero fieri non potest, quin huiusmodi oblatio Deo sit gratissima, quidquid sit de bonitate ac sanctitate ministri per quem offert: independens hoc sensu valor sacrificii a ministro sacerdote atque exsurgens ex Ecclesiae dignitate, sanctitate ac precibus, aliquo sensu, respectu sc. ministri, aliquatenus *ex opere operato* provenire dici poterit.

Offert denique principaliter Christus ipse: offert in quantum ipse sacerdotes suos instituit eisque potestatem tribuit suo nomine

offerendi, offert vero ipse maxime quatenus in proprio corpore crucis sacrificium iugiter renovat praesentem se constituendo ut victimam formaliter in quantum redemptionis nostrae meritum consummavit infinitum: iam vero hic huius sacrificii valor nullo modo a meritis pendet sacerdotis secundarii offerentis vel hominis ullius et „nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest“ (Conc. Trid. Sess. 22 c. 1): hic valor sensu maxime proprio *ex opere operato* oriri dici debet et, cum sit offerentis infiniti, simpliciter infinitus. Haec ita se habere ex superioribus manifestum est.

2. Missae sacrificio *merita* a Christo in cruce consummata *nobis applicantur modo finito.*

Saepe iam monuimus, per oblationem sacrificii incruenti Christum primarium huius sacrificii sacerdotem novum meritum non acquirere: Christus enim exaltatus non iam est in statu merendi, meritumque omne per sacrificium cruentum est consummatum. In eo ergo Missae est valor, quod „oblationis cruentae fructus per hanc incruentam uberrime percipiuntur“ (Conc. Trid. Sess. 22 c. 2).

Iam quaeritur, in qua, ut ita dicamus, *mensura* ac *quantitate* meritum hoc per Missae sacrificium applicetur. Imprimis manifestum est, in *actu primo* seu in *aptitudine* meritum hoc et proinde sacrificii Missae valorem esse *infinitum,* ita ut „possit ad omnes gratias et effectus applicari neque eius virtus alligetur ad unum vel alterum genus, sed sit indifferens ad omnes morbos, necessitates, gratias“ [1]. Quod vero attinet valorem, quem sacrificium Missae habet in *actu secundo,* seu prout a Christo reapse offertur et a Deo acceptatur, theologi non omnino consentiunt. Communis autem sententia est, valorem hunc sacrificii Missae tum intensive, i. e. spectatis bonis quae obtinentur, tum extensive, i. e. spectato numero eorum pro quibus offertur, *finitum* esse. Quod sensus Ecclesiae confirmare videtur. „Nam si Missae valor infinitus esset, frustra multae Missae praesertim ad rem eandem impetrandam offerrentur.“ [2]) Neque secus explicari facile posset, qua ratione sacerdos, qui „pro pluribus sacrificiis stipendium accipiens unum sacrificium offerat, contra iustitiam peccare“ dicendus sit (Prop. 10 damn. ab Alexandro VII). — *Ratio* huius rei a Bellarmino haec redditur praecipua: „Etiamsi posset Christus per unam oblationem sacrificii incruenti quaelibet a Deo et pro quibuscunque impetrare, tamen noluit petere nec impetrare, nisi ut pro singulis oblationibus applicaretur certa mensura fructus passionis suae sive ad peccatorum remissionem sive ad alia beneficia quibus in hac vita indigemus. Cur autem id voluerit, non est no-

---

[1]) Lugo, Disp. 19 sect. 19.
[2]) Bellarm. De sacrif. Missae 2, 4.

strum curiosius inquirere. Videtur tamen id voluisse, tum ut hoc modo frequentaretur hoc sanctum sacrificium sine quo religio consistere non potest, tum etiam quia id requirebat ordo divinae providentiae. Quae est etiam causa, cur Christus assidue interpellet pro nobis in coelo, cum tamen videatur unica interpellatione potuisse omnia statim impetrare; et similiter cur pretium infinitum, quod in cruce acquisivit, quo totus mundus continuo salvari potuisset, nonnisi quibusdam et in certa mensura applicari voluerit: horum enim omnium causa est, quia voluit Christus omnia fieri secundum ordinem divinae providentiae.“ [1])

3. Missae sacrificium *peccatorum remissionem non operatur nisi mediate.*

Quod *poenae* post peccatum remissum adhuc luendae spectat remissionem, nulla est difficultas; nullumque est dubium, luendae huic poenae, cuius remissio in eo consistit, ut Deus, quin in homine ipso quidquam fiat, solutionem iustam acceptans debitum relaxet, per se et immediate Missae sacrificium esse idoneum. Communis vero theologorum sententia est, nec sacrificium ullum nec Missae sacrificium, prout sacrificium est, vim habere immediate remittendi *culpas*. Duplici argumento haec sententia probari potest. 1. Doctrina est certa, in ordine praesenti nullum esse medium ordinarium quo homines immediate sanctificentur nisi tum actus eorum, quorum vis est ex opere operantis, tum sacramenta, ut sunt sacramenta, quorum vis ex opere operato est. 2. Probatur ex verbis Concilii Tridentini. Ubi enim Concilium definivit, sacrificium hoc esse vere propitiatorium et per eius oblationem peccata deleri, statim subiungit: „Huius quippe oblatione placatus Dominus *gratiam et donum poenitentiae concedens* crimina et peccata etiam ingentia dimittit.“ — Quibus Concilii verbis *modus* quoque declaratur, quo per hoc sacrificium peccata remittantur: placatur sc. divina iustitia, et clementia divina gratias subministrat, quibus homo ad poenitentiam perducatur et iustificationem. [2]) Audiatur S. Thomas: „Eucharistia inquantum est sacrificium habet effectum

---

[1]) Bellarm. l. c.

[2]) Ex doctrina Concilii Tridentini Lugo concludere videtur, ut sacrificio Missae peccator ad remissionem peccatorum perveniat, *praeexigi* in eo aliquem de peccatis dolorem seu *attritionem*. Verum conclusio huiusmodi falsa est. Verba enim Tridentina, ad quae provocat: „per sacrificium Missae fieri, ut si cum vero corde et recta fide, cum metu et reverentia contriti ac poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur“, — cum iis quae sequuntur ac supra citata sunt eiusdem Concilii verbis ita conciliari debent, ut illae, quae bonae peccatoris dispositiones afferuntur, non quid praerequisitum existimandum sint esse, sed ipsa illa „gratia et donum poenitentiae“, quae Deus hoc sacrificio placatus peccatoribus concedit.

etiam in aliis, pro quibus offertur, in quibus non praeexigit vitam spiritualem in actu sed in potentia tantum: et ideo, si eos dispositos inveniat, eis gratiam obtinet virtute illius veri sacrificii, a quo omnis gratia in nos influxit, et per consequens peccata mortalia in eis delet, *non sicut causa proxima*, sed in quantum *gratiam contritionis* eis impetrat.“ [1])

SCHOLION. Si spectentur ii, pro quibus Missae sacrificium offertur triplex eiusdem solet distingui fructus: generalis, specialis, specialissimus. Fructus *generalis* vocatur ille, qui Ecclesiae, e cuius saltem habituali intentione sacerdos Missam celebrat, obvenit universae, et vi communionis sanctorum omnibus Ecclesiae membris, indirecte etiam iis, qui membra sunt tantum in potentia. *Specialis* fructus dicitur ille, qui ex hoc sacrificio provenit eis, pro quibus a sacerdote modo speciali Missa applicatur. [2]) Fructus denique *specialissimus* dicitur, qui est tum ex opere operato tum ex opere operantis ipsius sacerdotis modo debito offerentis et, servata proportione, quadantenus fidelium quoque Missae devote assistentium.

Atque haec de arcano Missae sacrificio satis sint dicta. [3]) Toti autem huic nostrae de SS. Eucharistiae mysterio tractationi finem melius imponere non possumus quam pulcherrimis hisce S. Gregorii verbis:

„Haec singulariter victima ab aeterno interitu animam salvat, quae illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens a mortuis iam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur, tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens pro nobis iterum in hoc mysterio sacrae oblationis immolatur. Eius quippe ibi corpus sumitur, eius caro in populi salutem partitur, eius sanguis non iam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus, quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem unigeniti Filii semper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem coelos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena coelestibus iungi, unumque ex visibilibus atque invisibilibus fieri? Sed necesse est, ut cum haec agimus nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus: quia, qui passionis dominicae mysteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Tunc ergo vere pro nobis hostia erit Deo, cum nos ipsos hostiam fecerimus.“

Gregor. M. Dialog. 4, 58 et 59.

---

1) S. Th. 4 dist. 12 p. 2 a. 2.

2) Pistorienses negantes, in potestate sacerdotis esse, *applicare* fructum cui voluerit, Pius VI (prop. 30. Constit. ‚Auctorem fidei‘) damnavit.

Sacrificium Missae, quamvis, quod fructum praecipuum spectat, valide semper offeratur, ab Ecclesia prohibitum est, ne pro *excommunicatis vitandis* offeratur; quam quidem prohibitionem etiam pro excommunicatis *toleratis* valere aliqui docent. De qua quaestione consulantur canonistae.

3) Devotioni erga augustissimum Missae sacrificium quae inserviant, egregia plura habentur apud S. Bonav. De praep. ad Missam; Bona, De Missae sacrificio; Chaignon, Le prêtre à l'autel; Bacuez, Du divin sacrifice et du prêtre qui le célèbre; Giehr, Das h. Messopfer.

Princeton Theological Seminary-Speer Library
1 1012 01019 7079